Digitized by Google

*31. K. 30.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

*31.K.30

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVA
ACTA
ERUDITORUM,

ANNO
MDCCLXI.
publicata.

Cum Regis Pol. atque Electoris Saxoniae Privilegio.

LIPSIAE

Proſtant apud IO. FRID. GLEDITSCHII & LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: Bononiæ apud LAELIUM della VOLPE: Pariſiis apud BRIASSONUM: Ultraiecti apud IO. BROEDELETUM: Lugduni Batavorum apud SAM. & IOH. LUCHTMANSIOS: & Amſtelodami in SCHREUDERI & MORTIERII iunior. officina.

MDCCLXI.

+

Digitized by Google

WIEN
BIBLIOTHEK

Digitized by Google

LECTORI
LITTERARUM STUDIOSO
S.

Etſi doctrinae liberalis artiumque fortuna non eſt arctis adeo vinculis cum fatis rerum publicarum coniuncta, ut, his vehementius perturbatis, et de felicitatis ſede deiectis, neceſſe ſit illa quoque ſplendoris atque dignitatis iacturam aliquanto graviorem facere: tamen fieri vix poteſt, ut nihil incommodi aut detrimenti patiantur litterarum ſtudia, cum in publicae calamitatis tempora inciderint. Quod nos quidem his annis, triſti experientia, quam verum ſit, edocti ſumus. Nam ut taceamus, miſeriae communis adſpectu, minui animum atque ardorem omnium; neque tam facile maiores auſus concipi, cum has pacificas artes deprimit

belli

Digitized by Google

belli ſtrepitus, et querelae iuſtiſſimae quaſi exanimant: ipſi per ſe intelligent Lectores, quantis cum difficultatibus confliſtandum fuerit nobis hoc luſtro noviſſimo, et aliis in partibus ſtudiorum, et maxime in his Actorum Commentariis ſcribendis atque edendis. Novorum librorum copia, quo minus ſatis cito nobis fieret, multa prohibuerunt; et ſi quos nanciſceremur, moleſta erat incredibilis, quae nunc omnibus mercibus incumbit, caritas; ne alia laborum noſtrorum impedimenta, quo etiam inſultus malevolorum pertinent, prodamus. Atque iſta quidem hanc apud te vim habitura eſſe confidimus, Lector humaniſſime, ut, ſi hoc Volumen paullo ſerius quam priora accepiſti, ſi porro plures a te deſiderantur in eo Libri, iique praeſtantiores, quos anni ſuperiores effuderunt, id aequi bonique conſulas, neque tam nobis tribuas, quam temporum iniuriis. Exiſtimamus autem, vel ex iis libris, quorum argumentum enarravimus, iudicium fieri poſſe, nos in deligendis eruditorum virorum ſcriptis ita verſatos eſſe, ut tuae, Lector, et utilitati conſuleremus, et voluptati. Quod vero Germanorum inprimis Libros commemoravimus, non ingratum, ut ſperamus, accidet iis, qui iuxta Tiberim, aut Rheni oſtia incolunt; e quibus oris rarae mittuntur hoc tempore ad nos doctorum hominum lucubrationes. Nunc nihil ſupereſſe videtur, quam ut tuam, Lector, benevolentiam, ſervari nobis porro cupiamus, optemusque, tibi iuvandi hoc Opus noſtrum quibuslibet modis voluntatem numquam deeſſe.

Vale.

No. I.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Ianuariis Anno MDCCLXI.

ΟΜΗΡΟΥ ΑΠΑΝΤΑ

i. e.

HOMERI OPERA OMNIA EX RECENSIONE ET cum notis SAM. CLARKII S. T. P. Acceſſit varietas lectionum MS. Lipſ. et edd. veterum, cura IOH. AUGUSTI ERNESTI, qui et ſuas notas adſperſit. VOL. II.

Lipſiae 1760. impenſis Gotth. Theoph. Georgii. Impreſſit Udalr. Chriſti. Saalbach, $1\frac{1}{2}$ Alph. 8. mai.

Etſi merita *Clarkii* patris in Homeri Carmina, maximeque in primam eorum partem, quae Ilias inſcribitur, permagna ſunt, ut, ni lux doctrinae eius acceſſiſſet, multa loca etiam nunc iacerent craſſis tenebris circumfuſa et involuta: tamen maior doctrinae ubertas et copia, maior diligentia, comparet in notis, quas in duodecim priores libros, rhapſodias vocant, conſcripſit, quam in iis, quibus reliquos illuſtrare conatus eſt libros. Fatorum enim iniquitate oppreſſus et interceptus Vir ſummus, non potuit eas perficere et perpolire, verum marginibus libri ſui commiſſas rudes relinquere coactus eſt filio, qui et ipſe quaedam, ſed perpauca, e proprii ingenii theſauris depromta addidit. Sed huic notarum utriusque *Clarkii* inopiae ſuccurrunt nunc *Erneſtiani* ingenii divitiae, doctrinaeque copiae et multae et firmae. Oſtendimus iam alio loco pluribus, quid conſilii om-

nino ſequutus ſit Vir magnus in edendis enarrandisque Homeri poematis: cui conſilio etiam in altero hoc Volumine, quod duodecim libros poſteriores Iliados complectitur, ſatisfacere, ut ſolet, ſtuduit.

Verſata enim eſt eius opera primo in hoc, ut varietas lectionum, cum e Codice manuſcripto bibliothecae Paulinae Lipſienſis, tum ex editis libris antiquis, collecta in medio poneretur: quod quidem eo magis neceſſarium et optandum erat, quo maior hoc in genere negligentia *Clarkiorum* reperitur, quippe qui ex uno hic *Barneſio*, duce et auctore non optimo, pendeant. Sed non modo protulit lectiones varias *Erneſtius*, verum etiam diiudicavit docte et eleganter. Atque Codicis quidem Lipſienſis bonitas, etiam in poſteriore hac Iliados parte, uti omnino cognoſcitur ex eo, quod innumeris locis ν ἐφελκυστικὸν ante Conſonantes omittit, et pro Conſonantibus duplicibus fere ſimplices, antiquo more ſcribendi, exhibet, etiam duas nonnunquam unius loci lectiones, tanquam ν', 229. ὄθι τε μεθιέντα ἴδηαι· ita ſingulatim ex multis aliis exquiſitis lectionibus, quae facile praeſtent iis, quae in libris editis habentur. Cuius generis loca aliquot quid impedit, quo minus laudemus? ν', 212. editiones veteres legunt βεβολημένος· at in MS. Lipſienſi extat, ut in MSS. Harleiano et Italicis, βεβλημένος. Sic paullo poſt v. 214. idem Codex legit ἐς κλισίην, quod *Barneſius* recepit, non ἐκ κλισίης, quod eſt in caeteris editionibus. Eodem libro v. 572. habent omnes editiones δήσαντες· at Lipſienſis liber ſuppeditat multo meliorem et elegantiorem lectionem, δαμάσαντες. Eodem modo iudicat *Erneſtius* de ſcriptura, quae in eo ipſo Codice eſt ϛ', 65, δηίων, pro δηῶν, quae eſt omnium editorum librorum lectio: niſi quod *Barneſius* e Codice Barocciano commemorat δηϊῶν. Neque ſane dubitandum videtur, quin Heſychius quoque ita invenerit in ſuis libris: nam gloſſa δηίων· διακόπτων, quae apud eum non minus quam apud Suidam, habetur, haud dubie ex illo Homeri loco ſumta eſt. id quod fugit interpretes Heſychii. υ', 178. melius legit MS. Lipſ. τί νυ, quam reliqui

liqui libri τί σὺ, quum σὺ ſit manifeſte otioſum ac frigidum. Sic eadem rhapſodia v. 215. non ſpernendum videbatur *Erneſtio* ἄρ πρῶτον, quod eſt in Cod. Lipſ. pro vulgato αὖ πρῶτον, quum particula ἄρ vel poſt parentheſin, vel in principio, quod ad praecedentia referretur, in narratione poni ſoleret. Sic idem Codex ν', 53. veriſſime exhibet εἴκελος, quod *Barneſius* ex coniectura recepit, et poſt eum *Clarkius*, pro ἴκελος, quod eſt in reliquis libris. Interdum tamen librarii manus fuit, ut fit, admodum negligens, non modo ſingulis verbis male ſcribendis, ſed etiam omittendis integris verſibus. ut ξ', 216. ό, 673. π', 344. Sed ſatis diximus de prima dote, qua ornavit Homerum Clarkianum, etiam in hac Iliados parte, *Erneſtii* doctrina. Veniamus ad alteram.

Ea haec eſt, ut verba Homeri vel ab correctione temeraria et audaci Criticorum quorundam, et in his *Daweſii* maxime, vindicentur; vel ingenii ope, linguaeque legum adiumento, et librorum veterum fide, emendentur. Utriusque generis exempla quaedam protuliſſe haud poenitebit. ξ, 78. in verbis ἦν καὶ τῇ ἀπόσχωνται πολέμοιο Τρῶες, *Erneſtio*, non ſine cauſſa, frigere videtur particula καὶ, quum ſenſus requirat *ſi forte*. Iam quum in Cod. Lipſ. extet εἴ κεν pro ἦν καί· ſuſpicatur Vir celeberrimus, Homerum ſcripſiſſe ἤν κε vel ἤν γε. Eadem rhapſodia, paullo inferius v. 101, in omnibus libris editis ante *Clarkium*, legebatur Ἀλλ' ἀποπτανέουσιν. *Clarkius* primus ἀποπαπταν. recepit, de coniectura *Richardi Bentleii*, quod confirmat auctoritas MSS. Vatic. et Florent., ab *Thoma Bentleio* inſpectorum. Eandem emendationem probat *Erneſtius*, laudans Scholiaſten Cod. Lipſ., qui ſcripturam ἀποπτανέουσιν vitioſam eſſe doceat, pro ἀποπαπτανέουσιν. Verba Scholiaſtae haec ſunt: Ἀλλ' ἀποπτανέουσιν· περιβλέψουσι καὶ πτοηθήσονται· δηλονότι περὶ τὴν καθολικὴν γινόμενοι· γίνεται δὲ ἀπὸ τοῦ παπταίνω παπτανῶ παπτανέω. Unde *Erneſtius* recte cenſet, etiam apud Heſychium recipiendum fuiſſe ἀποπαπτανέουσιν. Sed apud Homerum ξ', 398. eidem placebat pro ποτὶ, quod non minus, quam προτὶ, durum eſſet, reſcribere ποθί. Eadem de cauſſa ρ'.

41. pro ἔτι δηρὸν, quod in omnibus libris eſt, putat reponi oportere ἐπὶ δηρὸν, quae ſit Homerica forma, praeſertim quum Pſeudodidymus videri poſſit eam lectionem ſequutus eſſe; interpretatur enim ἐπὶ πολὺν χρόνον. At nobis nihil inde cogi poſſe videbatur ad labefactandam ſcripturam vulgatam, quam noſtrae quidem aures recte ſe habere iudicabant: nam quum apud Heſychium quoque δηρὸν abſolute poſitum, [vid. v. c. Il. β, 298. Od. α, 203.] explicetur per ἐπὶ πολὺν καιρόν· intelligitur, nec Pſeudodidymum verbis ἐπὶ πολὺν χρόνον quidquam aliud interpretatum eſſe, nulloque modo coniici poſſe, eum legiſſe, legendumve cenſuiſſe, ἐπὶ δηρόν. Neque enim omnia in antiquis ſcriptoribus exigenda ſunt ad normam faſtidioſumque iudicium noſtrarum aurium, non omnia mutanda ex legibus noſtri ingenii, ſaepe fallacibus. Sed videamus alia. χ', 402. legitur in multis libris πίλναντο, quod etiam *Clarkius* recepit. *Barneſius* praeferebat πίμπλαντο, quae eſt lectio edit. Flor. Rom. Ald. 1. Apud Syneſium [Laud. Calv. p. 82.] e Dione Chryſoſtomo citatur πεφόρηντο, quod *Valkenarius* ita probabat, ut mallet tamen πεφόρυντο, h. e. *inquinati erant* capilli. quam coniecturam reiicit *Erneſtius* propterea, quod praecedens particula ἀμφὶ deſideret verbum motum ſignificans. Quomodo igitur legendum? Nimirum πίτναντο. Hoc diſerte ſcriptum habetur in MS. Lipſienſi; hoc exprimere voluit Aldus in editionibus ſuis poſterioribus duabus, verum operae dederunt vitioſe πίπναντο, quod fideliter repetiit, ut ſolet, Iunta. Accedit, quod ſic commodiſſimus aptiſſimusque exiſtit ſenſus: nam ἀμφὶ — πίτναντο de comis eſt quod v. 315. περισσείοντο de criſta galeae, *comae nigrae concutiebantur*, *iactabantur circa caput*, exultabant, et concuſſu circumfundebantur capiti. Apparet etiam, Dionis πεφόρηντο eſſe gloſſema et interpretamentum lectionis πίτναντο. υ', 447. integrum verſum, Ἀλλ' ὅτε δὴ τὸ τέταρτον ἐπέσσυτο, δαίμονι ἶσος, delendum cenſet *Erneſtius*, qui temere ſit illic inſertus ex π', 705. nam ait non modo rem ipſam eum repudiare, quod Achilles non quartum irruerit in Hectorem, ſed,

ſed, poſt tres inanes ictus, ad aliorum caedem ſe converterit: verum deſiderari etiam in MS. Lipſienſi, et in edit. Rom., neque in Euſtathii Commentariis veſtigium huius verſus reperiri. Quae tamen poſtrema ratio per ſe admodum levis videtur. Sed, age, alterius quoque rationis exempla quaedam afferamus. π', 371. pro ἅρματ' ἀνάκτων *Daweſius* [Miſcel. Crit. p. 150.] volebat legi ἅρμα ἀνάκτων, quod non bini equi plures currus confregiſſent, ſed ſingulos. Quam hominis audaciam *Erneſtius* ita reprimit et confutat, ut doceat, non de uno pari equorum ſermonem eſſe, verum plura paria intelligi: deinde nec tirones linguae Graecae ignorare, apud poetas Pluralem dici de ſingulis curribus. ώ, 281. pro τὼ μὲν ζευγνύσθην *Clarkius* opinabatur fortaſſis melius legi τὼ μὲν ζωννύσθην. At nullam eſſe neceſſitatem ita corrigendi cenſet *Erneſtius*, quod ζεύγνυσθαι commodiſſime dicantur, qui eundem currum conſcendant.

Sed properabimus ad tertiam notarum *Erneſtianarum* virtutem, quae haec eſt, ut explicent ſenſum poetae, et Verſionem latinam *Clarkii* emendent et corrigant. Quae virtus qualis quantaque ſit, ex his cognoſcetur exemplis. ό, 740. verba πόντῳ κεκλιμένοι vertuntur *ponto admoti:* quod quid ſit, non poteſt ſatis intelligi. *Erneſtius* igitur vertit *prope mare:* nam verbum κεκλίσθαι ſitum, praecipit, plerumque exprimere per vicinitatem alicuius loci, ut Il. π', 68. Οἱ δὲ ῥηγμῖνι θαλάσσης κεκλίαται. Ita Callimachus H. in Dian. 254. οἵ ῥα παρ' αὐτὸν κεκλιμένοι ναίουσι βοὸς πόρον Ἰναχίωνος. χ', 322. verba τοῦ δὲ καὶ ἄλλο τόσον μὲν ἔχε χρόα χάλκεα τεύχη, latine redduntur vulgo ſic, *Huius autem caeteras quidem partes tegebant corpus aerea arma.* At hoc modo non expreſſum eſt τὸ τόσον. Itaque totus ille verſus, *Erneſtio* praeeunte, reddi ita debet, *Ceterum corpus* totum, quantum quantum, *tegebant arma.* Quem ſenſum vocabuli oſtendit Schol. MS. Leid. ὅταν το μὲν ἀπολειπόμενον ἔλασσον ἔῃ, τὸ δὲ γεγονὸς πλεῖον, τόσον φησί. ψ', 762. πηνίον *Clarkius* vertit *flamen:* at eſt *ſubtemen*, vel *trama*. Schol. εἴλημα κρόκης. Iam vero *ſubtemen* circumvolvitur radio, et per radium immitti-

Digitized by Google

tur, non *ſlamen*. Atque eiuſmodi loca alia occurrent lectori in notis *Erneſtianis*. Sed haec, exempli loco, ſufficiant.

Neque enim dubitamus, quin amatores Graecae litteraturae, omninoque omnes verae atque elegantis doctrinae cupidi, ſint, uti ipſa Homeri divina poemata, ita *Clarkiorum* etiam *Erneſtiique* notas ſtudioſiſſime lecturi, optaturique vehementer, ut mox et altera Homeri Carminum pars, hoc modo exornata et exculta, in lucem prodeat. Quae enim a tanto, tam exquiſita doctrina praedito, tam incredibili uſu praeſtante Viro proficiſcuntur, ea ab nemine poſſunt ſine ſumma et voluptate et utilitate legi.

NOVAE DEMONSTRATIONES PRINCIPIORUM MECHANICES

AUCTORE

IACOBO ADAMI

I. U. D.

FRISIO ORIENTALI.

§. I.

Principia Mechanices Staticesque an ſint neceſſario, aut ſaltem contingenter vera? quaeſtio eſt, a peril. Academia regia ſcientiarum Berolinenſi publice aliquot abhinc annis propoſita: ſed ſolutionem, quae foras data ſit, nondum nacta. Summus Geometra, *Daniel Bernoullius* quidem Tomo I. Comment. Petrop. anni 1726. demonſtravit, mechanices partem illam, quae circa aequilibrium verſatur, quam hic Staticen nomino, atque compoſitione et reſolutione potentiarum tota abſolvitur, ad veritates neceſſarias ſpectare: at vero, quod ad alteram partem, quae de motu tractat, attinet, et cuius fundamentum eſt: vim acceleratricem eſſe ut incrementum velocitatis applicatum ad tempus, quo producitur: id non niſi experientiae acceptum referendum eſſe credidit, et naturae rerum non refragari, facta vi acceleratrice $= p$, elemento temporis $= dt$, celerita-

tis




Fig. I.

Fig. III.





Fig. V.



Digitized by Google

Demonſtratio.

Quod vires ſint in aequilibrio, quae ſunt aequales et ſibi directo oppoſitae, ex ipſa notione virium aequalium liquido conſtat. Si non ſunt contrariae, tamen in directum, tunc ambae habebunt eandem directionem, et cum per Hyp. tertia vis non ſit praeſto, quae utramque retineat, inde non poterit non aliquis motus produci: non ergo dabitur aequilibrium, utpote quod motum a viribus oriundum excludit.

Tab. I. *Fig.* 1. Urgeatur iam corpus *A* a viribus duabus iuxta directiones *AD*, *AE* agentibus, quaeque faciunt angulum *DAE* duobus rectis minorem: vel ſint duo fila, *AD*, *AE*, corpori *A* firmiter inhaerentia, trochleasque in *B* et *C* locatas tangentia. Trahantur dein fila in ſuis directionibus, et corpus hinc duplici vi adficietur, quarum altera, quae agit iuxta *AD*, fili partem *AB* breviorem reddere ſatagit; altera partem *AC* fili *AE*. Quare utraque vis eo tendit, ut pertrahatur *A* ad punctum quodpiam *e* tale, ut ductis rectis *Be*, *Ce*, ſit $Be < AB$ nec non $eC < CA$. Centris *B* et *C*, radiis *BA*, *CA*, deſcribantur arcus circulares *Aa*, *Aα*, qui, quoniam puncta *B*, *A*, et *C*, non ſunt in directum, ſeſe in *A* non tangent, ſed ſecabunt (per 11. et 12. prop. Elem. 3.) et punctum omne, quod eſt in ſpatio *Aaα* veluti *e*, eum ſitum habere conſtat, ut $Be < AB$, et $eC < CA$: quia vero non accedit vis tertia, motum ad punctum *e* vel aliud ſimiliter poſitum prohibens, corpus eo neceſſario perveniet. Hoc ergo caſu vires, ſive ſint aequales, ſive inaequales, aliquem motum ſemper producent. Patet ergo, illo ſolo caſu, quando vires ſunt aequales, contrariae, et in directum poſitae, aequilibrium exiſtere. *Q. E. D.*

Coroll.

§. 5. Quandocunque ergo a duabus viribus nullus motus producitur, neque ille, qui corpori iam ineſt, augetur vel imminuitur, vires hae erunt aequales, et ſibi directo contrariae.

Prop.

Digitized by Google

Prop. 2. *Theorema.*

§. 6. Omni actioni aequalis eſt reactio eique directe contraria.

Demonſtratio.

Eſto *A* corpus, cui adhaereat virga *AB* rigida quidem, ſed omni vi, motui ſeſe opponendi, deſtituta. Urgeatur corpus a vi $= V$ in directione *AC* ad virgam normali: producetur ergo in corpore quieſcente aliquis motus: aut ſi iam eſt in motu verſus *AC*, is accelerabitur, aut retardabitur, ſi in plagam contrariam tendat; non ſecus ac ſi corpus liberum eſſet, virgaque plane abeſſet. Ipſum quoque virgae punctum *B* ſecundum eandem legem movebitur quam ipſum corpus, illaque ſibi ſemper manebit parallela. Haec eadem omnino etiam locum habebunt, ſi punctum *B* urgeatur a duabus viribus *BD*, *BE*, ſibi directe oppoſitis, tum inter ſe, tum ipſi vi *V* aequalibus, et ipſi *Ac* parallelis: adeo ut ratione motus virgae cum corpore *A* perinde ſit, duae vires hae an accedant, an non accedant. Manente vi *BD*, vim aequalem et in contrariam plagam tendentem *BE* cogitatione tolle, et in eius locum in *B* aliquod corpus ſubſtitue, quod ſit ipſi *A* aequale, et eadem velocitate ſecundum *BD* praeditum: et hinc adhuc punctum virgae *B* nullam motus vel accelerationis mutationem ſubibit. Nam ratione corporis in *B* omnia eodem modo ſeſe habent, ut in corpore *A*: exiſtente nempe maſſa huius aequali maſſae illius; velocitate huius, aequali velocitati illius, et vi accelerante *BD* $= V$. Ideoque, quod antea praeſtabat vis *BE*, ſcilicet ut motus et acceleratio puncti virgae *B* maneant illibata: idem illud iam praeſtat corpus in *B*: ipſi ergo aliquam vim ineſſe neceſſe eſt, et quidem talem, quae vim *BD* cohibeat, motui tamen et accelerationi puncti virgae *B* nihil deroget. Vis ergo *BD*, et vis quae corpori eſt intrinſeca, nullum in illo puncto motum producunt: ſunt ergo in perfecto aequilibrio, nec non aequales, et altera alteri directe oppoſita. (per §phum 5.) *Q. E. D.* Fig. 2.

Digitized by Google

Coroll. 1.

§. 7. Vis haec intrinſeca ergo, quae in philoſophis vis inertiae cluet, limitat et circumſcribit vim agentem, ut non poſſit in corpore datae magnitudinis maiorem velocitatem producere per datum temporis intervallum. Idem demonſtratum dedi in ſpecimine Hydrodynamico: de Reſiſtentia corporum in fluidis motorum: Berolini, ſumptibus academiae anno 1752. excuſo: ſed ex talibus principiis, quae hic ut demonſtrata aſſumere non licet.

Coroll. 2.

§. 8. Quia magnitudo vis ex magnitudine maſſae corporis gradu velocitatis producto, et tempore, quo id contigit, aeſtimanda eſt: reactio quoque ex iisdem attributis pendebit. Liquet autem etiam, ſi in corporibus motis non detur diverſitas quam in ſola magnitudine maſſarum: vires accelerantes fore ut maſſas; duplam, triplam, quadruplam nempe etc. vim requiri ad producendum eodem tempore aequalem velocitatis gradum in duplo, triplo, quadruplo etc. corpore, quam in ſimplo. Quare reactio etiam erit caeteris paribus ut maſſa. Imo vero etiamſi quis aſſereret, vires inertiae non accurate ſequi rationem maſſarum: id tamen ſalva ſua ſententia in hac tractatione admittere poſſet; cum hic ſine errore maſſa, quatenus non eſt iners, pro nihilo reputari queat.

Coroll. 3.

§. 9. Hinc ſequitur, ut inertia, quae magnitudini maſſae debetur, poſſit minui; ſalvo tamen eo, ut actioni ſit aequalis reactio: nam ſi corporis *A* inertia eo usque decreſcit, ut non ſit maior quam alterius corporis *B* minori maſſa praediti; ad accelerandum vel movendum *A* non maior requiretur actio, quam ad accelerandum eodem modo corpus *B*: quare vi propoſitionis corpus *A* quoque non fortius reaget quam *B*. Quamvis ergo ad veritates contingentes ſpectet id, quod maſſa hoc illove vis inertiae gradu polleat: non

non tamen eſt dubium, quin ipſum axioma ad veritates neceſſarias pertineat.

Coroll. 4.

§. 10. Quia maſſa corporis ad motum, ſecundum quamvis directionem concipiendum, eſt indifferens; ea, ſive quieſcat, ſive in motu iam ſit, modo a nulla vi urgeatur, nullam continebit rationem, cur vis reactionis tendat potius in plagam motui oppoſitam, quam verſus aliam quamcumque: illa ergo aut ex paritate rationis in omnes plagas tendet, aut in nullam: prius cum ſit abſurdum, locum habebit poſterius: ideoque motus inſitus a vi inertiae non perferet diſpendium. Non accedente etiam vi extrinſeca, corpus non accelerabitur: vis enim intrinſeca, accelerationi ſe potius opponit, quam ut illam promoveat. Hinc conſit: mobile, remotis omnibus impedimentis vel adiumentis, motum inſitum eſſe conſervaturum, et aequabiliter in ſua ſemita progreſſurum.

Coroll. 5.

§. 11. Ex principio rationis ſufficientis apparet etiam, corpus, non accedente vi externa, a ſuo tramite recto non poſſe deflectere: nam nulla, hac conditione ſtante, poterit aſſignari ratio, cur declinet ab una parte potius, quam ab altera: motum ergo in linea recta continuare neceſſe eſt. Huius autem et praecedentis Corollarii aſſertum veritatibus neceſſariis ideo adnumerandum eſt, quia ratio, quae efficere poſſit, ut contrarium verum ſit, per ipſam hypotheſin excluditur.

Propoſ. 3. *Theorema.*

§. 12. Duobus corporibus aequalibus virgae rigidae quidem, ſed inertia deſtitutae, affixis, et cum ea motis; ſi haec urgeatur a vi aliqua, ad punctum diverſum a medio perpendiculariter adplicata, erit ea aequalis vi illi, quae ad virgae punctum medium etiam perpendiculariter eſt applicanda, ut id eodem tempore per idem ſpatium deferatur, per quod deferebatur a vi priore.

 Demon-

Demonſtratio.

Fig. 3. Ferantur duo corpora aequalia A et B virgae AB inhaerentia in rectis Aa, Bb, ad AB normalibus, ita, ut virga ſibi maneat parallela, atque tempuſculo infinite parvo $= dt$ ſolo ſuo motu inſito ex ſitu AB perveniat in ab, exiſtente AB parallela ab. Statim autem in principio motus ex AB in ab, adhibeatur ad punctum virgae D diverſum a puncto biſecante C vis normalis, quae ſit $= V$, et cum motu inſito conſpiret. Hoc pacto parallelismus virgae, ob momentum $A.\ AD$ maius momento $B.\ BD$ non conſervabitur, perveniet potius eodem tempore dt ex AB in ſitum aliquem, quam figura linea $o\gamma$ exhibet, qui ad lineam ab verſus a convergit. Vis ergo V energia translatione corporis A ex a in o, corporis vero B ex b in γ abſolvitur: puncti vero medii ſive centri gravitatis motus vi V debitus erit ex c in ζ; per quod ducta eſt $\alpha\beta$ lineae ab aequidiſtans. Loco vis V ſubſtituamus iam aliam vim, quam pono $= G$, et quidem tantam, quanta opus eſt ut centrum gravitatis tempore dt perveniat ex c in ζ, atque ab initio motus, eoque durante, immediate in illud centrum ſeu punctum medium agentem. Huius vis effectus conſiſtet in eo, ut virga elapſo tempuſculo dt ſit in $\alpha\beta$ ipſi ab parallela. Oſtendendum iam eſt, eſſe $V = G$. Ex vi G generantur vires binae, in corpora A et B immediate agentes, quarum una corpus A ex a in α, altera ipſum B ex b in β defert. Priorem ex his partiamur in duas E et F, iuxta $a\alpha$ agentes, quarum E corpus A tempore dt promovet ex a in o: ideoque cum a ſumma virium $E+F$ illud aequali tempore pellatur in α, vis F id deferet ex o in α. Eodem modo dividamus vim ex vi V prognatam et in corpus B immediate agentem, in duas I et K, quarum prior corpus B ex b promovet in β, altera ergo id tempore dt protrudet in γ: patet enim ex his duabus viribus additis prodire vim, quae corpus B tempore dt ex b transfert in γ. Iam docet Statica, duas vires, quae ſunt cum tertia in aequilibrio, in ſummam collectas, huic aequales eſſe, modo inter ſe et cum hac ſint paral-

parallelae: ergo $G = E + F + I$. Ex eadem ratione eſt $V = E + I + K$: nam quoniam vires $E + I + K$ ex vi V reſultant, haec in contraria directione adplicata in D, cum illis utique in aequilibrio erit: et cum V eſt perpendicularis ad AB; atque de tribus reliquis idem eſt. Sed et praeterea eſt vis $F =$ vi K: nam circa has omnia perinde ſeſe habent. Illa defert A ex o in α, haec corpus aequale B aequali tempore dt ex β in γ, exiſtente $\beta\gamma = o\alpha$, et velocitate corporis B in β tantum infinite parum a velocitate initiali in puncto B, et corporis A in o ab ea, quae ipſi in A ineſt, et velocitati corporis B in puncto B, aequalis eſt, diſcrepante. conſequenter G, quod eſt $= E + F + I$ eſt etiam $= E + K + I = V$: ideoque $G = V$. Q. E. D.

Coroll. 1.

§. 13. Incrementum velocitatis puncti biſecantis, dum vis ad punctum D vel d adplicatur, idem eſt cum incremento velocitatis vi ad ipſum punctum medium C vel c adhibita. Cum enim velocitas inſita ſit $= \frac{Cc}{dt}$, quae vi in D urgente creſcit, ut fiat $= \frac{C\zeta}{dt}$, erit incrementum $= \frac{c\zeta}{dt}$. Quia vero vi ad C applicata punctum biſecans eodem temporis puncto etiam pervenit in ζ: hoc caſu dictum incrementum erit pariter $= \frac{c\zeta}{dt}$: ideoque priori aequale eſt.

Prop. 4. *Problema.*

§. 14. Determinare leges motus a vi quacumque in corpore producti.

Solutio.

Magnitudinem vis primum deputandam eſſe magnitudine maſſae inertiam determinantis, §. 8. evictum eſt: aeſtimanda deinde eſt ex gradu velocitatis in corpore producto; quod tamen eſt reſtringendum ad tempus productionis: alioquin incrementum celeritatis genitum ad potentiae urgentis de-

terminationem nihil faceret; cum quaelibet vis, indeſinenter agens, quemlibet eius gradum producere poſſit, modo ſufficiens tempus ad id concedatur. Praeter haec vero ad eius aeſtimationem nihil requiritur: quamprimum enim conſtat, duobus caſibus maſſas corporum et augmina velocitatum ſumta aequali tempore, non differre; vires etiam neceſſario aequales eſſe, ipſa virium communis notio inſinuat.

Sint ergo duae vires *P* et *p*, velocitates ab his prognatae, *G*, *g*; tempora per quae generantur *T* et *t*, (poſſunt autem *G* et *g*, nec non *T* et *t* ſignificare quantitates ordinarias, vel infinite parvas,) maſſae in quas vires agunt *M* et *m*. indicent porro litterae 𝔄 et 𝔅 functiones magnitudinum, cui praefiguntur, quomodo demum cunque compoſitas ex his et conſtantibus. Itaque poterit formari haec analogia: $P : p = M𝔄G𝔅T : m.𝔄g.𝔅t$: quae omnes caſus complectitur, qui hic occurrere poſſunt. Exiſtente enim $T = t$, 𝔅*T* et 𝔅*t*, utpote eaedem functiones eiusdem quantitatis per diviſionem antecedentis et conſequentis ſecundae rationis tolli queunt: ita ut hoc caſu vires ſint in ratione compoſita maſſarum et functionum quarundam incrementorum velocitatis: uti oportet. Si praeterea eſt $G = g$, 𝔄*G* et 𝔄*g* quoque diviſione tollentur; potentiis tum in ſola ratione maſſarum conſtitutis: et ſic de reliquis. Hinc elucet, litteram 𝔄 ipſis *G* et *g* praefixam non poſſe diverſas harum functiones ſignificare: hoc enim poſito, aequalitas ipſarum *G* et *g* ad eas eliminandas non conduceret: id quod tamen hic facto opus eſt; ne, ea non obſtante, menſura virium a *G* et *g* etiamnum pendeat. Idem perinde valet de functionibus 𝔅*T*, 𝔅*t*.

Iam itaque explorandum eſt, an plures pro 𝔄 et 𝔅 poſſint ſubſtitui functiones, an unicae, et quae eae ſint? Fiat ergo $P = M.𝔄G.𝔅T$, et adplicetur haec ad caſum propos. praeced. ubi virgam duobus corporibus aequalibus infixam aſſumſimus, quae motu inſito ex *AB* deferebatur in *ab*, et ſimul, motu a vi in *D* urgente concepto, proveheba-

tur

tur in ſitum $o\gamma$: velocitas ergo puncti d vel D inde genita eſt $= \frac{d\delta}{T}$; ea vero, quae producitur in puncto biſecante c vel C eſt $= \frac{c\zeta}{T}$, quam facio $= z$; et erit producta $o\gamma$ donec ab ſecet in I, G: $z = Id$: Ic.

Quia vis inertiae corporis A agit in punctum a vectis Ib; erit eius momentum in $d = \frac{A.\ Ia}{Id}$ et corporis $B = \frac{B.\ Ib}{Id}$; quare ſumma ſeu efficacia utriusque corporis in punctum d eſt $= \frac{A.\ Ia + B.Ib}{Id} = \frac{2\ A.\ Ic}{Id}$. Hoc in aequatione valet litteram M; ſurrogetur ergo, et fiet $P = \frac{2\ A.\ Ic.}{Id}\ \mathfrak{A}G.\ \mathfrak{B}T.$ Sed quia (§. 12.) vis P aequalis eſt vi, qua in c applicata virga eodem tempore promovetur in $\alpha\beta$; atque eiusdem puncti c augmentum celeritatis idem eſt; vis ſive adhibeatur ad c ſive ad d (§. 13.) erit, accommodata aequatione ad c vel ad punctum medium: $2\,A.\ \mathfrak{A}z.\ \mathfrak{B}T = P.$ Duabus his aequationibus coniungendis, et pro Ic, Id ſubſtituendis proportionalibus z et G fiet $\frac{\mathfrak{A}z}{z} = \frac{\mathfrak{A}G}{G}$. Quia vero $G > z$; aequatio nullo caſu erit proba, niſi illo unico, quando eſt $\mathfrak{A}z = az$, et $\mathfrak{A}G = aG$. ubi a eſt conſtans arbitraria, nullam mutationem ſubiens, quemcumque valorem recipiat G vel Id. Surrogato enim hoc valore, prodit $\frac{az}{z} = \frac{aG}{G}$: ſeu $a = a$; quae eſt identica. Aſſumta ergo analogia tranſit in hanc: $P : p = MaG\mathfrak{B}T : mag\mathfrak{B}t.$ Fiat in hac $P = p$ et $M = m$: conſequenter $G.\ \mathfrak{B}T = g.\ \mathfrak{B}t.$ Iam ſumtis temporibus ſatis parvis, vires quaecunque cenſeri poſſunt aequabiliter agere; et propterea quod maſſae et vires ponuntur aequales, liquet, qualibet temporis particula pares celeritatis gradus in corporibus genitum iri; huius itaque augmina erunt directe ut tempora, i. e. $G : g = T : t.$ Eliminatis ergo G et

et g, invenitur $T.\mathfrak{B}T = t.\mathfrak{B}t$. Temporibus ergo diverſae longitudinis ſtatutis, nulla pro $\mathfrak{B}T$ uſui poteſt eſſe functio niſi haec: $bT - 1$ vel $\frac{b}{T}$, et $\mathfrak{B}t = \frac{b}{t}$: His ſuffectis iterum adipiſcimur aequationem identicam $b = b$, qualem hic, ut prius, prodire debere, indoles ſolutionis quoque declarat. Sequitur ergo, ut ſit $P : p = \frac{MabG}{T} : \frac{mabg}{t}$. Factis etiam antecedentibus aequalibus, poſitisque arbitrariis $a, b = 1$ et 2, eſt $P = \frac{2Mg}{T}$. Actione ergo potentiae in corpus conſtanter eadem manente, eſt potentia, ut maſſa et incrementum velocitatis directe, et ut tempus, quo id genitum eſt, inverſe: ea autem continuo mutata, erit ſaltem pro puncto temporis et incremento velocitatis infinite parvo in eadem ratione. Q. E. I.

Coroll. 1.

§. 15. Fiat incrementum velocitatis $= dv$, et tempus per quod acquiritur $= dt$, erit ſemper $P = \frac{2Mdv}{dt}$: accito vero elemento ſpatii ds, quod eſt $= vdt$; $P = \frac{2Mvdv}{ds}$: aut eliminato dv ſumtoque dt pro conſtante: erit $P = \frac{2Mdds}{dt2}$. Qui ſunt canones notiſſimi pro motu corporum quomodocumque acceleratorum; qui abeunt in illos, qui ſunt pro motibus retardatis, factis dv et dds negativis.

Coroll. 2.

Fig. 4. §. 16. Hinc concluditur, id, quod de duobus corporibus aequalibus §. 12. demonſtratum eſt, verum eſſe, quot et quantacunque corpora virgae inhaereant. Sint enim ea A, B, E, F etc. quorum in C ſit centrum gravitatis. Pervenerit virga ex ſitu aliquo praecedenti, motu, ex inſito et a vi in D agente ſibi impreſſo, compoſito in ſitum af, qui pro-

Digitized by Google

productus ipſam AF ſecet in I. Quibus poſitis erit momentum inertiae in D corporis $A = \frac{A.IA}{ID}$, corporis $B = \frac{B.IB}{ID}$ etc. quorum ſumma $= \frac{A.IA + B.IB + E.IE + F.IF}{ID} = \frac{M.IC}{ID}$; ſignificante M ſummam maſſarum: quo ducto in augmentum velocitatis puncti D, ſive dv, et diviſo per dt, erit vis agens in $D = \frac{2M.IC.dv}{dt.ID}$: eſt vero, facto $dz =$ incremento celeritatis, centri gravitatis vis in C applicanda, ſyſtema ad diſtantiam Cc eodem tempore deferens $= \frac{2Mdz}{dt}$, quae, ob incrementa velocitatum ipſis ID, IC proportionalia, vi priori aequalis eſt.

Coroll. 3.

§. 17. Effectus vis urgentis in D eſt translatio virgae ex AF in af. Hic autem poterit reſolvi in duos, quorum unus conſiſtit in motu parallelo ex AF, in $\alpha\varphi$, lineam per centrum gravitatis c tranſeuntem: alter vero in motu rotatorio et contemporaneo virgae circum idem centrum, quo pervenit ex $\alpha\varphi$ in ſitum af. Binorum horum motuum neuter alterum afficit: nam motu ex his compoſito centrum gravitatis non magis promovetur neque minus; ideoque reſpectu alterutrius perinde eſt, an alter accedat nec ne. Quare hi motus etiam ſigillatim conſiderari, et recte computari poſſunt. Et quia vis ad D adhibita ut conſtanter eadem intentione agens ſpectari poteſt, dum punctum D defert in δ, et deinde ulterius in d, eaque aequalis eſt vi in C agenti, hocque punctum motu ſynchrono ex C in c transferenti: cum hos motus ſeparatim tractare placuerit; poterit primum ſupputari motus, vi in C agente genitus; deinde is, qui producitur, rotatorius circum idem punctum in c delatum, ibidemque immobile, eadem vi in puncto D applicata. Hoc eſt fundamentum, quod eruditiſſimus atque cel. Eulerus,

 pater,

Digitized by Google

pater, adhibuit ad finiendum motum corporum in tubis libere mobilibus: Opuſc. varii argum. Tom. 1. Sect. 3.

Coroll. 4.

§. 18. Duplici ex praemiſſis methodo poterit determinari punctum, ad quod virgae poſitiones proximae concurrunt, et centrum rotationis ſpontaneum audit. Perveneret enim virga motu a vi in D urgente accelerato ex AF in ſitum af tempuſculo infinite parvo $= dt$, quo motu ſolo inſito delata ſaltem fuiſſet in ſitum $\alpha\varphi$. Hoc pacto accelerationes punctorum virgae, in directionibus ad $\alpha\varphi$ normalibus, erunt $= \frac{\alpha a}{dt}, \frac{\beta b}{dt}, \frac{\delta d}{dt}$ etc. et ipſis diſtantiis a puncto concurſus I linearum af, $a\varphi$ proportionales. Proinde momentum inertiae corporis A in D ſive $\delta = \frac{A.I\alpha}{I\delta}$, corporis $B = \frac{B.I\beta}{I\delta}$ etc. et ſumma horum momentorum, ſive tota vis inertiae in $\delta = \frac{M.I\gamma}{I\delta}$: exiſtente $M =$ ſummae maſſarum, atque γ centro gravitatis. Vis autem corpus A ex α in a promovens $= \frac{2A.\alpha a}{dt^2}$, eiusque momentum in $\delta = \frac{2A.\alpha a.I\alpha}{I\delta.\,dt^2}$, et ſimile momentum corporis $B = \frac{2B.\beta b.\,I\beta}{I\delta.\,dt^2}$: et ſic de reliquis: conſequenter vis tota agens in $\delta = \frac{2A.\alpha a.I\alpha + 2B.b\beta.I\beta + etc.}{I\delta.dt^2}$ vel ſurrogatis proportionalibus $= \frac{2d\delta(A.I\alpha^2 + B.I\beta^2 + etc.)}{I\delta^2 dt^2}$ Vis haec vi prop. ducenda eſt in dt, et dividenda per duplum incrementum velocitatis, ut prodeat maſſa, quae in δ reagit, eſt ergo illa $= \frac{A.I\alpha^2 + B.I\beta^2 + etc.}{I\delta^2}$ ideoque $\frac{A.I\alpha^2 + B.I\beta^2 + etc.}{I\delta^2} = \frac{M.Ic}{I\delta}$ et $I\delta = \frac{A.I\alpha^2 + B.I\beta^2 + etc.}{M.Ic}$ Exiſtente ergo K puncto, in quo poſitio virgae in principio tempuſculi dt coit cum af in qua eo elapſo reperitur, erit,

Fig. 5.

ob

ob diſtantiam punctorum *I* et *K* ſaltem infinite parvam, *Kd* aequalis intervallo, quod intercedit inter punctum ſuſpenſionis et centrum oſcillationis.

Coroll. 5.

§. 19. Idem poterit inveniri ope reſolutionis motus compoſiti in binos ad ductum §phi 17. Acquiſiverit enim virga ſolo motu inſito ſitum $a\gamma d$; accedente vero vi in *d* agente ſitum *AB*, priorem ſecans in *I*. Erunt ergo iterum incrementa velocitatum normalium punctorum virgae $a, \gamma, \delta = \frac{Aa}{dt}, \frac{C\gamma}{dt}, \frac{dD}{dt}$ proportionales diſtantiis Ia, $I\gamma$, Id. Fig. 6. Sint porro $Id = f$, ſumma factorum ex maſſis corporum in quadrata ſuarum diſtantiarum a puncto $I = I^3$. Similia facta, ſumptis diſtantiis a centro gravitatis $C = C^3$: praetereaque $DC = z$, $IC = i$, ſumma maſſarum $\overset{I}{A}, \overset{II}{A}, \overset{III}{A}$ etc. $= MCA = Sc$, $C\overset{I}{A} = S\overset{I}{c}$, $C\overset{II}{A} = S\overset{II}{c}$, $C\overset{III}{A} = S\overset{III}{c}$, et ſic porro; vis in *d* agens $= P$. Duos motus, ex quibus virgae motus compoſitus reſultat, iam ſeparatim conſiderando, atque vim *P* ad γ utpote centrum gravitatis applicando, prodit aequatio: $P = \frac{2M.C\gamma}{dt^2}$: ideoque $C\gamma$, vel ducta $C\delta$ parallela ipſi $ad\, d\delta = \frac{Pdt^2}{2M}$: pro motu vero rotatorio circum *C*, quo virga ex $C\delta$ pervenit in *CD* reperitur, ut §pho 18, vis, quae ipſi *P* aequalis ſtatuenda eſt, ſeu $P = \frac{2C^3.\,\delta D}{z^2\,dt^2}$ conſequenter $D\delta = \frac{Pz^2dt^2}{2C^3}$ nec non pro motu compoſito et rotatorio circum *I*: $P = \frac{2I^3.\,Dd.}{f^2\,dt^2}$ proinde $Dd = \frac{Pf^2dt^2}{2I^3} = d\delta + D\delta = \frac{Pdt^2}{2M} + \frac{Pz^2\,dt^2.}{2C^3}$ Hinc oritur ſequens: $Mf^2C^3 = I^3C^3 + Mz^2I^3$. Iam

Digitized by Google

vero eſt $I^3 = A(i-k)^2 + \overset{I}{A}(i-\overset{I}{k})^2 + \overset{II}{A}(i-\overset{II}{k})^2 + \overset{III}{A}(i+\overset{III}{k})^2 + \overset{IV}{A}(i+\overset{IV}{k})^2 + \text{etc.} = i^2(A + \overset{I}{A} + \overset{II}{A} + \overset{III}{A} + \overset{IV}{A} + \text{etc.}) - 2i(Ak + \overset{I}{A}\overset{I}{k} + \overset{II}{A}\overset{II}{k} - \overset{III}{A}\overset{III}{k} - \overset{IV}{A}\overset{IV}{k} - \text{etc.}) + Ak^2 + \overset{I}{A}\overset{I}{k}{}^2 + \overset{II}{A}\overset{II}{k}{}^2 + \overset{III}{A}\overset{III}{k}{}^2 + \overset{IV}{A}\overset{IV}{k}{}^2 + \text{etc.}$ Quarum ſerierum prima eſt $= Mi^2$, ſecunda, cum C ſit centrum gravitatis, nihilo aequatur: tertia vero $= C^3$. Ideoque $I^3 = Mi^2 + C^3$ et $C^3 = I^3 - Mi^2$, qui valor in praecedenti ſurrogatus, et pro z^2, $(f-i)^2$, praebet ſequentem: $I^6 - 2I^3Mfi + M^2f^2i^2 = o$, huius radix quadrata eſt $I^3 - Mfi = o$: ideoque $\frac{I^3}{Mi} = f = Id$. Quae plane conſpirat cum ea, quam §pho 18. dedimus.

TRAITE DE LA DICTION PAR M. ESTEVE, de la Societé Roiale des Sciences de Montpellier.

Lutet. Pariſ. 1755. plagg. 11. in 8.

Si oratio eſt quaſi animus foras prodiens, quod nemo dubitat, eſtque vera huius imago verbis exprimenda; vix ſatis laudari poteſt opera eorum, qui, quo facilius et aptius et accommodatius hoc negotium inſtituatur, non ſolum verborum ſingulorum vim et poteſtatem ex uſu loquendi conſtituunt, ſed varium quoque univerſae orationis habitum et formam diligenter obſervant, rerumque adeo et cognoſcendarum, et vero etiam explicandarum legitimam rationem adiuvant. Ex quo poſteriori genere cum ſit hic ipſe libellus, editus a Cl. *Eſtevo*, conſilium, quod ſecutus eſt, laudare pluribus nihil attinet. Expoſuit enim via quadam et ratione, quod ante ipſum, ut ipſe ait, aggreſſus eſt nemo, de dictione, eiusque neceſſaria vi et natura; tum vero etiam de vario eius habitu et forma, generibusque adeo dicendi univerſis cuique rei accommodandis. Qua re, dici vix poteſt,

eſt, quantum commendationis paretur artibus dicendi ac ſcribendi, neglectis vulgo et contemtis ab eorum ſtupore et ignorantia, qui obeſſe etiam curam verborum et elocutionis cogitandi ſubtilitati, diſſerendique, ſibi perſuaſerunt. Hoc enim perlecto libello nemo poſſit adhuc de eo dubitare, quin arctiſſimo vinculo, et dicendi, et vero etiam cogitandi artes, nexae ſint inter ſe et copulatae. Quae autem huic eſt contraria vulgi opinio, quantas noxas attulerit communi literarum bono, vix eſt quod dicamus, cum haec legenti non poſſint non obverſari animo exempla eorum, qui, cum neque cogitare ſubtiliter, neque verba facere apte et accommodate, nedum ornate et copioſe, poſſent, ut illam ſaltem ſibi conciliarent laudem, ſeparari utramque illam facultatem et poſſe et debere pronunciaverunt, omnemque elegantis doctrinae cultum, quantum in ipſis fuit, ſuſtulerunt. In quo mirum hoc videri debet, quod de nulla fere alia lingua idem affirmarent, niſi de Latina: quam, cum omnium maxime ignorarent, coactos ſeſe intelligebant in invidiam adducere, ſuſpicionemque hanc movere, tanquam impediret eius ſtudium ſolidioris veraeque doctrinae iuſtam ſcientiam. Ad hunc igitur ſive errorem, ſive malum animum explodendum, ſuperiorem autem illam noſtram ſententiam confirmandam, nihil maiorem vim habet ea commemoratione, quae omnium linguarum unam eandemque tradat eſſe naturam atque indolem, qua perſuaſionem animorumque commotionem adiuvet, et praecepta ſuppeditet communia omnibus. Haec cur moneremus conſentaneum viſum eſt, cum propter licentiam ſubtiliſſimorum, ſi Deo placet, hominum; tum propterea, quod hicce liber, etſi Francice ſcriptus, tamen iudicio de omnibus linguis accommodatus, eodem modo, cuius mentionem fecimus ſupra, redarguat male ſanorum criminationes.

Omnis tractatus eſt bipartitus. Nam et fontes omnis dictionis ſingulis capitibus philoſophice indicantur, et vero etiam diverſa genera orationis rhetorice explicantur, adiectis utrinque exemplis Graecorum et Romanorum, quamquam

Francice, Francicorumque ſcriptorum, feliciſſime illos ſaepenumero imitantium.

Et primo quidem libro quae continentur, huc fere redeunt. Ars dicendi, non magis quam pictura, ſuppeditare debet imagines aptas et accommodatas earum rerum, quas velis conſpiciendas praebere. Maxima igitur cura et diligentia ſcriptoris debet in eo poſita eſſe, ut indaget formas dicendi, ut veritati rerum conſentaneas, ita vivis quaſi coloribus ſingula diſtinguentes. Sunt enim inter varios modos, quibus res aliqua aut iudicium declarari poteſt, eiusmodi, qui neceſſariam alicuius rei vim et naturam conſtituant, neque ullum ambiguitati locum relinquant. His igitur, tanquam coloribus utendum eſt, ſi velimus componere ea, quae iuſtam veramque pulcritudinem referre debeant.

Eam rationem ſatis diligenter deſcribendarum rerum interdum non niſi voces peregrinae quaedam aſſequuntur. Tum vero non debemus ſequi ſimilitudinem quandam verborum, ſed vere perſpicueque narrando res eſt quaſi delineanda, ita quidem, ut, remota abſtractione, in ſenſus quaſi incurrere videatur. Et hoc quidem verum artificium eſt ſtili figurandi. Cum ars dicendi non niſi referat imagines rerum, illae ipſae ſemper erunt longe inferiores his, quae a natura proficiſcuntur. Ut igitur imitatio proxime accedat ad id, unde exemplum ducitur, neceſſe eſt, ut animus vehementer moveatur. Hanc autem rationem acrem et vividam percipiendarum omnium rerum recte dixeris fervorem in dicendo. Quo ſi quis eſt deſtitutus, nunquam profecto poterit expreſſam, quam dicunt, imaginem efficere.

Verba propria poſſint interdum veram imaginem efferre. Saepius tamen eandem aſſequi non licet, niſi circumſcribendo, partiumque commemoratione. Iam ſi quis ſciat cauſas et originem eius rei, de qua ſermo eſt inſtituendus, poterit profecto ab iis quaſi partibus aliquid monſtrare, quibus eſt maxime dignum quod conſideretur, et illuſtrare ſententiam aliquam, aut imaginem, aut iudicium, quocunque modo poſſit. Contra, ſi quis parum inveſtigaverit naturam rei, neque

neque poſſit conſiderare aliquam rem univerſam per ſingulas partes, easque diſcernere, profecto neque invenire poterit modos exprimendi, et ambitus iconicos, neque inferre dictioni vigorem et varietatem.

Denique oportet etiam in ſermone, ſive in proſa, ſive ligata oratione, ſequi numerum quendam et modulos, idque vel maxime cavere, ne laedantur aures ſono aliquo duro et alieno adhibito. Dominari debet per totam orationem facilitas quaedam, quae omni moleſtia liberet lectorem; ſed referre etiam debet oratio atque inſignire characterem animi fortis, qui capiat res obiectas cum ſenſu quodam atque elegantia. Phraſium debet eſſe variatio, earumque uſus et adaptatio et compoſitio ita debet eſſe comparata, ut vigor augeatur gradatione. Quarum quaenam habeat minimam vim, attendendum eſt, et deinceps per omnes quaſi colores attingenda eſt res, donec perveneris eo, quod maximum robur exſerat. Ea quidem haud dubie vera via eſt, qua cavere poſſimus, ne virtus animi, ſemper illa ſeſe libenter exſerens, langueſcat, aut plane ceſſet. Cupit enim animus ſemper eſſe occupatus, et ſuppeditare eam et utilitatem, et robur, et aequabilitatem, et formularum dicendi exquiſitam veramque rationem, quae omnia ſunt in perfectionibus neceſſariis orationis numeranda.

His expoſitis, fundamenta quaſi iacta eſſe videantur, quibus, quae libro ſecundo ſunt propoſita, nituntur: in cuius capite de variis dicendi generibus, eorumque virtutibus in univerſum diſputatum eſt. Et Sectio quidem prima de ſtilo ſimplici et tenui, qui tamen habeat vim exacte referendarum imaginum cuiusque rei, exponit; quod genus dicendi Atticum alias audire ſolet.

Quo in loco reperire liceat, quibus in rebus, a quibus hominibus, qua denique ratione, idem illud ſit adhibitum. Duobus deinceps capitibus agitur de ſtilo ſublimi, et nativo, quorum uterque illi Attico dicendi generi, tanquam forma ſuo generi, eſt ſubiectus. In priori quidem, inter alia exempla egregia et bene multa, de verbis iſtis, *fiat lux, et facta eſt lux,*

Digitized by Google

lux, eorumque duplici ſublimitate, dictum eſt, cum alia eſſet in imagine, quae ibi lateret, alia in ſententia. Diſcrimen hunc inter et ſtilum nativum quem vocat, ponit in eo, quod in illo plus gravitatis inſit et vehementiae quam in hoc quidem, qui non niſi declarando perſpicue, et exquiſite eloquendo, cum facilitate quadam verſetur. Neque vero hic deſiderentur exempla, quibus, quod poſitum eſt, illuſtretur.

Sectio altera exponit de ſtilo ingenioſo, qui et ipſe vivis quaſi coloribus utatur: hoc eſt, qui contineat ſententias acutas, animumque ſuaviter afficiat, nec tamen a naturae veritate recedat, ſed eam potius cum ſenſu quodam doceat. Quod quidem dicendi genus iterum dupliciter conſideratur, cum diſtinguitur inter formoſum (brillant), et floridum. Stilum formoſum auctor clariſſimus non cumulare dicit, ut ingenioſum, antitheta, luſus verborum, alluſiones, et quicquid mentem ſingulari quodam modo afficiat, ſed illuſtrare res cum ſimplicitate quadam, ita quidem, ut non ſemper exacte veritatem naturae exprimat, ſed tamen quocunque modo perſpicue pingat. Ut igitur hoc dicendi genus ornamenta ſibi quaevis indulget, modo exprimendae rei diſtinguendaeque ſint conſentanea; ſic alterum illud, quod floridum dicebatur, non expers illud quidem eſt ornamentorum, ſed tamen paullo minus eſt audax quaſi, neque ſublimitatem admodum ſequitur et vehementiam, ſed potius pulcritudinem cum ſenſu coniunctam.

In Sectione tertia agitur de genere dicendi eo, quod imaginationem non excitat, quod non pingendi vim habere dici poteſt. Nimirum, cum non niſi verba eiusmodi et formae dicendi adhibeantur, quibus arbitrariae ſignificationes additae ſunt, quae propriae dicuntur, nec ſunt translatae ullo modo, quae ſint faciliimae intellectu, tum adhiberi dicitur dicendi genus eiusmodi, quod non pingat. Interim tamen illud ipſum, aeque ac dicendi genera ea, quae pingere dicuntur, vario modo tractari poteſt, ut etiam ſublimitatem, acumen, ſimplicitatem ſequatur.

Quarta

Quarta denique Sectio agit de ſtilo abrupto, in quo nonnulli vim eloquentiae ponunt, qui quam valde aberrent a vero perſpicue docetur.

Haec fuerit forma quaſi et deſcriptio huius libelli, ut elegantiſſimi, ſic profecto utiliſſimi, ut quem profuturum putamus plurimum ad intelligendam diſtinguendamque cuiusque ſcriptoris dictionem. Neque vero innotuit adhuc nobis liber eiusmodi, in quo ita conſtituta eſſet haec pars doctrinae, ut in hoc quidem vidimus cum facilitate quadam factum eſſe. Interim tamen audeam affirmare, in uno Cicerone, de quo, ut et Ariſtotele et Quintiliano, ſubinique Cl. Auctor iudicat, omnia genera dicendi reperiri, quorum mentio facta eſt in hoc ipſo libello, quamvis non eodem modo quaſi ſubordinaverit. Tanto minus iactantiae idem Cicero eſt accuſandus, qui lectorum iudicium voluit eſſe, quid in ſcribendo ſit ſecutus. Ariſtoteles etiam, in libris rhetoricis, plus aliquanto praeſtitiſſe dicendus erit, quam Gorgiae confutationem; nec minus certa manebit Quintiliano ingenii excellentis gloria, ut qui Ciceronem ipſum unus omnium, qui eandem imitationem ſuſcipiebant, aſſecutus eſt. Praeter haec nihil moleſtum nobis fuit; immo tanto quaeque iucundiora, quanto maiori cum elegantia, et facilitate, et venuſtate ſunt perſcripta.

DIONYSII CATONIS DISTICHA DE MORIBUS ad Filium: praeter ſedulam variantis lectionis per omnia conlationem, lectiſſimis etiam adornata floſculis Poeticis. Una cum ſingulis adpoſita Diſtichis, binorum quoque verſuum, Idiomatum vero diverſorum, interpretatione quincuplice. Adiecta ſunt lemmata Catoniana, ſuis quaeque reſtituta diſtichis.

Amſtelaedami 1759. apud Franciſcum Houttuyn, Alph. 1. in 8.

Quae propter brevitatem, concinnitatem, argumentique dignitatem, a plurimis amata fuerunt Catonis Diſti-

 cha,

cha, quod inde apparet, quod multorum, praeſtantiſſimorumque hominum ingenia in iis vel vertendis, vel explicandis elaborarunt, ea recentiſſimus eorum Editor, qui nomen ſuum latere voluit, nova quadam ratione ſibi illuſtranda ſumſit. Nam ſimilia poetarum dicta, quae ceteri, ut ſe forte obtuliſſent, in ſuis commentariis poſuerant, is ſtudioſius cum ex antiquis, tum ex recentioribus auctoribus collegit, et ſemper in altera pagella collocavit, hoc ſecutus conſilium, ut omni eorum conquirendorum taedio lectores levarentur. In quorum plurimis magnam ſane cum auctore convenientiam deprehendent, ſed de aliis quoque quin non ſatis apte, et loco poſita eſſe iudicent attenti, non dubitamus. V. c. Virgilii Aen. V, 854. cum Diſtich. 2. L. I. Iuvenal. Sat. XIV, 109. cum Diſt. 26. Placuit praeterea, breves quasdam de varietate lectionis admonitiones ſubiicere, quibus puto, nobis quoque nonnulla licebit addere. In Diſt. IV.

Sperne repugnando tibi tu contrarius eſſe
Conveniet nulli, qui ſecum diſſidet ipſe.

Fruſtra legere Barthium, ait, *ipſo*, quam veriſſimam lectionem eſſe nobis quidem perſuaſum habemus. Sed videtur Cl. Editor eorum ſententiae deditus eſſe, qui ſtatuunt, pronomen *ipſe* alii pronomini additum ſemper eſſe in Nominativo ponendum: ita Ciceronem, ita probatae latinitatis auctores omnes, dixiſſe; unde et ipſe ad Praefationem lib. III. *Non me ſcriptorem, ſed te neglexeris ipſe*, poſſe, ait, hinc de aetate et bonitate ſcriptoris decerni; in quo tamen etiam loco, *ipſum* propter rationem oppoſitorum deſiderandum videtur. Igitur intellexiſſe videmur, quandocunque lex oppoſitionis, quam et in priore loco agnovit Barthius, pronomen ipſe in alio, quam Nominativo caſu, poni; ſed aliter rem ſe habere in ceteris, ubi iſta oppoſitio non ſit. Utriusque rationis quaedam exempla poſuimus. Prioris quidem, praeter auctoris noſtri haec: Cicero pro Marcell. 4. *Et ceteros quidem omnes victores — viceras: hodierno vero die te ipſum viciſti.* pro Ligar. 2. *Cicero apud te defendit alium in ea vo-*

lun-

luntate non fuiſſe, in qua ſeipſum confitetur fuiſſe. Catilin. 1. 8. Horat. 1. Epiſt. 2, 32. *Ut jugulent homines ſurgunt de nocte latrones. Ut te ipſum ſerves non expergiſceris.* Florus III, 18, 7. *quum regum et gentium arbiter populus, ipſum ſe regere non poſſet.* Alterius autem: Cicer. Ep. Fam. VI. 21. *Haec ſcripſi, non ut de me ipſe dicerem, ſed ut tu — eadem cogitares.* VII. 1. *Reliquas vero partes diei tu conſumebas iis delectationibus*, quas *tibi ipſe ad arbitrium Tuum compararas.* quo pertinent ea exempla omnia, quae 10. RIVIUS ad h. l. commemorat. Salluſt. Catil. 20. 6. mihi indies magis animus accenditur cum conſidero, quae *conditio vitae futura ſit, niſi noſmet ipſi vindicamus in libertatem.* Tacit. Hiſtor. IV. 11. *Iulius Priſcus — ſe ipſe interfecit.* Hinc iam decerni de aliis locis poterit; an non in verbis Ciceronis Ep. Fam. I. 1. *Ego omni officio ac pietate ceteris ſatisfacio* omnibus, *mihi ipſe nunquam ſatisfacio,* legi debeat *ipſi?* an non Lib. XI. 15. pro: *Quod ſupereſt, perge mi Brute, et iam non cum aliis, ſed tecum ipſe certa,* accuratius ſit: *tecum ipſo?* an non etiam de Legg. I. 32. legendum ſit: *Ac duabus iis perſonis, quas ſupra dixi, tertia adiungitur, quam caſus alicui aut tempus imponit, quarta etiam quam nobiſmet ipſi* iudicio noſtro accommodamus. Pro: *nobiſmet ipſis*, quamquam nullam varietatem viri docti adnotarunt. Hinc apud Tacitum Hiſtor. IV. 70. *Legiones a Novesio — traductae ſe ipſas in verba Veſpaſiani adigunt*, vidit iam Erneſtius Vir Cl. reſcribendum eſſe *ſe ipſae.* Quam ipſam medicinam deſiderare videtur Curtii locus VI. 5. 9. *ceteri, ſicut conſtituerant, ditioni Alexandri ſe ipſos permittunt*, ut legatur *ſe ipſi*, vel *ipſi ſe:* contra apud Iuſtinum XII. 8. 15. *Ac ſi non militibus vel ipſe ſibi parcat*, cum plurimis Codd. legendum erit *ipſi ſibi.* L. II. Diſtich. XXV. quod ita habet: *Rebus in adverſis animum ſubmittere noli, Spem retine. Spes una hominem nec morte relinquit:* perſuadet ſibi editor, aliam lectionem, quae habeat, *Spes una homines in morte relinquit*, praeferendam eſſe propterea, quod auctor chriſtianae religionis placitis imbutus non fuerit. At enim vero nec ab ethnico talem ſententiam abeſſe debere ſtatuimus, cum ſatis

 multa

multa loca ſint, in quibus ſpem omnium rerum non modo longiſſimam eſſe pronuntient, ſed perdurare etiam poſt vitae tempora affirment. Vid. *Cicero* pro Archià c. 12. Quid Dido, quae ſpem iniuriae ulciſcendae nec poſt mortem abiicit: Aeneid. IV. 385.

Cum frigida mors anima ſeduxerit artus
Omnibus umbra locis adero, dabis, improbe, poenas,
Audiam, et haec manes veniet mihi fama ſub imos.

In Diſt. XXXI. ego quidem non intelligo cur a recepta lectione frequentes iverint in alia eruditi. Ordo ſatis planus: *mens humana dum Sperat vigilans quod optat;* qualis autem in illa emendatione, quam editor ſubiicit? *mens humana dum vigil et ſperat quod optat:* quem non offendat illa dictio *dum vigil eſt*, deinde ellipſis, deinde *et* pro *etiam* poſitum? Neque vero immutata paullulum ratione illud cuiquam placere poterit:

— *Nam mens humana, quod optat*
Dum vigil et Sperat; per ſomnum et cernit id ipſum.

Non puto talia ſibi permittunt ubique boni poetae. Sed donec, quae in Hiſtoria Critica de hoc loco adiunxerit Auctor, viderimus, iudicium ſuſpendimus. L. III. 21. habentur:

Coniugis iratae noli tu verba timere,
Nam ſtruit inſidias lacrymis, quum femina plorat:

in quibus, quam ſibi reperire viſus eſt pag. 200. editor gradationem, fateor me non agnoſcere. Neque enim *plorare* a *lacrymis* bene ſeparatur. Lib. IV. Diſt. 4.

Dilige denarium, ſed parce, dilige formam,
Quam nemo ſanctus nec honeſtus captat ab aere.

Quam ob cauſſam *formam captare ab aere* exiſtimet idem valere quam apud philoſophos, barbaros autem, *abſtrahere ab aere,* non conſtat; neque eius ſententiae ulla neceſſitas eſſe videtur. Immo *formam captare ab aere*, eſt curioſum eſſe formae, quam aſperi et recentes numi habent, ſpectatorem, qualem Caligulam fuiſſe cognoſcimus ex iis, quae Suetonius commemorat in vita eius Cap. 42. Similis uſus praepoſ. *ab* apud *Ciceronem* Epiſt. Fam. VI. 6. *Quae eſt igitur*, *inquies, ſpes ab irato?* Neque

Neque vero neceſſe eſt exiſtimare in L. IV. Diſt. 17.

Si famam ſervare cupis, dum vivis, honeſtam,
Fac fugias, animo quae ſunt mala, gaudia vitae:

obſervandam magnopere lectionem quae *honeſtum* habeat, et defendendam ex illis Horatii (Od. I. 22, 23.) *Dulce ridentem* et *dulce loquentem.* Nam etſi poteſt intelligi, ut in talibus, *negotium, fama* autem per ſe de dignitate accipi poſſit, ut ap. Virgil. Aen. IV. 170. et Catonem ipſum L. IV. D. 47. tamen iſta ratio huic loco minime apta eſt. Haec fere habuimus, quae de nova hac Diſtichorum Catonis editione diceremus. De Hiſtoria autem eorum critica, proxime erit dicendi facultas.

BIBLIOTHECA, SIVE SUPELLEX LIBRORUM impreſſorum in omni genere ſcientiarum, maximam partem rariſſimorum, et codicum manuſcriptorum, quos per plurimos annos collegit, iuſto ordine diſpoſuit, atque notis litterariis, ut hiſtoricae bibliognoſiae opes aliquantulum augeantur, illuſtravit ADAMUS RUDOLPHUS SOLGER, Miniſterii eccleſiaſtici Norimbergenſis Antiſtes etc. Cum praefatione, tam in proſa, quam in ligata. Accedit index auctorum. PARS I.

Norimbergae 1760. ſumt. Io. Andreae Endteri, plagg. 14. in 8vo.

Satis ipſe huius libri titulus Lectores noſtros docebit, quid illo contineatur, et quare nos illius mentionem faciamus, qui alias Catalogos librorum alto ſilentio praeterimus. Poſſeſſor huius Bibliothecae, adhuc ſuperſtes, eam ob cauſam hunc catalogum ipſe edidit, ut et cupiditati quorundam, qui rei litterariae ſtudio teneantur, atque bonorum et rarorum librorum cognitionem ſibi acquirere cupiant, ſatisfaceret, et una caveret hoc modo, ne concinnatio catalogi poſt mortem in manus ineptas incidat. Hoc primo Volumine exhibentur libri, in folio, ut aiunt, impreſſi, quibus codi-

Digitized by Google

codices omnes manuſcripti, membranacei atque chartacei, cum auctorum indice, adiuncti ſunt. Quod ad codices attinet, ut cum Homero ὕστερον πρότερον faciamus, nullum quidem in illis auctorem Graecum aut Latinum invenimus, ſed notandi nobis prae aliis videntur ſequentes: praeter Gellium, Biblia Hebraica, in membrana formae regalis, accurate et nitidiſſime ſcripta, literis maioribus quadratis, punctis vocalibus recentiori manu additis, ſubiecta etiam Maſora magna et minori, ſeptem maximae molis voluminibus conſtans codex, antiquiſſimus, ſplendidiſſimus, abſolutiſſimus, cui nihil deeſt; ſub finem leguntur ſequentia verba, Rabinico idiomate expreſſa: ego ſum Sabthai Scriba, qui ſcripſit hanc Scripturam, et Chaldaicam verſionem, ad Dominum Moſen Rapa, cuius memoria ſit in benedictione, et ad finem perduxi ao. LI. (id eſt ao. Chriſti MCCXXXVI.) etc. Porro occurrit codex in quo prophetae maiores et minores Vet. Teſt. cum quibusdam libris Apocryphis, ex verſione LXX. interpretum, cum commentario, litteris rubris Graecis in margine: chartaceus eſt, orientalium more, charta turcica, uti liber Arabicus, Alcoran dictus, nitidiſſime ſcriptus et bene habitus: denique Teſtamentum novum, Graece et Latine in Academia Complutenſi a. 1514. impreſſum. Hanc editionem Vir Cl. principem vocat, quae omnium prima typis impreſſa, ſtupendae ſit raritatis, et hinc MSS. adnumeranda. Quod ad libros impreſſos attinet, Editor hunc ordinem obſervavit, ut hac prima parte ſequentes proponeret: Codices biblicos impreſſos: concordantias biblicas et Lexica biblica, tam verbalia quam realia: commentatores et gloſſatores biblicos, et Exegetas: libros homileticos: libros morales et aſceticos: libros dogmatico - polemicos: ſcriptores caſuiſticos: libros Miſcellaneos Theologicos, vel Operum collectiones: libros hiſtoricos, et quidem hiſtoriae eccleſiaſticae, eiusdemque patres eccleſiae Graecos et Latinos: ceteros ſcriptores hiſtoriae eccleſiaſticae: ſcriptores Ceremoniarum, Liturgiarum, et Rituum Eccleſiaſticorum: ſcriptores hiſtoriae politicae et civilis, univerſalis et particularis, inter-

que

que hos diplomaticos: ſcriptores hiſtoriae litterariae, antiquitatum Graecarum et Romanarum, Geographicos et Topographicos, Genealogicos et Heraldicos: nummarios, Philoſophicos Graecos et Latinos: Lexicographos: Epiſtolographos: libros paradoxos et fanaticos varii generis: libros miſcellaneos, maximam partem philoſophicos et hiſtoricos: libros iuridicos, ius civile, publicum, ſtatutarium, et deductiones continentes: libros Medicos, et ſcriptores hiſtoriae naturalis, atque Aſtronomiae etc. Sunt profecto, id quod nemo, vel aliquot plagulas perluſtrans, negabit, in hoc catalogo libri ſplendidiſſimi, opera perrara, editiones librorum perantiquae et rariſſimae. Adſperſit vero etiam Vir Cl. ſubinde animadverſiones quasdam, in quibus varia monet non iniucunda lectu. Speramus igitur fore, ut labor, a doctiſſimo huius bibliothecae poſſeſſore ſuſceptus, iis utiliſſimus et gratiſſimus ſit futurus, qui hiſtoriae litterariae librorumque rariorum cognitionem appetant.

STYLIANI MASTRACAE, CORCYRENSIS, ICTI, et in Patavino Gymnaſio Anteceſſ. Orationes quatuor.

Venetiis 1759. pag. 80. in 4.

Cum Auctor onus ſibi demandatum, docendi Iuris Civilis Iuſtinianei, in celeberrimo antiquiſſimoque Gymnaſio ſuſciperet, ea praefatus eſt in prima Oratione, quae ad *Auctoritatem atque uſum* eiusdem Iuris in Italia pertinerent. Eam principio fuiſſe probat auctoritatem, quam ei ab ipſo Legum latore Iuſtiniano impertitam fuiſſe in Italia, quae ſui iuris erat, ex pragmatica ad Vigilium Pont. R. conſtat. Quamvis autem plures deinceps gentes ea potiti ſint, plurimasque invenerint leges; illud tamen ius ſemper invaluiſſe, collectis melioris fere cuiusque ſeculi ſcriptoribus, A. demonſtravit. Aeque negotium faceſſit quorundam ſententia, exiſtimantium, ubicunque his ſeculis de Iure Romanorum mentio fiat, de Codicibus Theodoſiano, Grego-

riano,

riano, et Hermogeniano, ac de Caii et Ulpiani Fragmentis intelligendum. Praeter enim quam quod Auctores allati diſerte de Pandectis, et Codice Iuſtiniani loquantur, pleraſque etiam ex iis leges, non minus atque in Inſtitutionibus, et Novellis Conſtitutionibus afferant; fieri non poſſe putatur, ut ſemel principali auctoritate introductum ius illud, nullo iubente, in deſuetudinem abierit. Quinimo et aliis Imperantibus, uſu quodam et conſuetudine, tam ante, quam poſt Lotharium, invaluiſſe exiſtimandum eſt: cum Pepo et Irnerius ante ipſum illud interpretari aggreſſi ſint, quo tempore nondum de Florentini Voluminis inventione quisquam ſuſpicatus eſt; et nec aliquod Lotharii edictum ab aequalibus Hiſtoricis afferatur, quo novam ei auctoritatem praeſtaret. Italiae itaque civitates hoc iure potiſſimum regebantur: quo factum eſt, ut, cum ipſae Leges condere inciperent, ad illud confugerent in iis rebus, de quibus nihil ſtatuiſſent. Ex quibus conſequitur, eius uſum noſtris quoque temporibus omnino neceſſarium, cum iisdem municipalibus Legibus eaedem civitates utantur; ſed modum adhibendum eſſe, quod eſt alterum in hac oratione propoſitum. Etſi vero Corpus hoc Iuris Iuſtinianei, prae ceteris, ordine, copia, prudentia, ſapientiaque polleat: non caret tamen ſuis naevis, et utique laborat obſcuritate. Ad quae tollenda cum quoque tempore plures Clariſſimi Viri inſudarint; eorum opera utendum eſt, ut primum ad meliorem ordinem redigatur, tum ut quae contraria videntur ratione concilientur, quae obſcura deſuetudine, vel Iurisconſultorum Fragmentis, in eo disiunctim contentis, illuſtrentur; deinde ut Legum origines, rationesque, ex moribus Pop. R. eruantur, verba explicentur: tandem ad Leges principes, quae naturae leges ſunt, expendantur. Scriptores hic etiam recenſentur, quibus uti convenit: non enim veteres, aut recentiores ſolum praeferendi, ſi quidem alii iuris condendi, alii iuris conditi rationes et momenta dare poterunt. Hanc viam interpretandi Auctorem ſequutum fuiſſe, ex ſecunda Oratione palam eſt, quae de *ſtipulationis origine et natura* diſſerit.

Ab

Ab humana ſocietate originem ſumit, quam benevolentia conſtitutam fuiſſe putat. Cumque in ea alii aliquibus rebus egerent, quibus alii abundarent, ideo permutatio celebrari coepit. In ea conſenſus exprimendus, et aequalitas ſervanda, ſive aequitas, quae niſi interfuiſſent, ſocietas ipſa dirempta fuiſſet; namque adhibenda vis, ſocietati adverſaria. Tum autem dominium rei in alterum tranſibat, cum res alterius ab altero manu capiebatur, ſi mobilis; uſu autem, ſi immobilis. Ex quo duo adquirendi modi, *manucapio* vel *mancipatio* et *uſucapio;* ex his oriebatur *nexus*, quo res animatae ligabantur, ut ducerentur ab eo, qui adquiſiviſſet. Haec omnia conſenſum ſine verbis ſignificabant; aequalitatem vero rerum ipſarum appenſio. Poſtquam autem res lingua nuncupari coeperint apud Romanos, Iuris naturae tenaciſſimos, formulae quoque retentae; quae tamen poſtea ſublatae ſunt, et verbis tantum obligationes firmabantur. Ex iis genuina mancipationis, uſucapionis, et nexus, et rerum mancipi et nec mancipi, explicatio deſumitur, quae Clariſſ. Virorum torſit ingenia, ſimulque ſtipulationis origo et natura invenitur; a naturali, ſive ipſius ſocietatis iure deſumpta, a civitatibus ad formam redacta, ut et iuris gentium, ſive naturalis, et civilis a Iurisconſultis Romanis, dici potuerit. Eodem quoque ordine in tertia Oratione, quae de *dominio maris* eſt, Auctor progreditur. Enarrata enim brevi huius quaeſtionis cauſſa et origine, et recenſitis praecipuis contrariarum ſententiarum auctoribus: omnia primum natura communia ponit; deinde illud probatur, quae in terra, ac ſolo, proprietates atque affectiones dominium eius adquirere ſinunt, eas omnes in mari ineſſe. Fructus ad vitam ſervandam utrinque apti, ac parati, nec minus itinera neceſſaria. Siquidem diverſo modo percipiantur fructus terrae ac maris; alio quoque modo dominium adquiratur neceſſe eſt. Aſt unus poſſidendi modus apponendus; namque in ſocietate, in qua vis abeſſe debet, quisque etiam animo poſſidet, et in cuſtodia affectio eius qui poſſidet ſpectatur. Huius vero dominii exempla a remotiſſimis ſeculis deſumuntur, et

 bre-

Digitized by Google

brevis dominantium populorum hiſtoria recenſetur. Denique, quod Iurisconſulti Romani aiunt, commune omnium mare eſſe, ita explicatur, ut ad eos pertineat, qui ſub eodem Imperio, diverſo tamen iure, utebantur. Reſtat quarta Oratio, quae *de fontibus iuris civilis* nuncupatur. De Iudiciorum praeparatoriis diſſerendum erat Auctori, quae praeparatoria ſaepius in iure civili immutata, propterea quod ius ipſum mutabatur, et pro vario Reipublicae ſtatu in varias abiit formas. Ius enim rigidum et aſperum adverſus plebem ſub Regibus, qui mandata Patrum exequebantur, Tabulis decemviralibus, et multo magis edictis Praetorum mitigatum, quod tam publica, quam privata iura Patrum pene omnia plebi communicata, libertatem civilem plebi confirmavere; quare in formulam tranſiit, quod antea, ut ſcriptum, exercitum fuit. Sublatis tandem Ordinibus, ſub Imperatoribus Reſponſa Prudentum, SCTa, principum placita, aequius humaniusque ius civile reddiderunt, quale in Collectione Iuſtiniani habemus, ut abolitis etiam formulis in tota Iurisprudentia idem in praeparatoriis iudiciorum uſu venerit, quae pars Iuris Civilis ſunt.

CATALOGUS CODICUM MSS. BIBLIOTHECAE Bernenſis, annotationibus criticis illuſtratus: addita ſunt ſpecimina ſcripturae ex codicibus variae aetatis, tabulis ſculptis exhibita, et praefatio hiſtorica: curante I. R. SINNER, Bibliothecario.

Bernae 1760. ex offic. typograph. illuſtr. reipubl. Alph. 1. plagg. 18. in 8vo. accedunt tabulae ſculptae quatuor.

Magna ſemper fama floruit Bibliotheca Bernenſis, inter nobiliſſimas Europae relata: nec immerito. Sunt enim in hoc aeternitatis gremio plurimae divitiae reconditae, munifica Bongarſii, Danielis, Graviſſeti, aliorum, manu collatae: ſunt multi libri manu exarati, rari, egregii, et quorum ope veteres auctores et illuſtrare bene, et feliciter emendare poſſis. Quare grati Cl. *Sinneri* beneficium agnoſcimus,

Digitized by Google

ſcimus, illiusque una in hoc negotio diligentiam et doctrinam laudamus. Omnem vero librorum congeriem Vir Cl. in *quatuor* claſſes diviſit, atque ſuae claſſi ſingula opera ita attribuit, ut ad ordinem Alphabeticum libros poneret. *Prima* claſſis continet codices bibliorum, atque omnes omnis generis libros, qui ad Theologiam ſpectant. Inde hoc loco ſcripta quoque Muhamedanorum et Iudaeorum exhibentur, quae doctrinam religionis complectuntur. Occurrunt in hac claſſe multi codices, libros Auguſtini, Patrum, et aliorum eccleſiae doctorum, habentes. Poterit etiam clariſſimus *Alcuini* editor fortaſſe hinc aliqua ad ſplendorem editionis, quam avide exſpectamus, augendum repetere. (v. p. 3. p. 174. et p. 346.). Biblia latina Hieronymi ſaepius occurrunt, neque minus frequenter calendaria eccleſiaſtica, e quibus commemoramus codicem ſeculi X. exhibentem calendarium ſanctorum, cum obſervationibus aſtronomicis, et computo dierum, noctium, horarum, praemiſſis ſingulis menſibus verſibus, hercle! non bonis. En tibi initium! (p. 38.).

Principium Iani ſancit Tropicus Capricornus,
Aſt Februi quarta eſt, precedit tertia finem,
Martis prima necat cuius ſub Cuſpide quarta eſt
Aprilis decima eſt undena et fine minatur
Tertius in maio lupus eſt et ſeptimus anguis.

Verum ohe! iam ſatis eſt. Porro memorabile eſt aliud Calendarium, ubi dierum Aegyptiacorum mentio fit; qua occaſione Cl. Editor fragmentum, ad calcem Chronici cuiusdam Imperatorum et Pontificum ſcriptum, proponit, atque inde dies Aegyptiacos enumerat. Enumeratis his diebus in codice additur: *Hic dies obſervandi ſunt, ne in itinere exeas, non vindemia colligas, non plantetur, non vendatur, nec Animalia domitetur, nec quod volueris in profectum venire, inſuper ſcriptos dies nullatenus incipiatur, quia hi dies a domino maledicti ſunt.* Hinc enim bene Noſter apparere dicit, dies Aegyptiacos eſſe atros et infauſtos, atque reiiciendam eſſe Iablonskii coniecturam, eos ad dies feſtos et ſolemnitates religioſas Aegyptiorum pertinere. Referri debere hos dies ad ſuperſtitio-

 nes

nes Aſtrologiae, neque miram videri varietatem in horum dierum enumeratione, quae tota ab incertiſſima Magorum arte pependiſſet. Neque omittendum eſt Euſebii Chronicon, Hieronymo interprete, ſeculi octavi; ubi obſervat Noſter, inter hunc codicem et Scaligeri editionem eſſe differentiam aliquam, atque ſimul variantes quasdam lectiones proponit. Copioſe agit Vir Cl. de codice quodam ſeculi decimi quinti, cuius eſt hic titulus: *le quatrieme et le cinquieme Livre de la Forteresse de la Foy*, et cuius in fine haec adſcripta ſunt: *Le preſent Volume a eſté translaté de latin en françois par Pierre Richart, dit l'oiſelet, Preſtre et Curé de marques.* Unum addamus. Exhibetur ab Editore (p. 98.) titulus libri hic: *Le fameux livre de trois Impoſteurs.* Noſter, qui librum hunc partum ſec. XVII. eſſe dicit, ex praefatione hiſtoriam commemorat illam, quam iam *Krauſius* ex epiſtola Gallico ſermone ſcripta iisdem verbis expoſuit, et quam ideo omittere potuerat. Sed videtur hoc ignoraviſſe. Narratur vero, quomodo hic liber in manus Frechtii venerit. Fortaſſe non iniucundum erit lectoribus noſtris, capitum operis totius indicem cognoſcere. Nos igitur illum latinis verbis repetemus: c. 1. de deo: 2. de rationibus, quibus adducti homines ſibi finxerint ens inviſibile, quod vulgo Deum vocant: 3. de eo, quod Deus eſt: 4. quid ſignificet verbum religio, et quomodo, quibusque de cauſis, tot in partes ſe in mundo diſperſerit: 5. de Moſe: 6. de Moſe: 7. de Ieſu Chriſto: 8. de politica Ieſu Chriſti: 9. de doctrina morali Chriſti: 10. de divinitate Chriſti: 11. de Mahumede, et triſti fine trium impoſtorum: 12. de religionibus: 13. de divinitate religionum: 14. de diviſionibus Chriſtianorum: 15. de ſuperſtitioſis, de ſuperſtitione, et de credulitate plebis: 16. de origine monarchiarum: 17. de legislatoribus et politicis, et quales ſe quoad religionem praebeant: 18. veritates ſenſibiles et evidentes: 19. de anima, quid illa ſit: 20. de ſpiritibus, quos daemones appellamus. In fine libri adſcriptum eſt: *Permittente Domino Barone de Puffendorf deſcripſi hunc codicem ex autographo Bibliothecae Sereniſſimi Principis Eugenii Sabaudiae.* Sed quid prohibet, initium primi

Digitized by Google

primi capitis huc transferre, et Gallice quidem, ut de ſcribendi genere iudicari poſſit: *Quoique il importe à touts les hommes de connoitre la verité, tres peu neanmoints la connoiſſent, parce que la plu part ſont incapables de la chercher d'eux memes, ou plutot ils ne veulent pas s'en donner la peine, ainſi il ne faut s'etonner ſi le monde eſt rempli d'opinions ridicules, rien n'etant plus capable de leur donner cours que l'ignorance.* Plura qui ſcire cupiat, ipſum librum evolvat. Nos quidem iis, quae ab Editore excerpta legimus, confirmati ſumus in dudum concepta opinione, non dignum eſſe hunc librum futilem, ut tot viri docti tam curioſe in auctorem illius inquirerent, ut tot libris editis diſputarent, utrum inveniatur re vera, an fictus tantummodo ſit, ut denique tam diligenter de argumento libri exponerent. Venimus ad *alteram* claſſem. Haec continet ſcriptores quos claſſicos dicunt, Latinos et Graecos, quique ante Caroli M. tempora vixerunt. Huc etiam Editor retulit ſcriptores Grammaticam, Hiſtoriam, et Philoſophiam explicantes, alioſque, quorum varia ſcripta in varias claſſes diſtrahere inutile fuiſſet, ut e. c. Boetii, Iſidori, Caſſiodori. Habet profecto haec claſſis ſplendidas opes, quibus Critici bene ad litterarum ſtudia promovenda uti poterunt. Nos praecipuos aliquot codices laudabimus. Codex chartac. Sec. XV. de Amphitrione carmen Elegiacum, cum gloſſis marginalibus. Initium eſt:

Graecorum ſtudia nimium quam diuque ſecutus
Amphitrion aderat, et ſibi geta Comes.
Intrat ad Alcmenam ficto Saturnius ore etc.

Apuleii aliquot ſcripta: Claudii Caeſaris Arati Phaenomena e Sec. X. Boetii varia monimenta: duo codices ſec. IX. et X. Marciani Capellae de nuptiis Philologiae et Mercurii libri, cum gloſſis marginalibus: Ciceronis ſcripta varia: Daretis Phrygii hiſtoria de excidio Troiae, multis numeris diverſa ab editione Daceriana: Epicteti Enchiridion: Gellii Noctes Atticae, bis: Gloſſaria complura: Grammatici Latini, multis in locis diverſi a Putſchiana editione: Gualtheri Alexandreis, quater: Chronographia, ſ. hiſtoria ab orbe condito usque ad Nicephorum Botaniatem, graece, cuius titulus hic eſt: Βιβλίον περιέχων χρονογραφικὴν ἐξήγησιν ἀπὸ κτίσεως κόσμου

κόσμȣ μέχρι Διοκλητιανοῦ τοῦ βασιλέως: καὶ ἀπ' αὐτȣ̃ ἄρχεται τὸ δεύτερον βιβλίον ἕως τῆς βασιλείας Νικηφόρȣ τοῦ βοτανιάτη; codex eſt membranaceus e ſec. XVI. Horatii codices complures: Ioannis de Garlandia dictionarius liber de dictionibus obſcuris, opus proſaicum cum gloſſis: Inſtitutiones Iuſtinianeae: Iuſtini hiſtoria, et Iuvenalis Satirae: Io. Damaſceni Lexicon graecum: Lucanus cum Scholiaſta inedito: Ugutionis, ſive Eugecionis Vocabularium, cuius Cangius in praefatione Gloſſarii mentionem facit: Perſii Satirae ſaepius: Gloſſae in Senecae Tragoedias ineditae: Sylloge tacticorum Leonis Imperatoris, diverſa prorſus ab opere eiusdem vulgato, et a Io. Checo latine edito: Virgilii codices complures, et alia. Nos duo tantummodo huc ex animadverſionibus Cl. *Sinneri* transferemus. Eſt in bibliotheca Bernenſi codex membranaceus ſec. IX, Lucani Pharſalia exhibens. In eo librum Lucani decimum excipit *Oreſtis Tragoedia.* Hoc carmen, ait Noſter, heroicis verſibus editum ao. M circiter, auctoris ignoti, certe Lucani non eſt, nec illi coaevum, quod ſatis arguit carminis ratio. Initium eſt:

Gaudia moeſta canam deteſtandosque triumphos
Victoris pro laude necem, feſtiva cruenta.

Tum poeta hiſtoriam Oreſtis, inde a morte Agamemnonis repetens, usque ad Areopagi iudicium perſequitur, et caedem Clytemneſtrae his verſibus deſcribit:

Aſt ubi nil potuit mulier de prole mereri
Mox redeunt animo frigiae praeſagia vatis
Si placet ulciſci genitorem, dixit, in ambos
Piladis me dextra necet, necet enſis et idem
Et ſuper oſſa ruam recedens ſpirantis Egiſti
Et ſcelerum complex et noſtri criminis auctor.
Mixtus uterque cruor teſtabitur omnibus umbris
Conſortes ſcelerum quia ſors manet una malorum. —
Dixit, et ad patris veniens dat verba ſepulcrum
Sancte parens quia ſenſus iners et ſpiritus extat
Accipito inferias quas offero, victima iuſta eſt
Macto Clitemneſtram matronam regis Egiſti.
Atque utinam non ante tuam! etc.

Non

Digitized by Google

Non deeſſe nobis videtur vigor et vis poetae. Mentionem facit Noſter alius codicis membranacei ſec. XII. qui multa habet ſcripta ſuppoſititia, eaque Ovidio tribuit. Primum eſt: *Parve pulex et amara lues inimica puellis etc.* In margine ſcriptum eſt: *Quartus liber.* quaſi hoc carmen ſit quartus liber librorum de Arte amandi, qui hoc codice continentur. Sequitur liber quintus, in cuius fine: *Explicit liber Ovidii de pediculo.* Adſcribamus particulam:

Lente ſub undanti ſub veſte pediculus ecce
Atque cutem ruppit, ſuxit, et intumuit.
Quem poſtquam ſenſi, nam me ſentire coegit,
Admovi digitum, qui cito cepit eum,
In lucem ductus metuens puto pollicis ictus
De digito cecidit lubricus et latuit etc.

Sequitur liber VI. in cuius fine legitur: *Explicit liber Ovidii de Anulo* (annulo.) Initium eſt:

Annule formoſae digitis iuncture puellae
In quo cenſendum nil niſi vatis amor.
Munus eas gratum te laeta mente receptum
Protinus articulis induet illa ſuis.
Felix a domina tractaberis annule noſtra,
Invideo donis iam miſer ipſe meis,
O utinam ſubito fieri mea munera poſſem
Artibus Eois, Capaciique ſenis,
Tunc egomet dominae cuperem tetigiſſe papillas,
Et laevam tunicis inſeruiſſe manum.
Haererem digito, quamvis anguſtus et baerens,
Inque ſinum mira lapſus ab arte cadam etc.

Hunc excipit liber VII. in cuius fine ſcriptum eſt: *explicit liber Ovidii de medicamine aurium.* Primi verſus ſunt hi:

Haec non diſplicet quae ſit ſine corpore parvus
Hortulus iſte brevis mitia poma gerit,
Plurima doctorum ſunt hic experta priorum
Hic lector ſumas, quae meliora putas
Materies monſtrat tibi, quae medicamina conſtant
Teque quod amplecti quodque cavere decet.

Sequuntur libri octavus et nonus: ille habet poemation de Cuculo, a Goldaſto; hic Ovidii ſomnium: *nox erat et ſomnus laſſos ſubmiſit ocellos*, a pluribus editum. Verum haec hactenus. Obiter notamus, longe pluribus Codicibus bibliothecam Bernenſem inſtructam eſſe, qui ad Latinas, quam qui ad Graecas litteras pertineant. *Tertia* claſſis habebit opera hiſtorica, a Caroli M. aetate usque ad recentiora tempora, atque in his multa, quae hiſtoriam expeditionum in terram ſanctam illuſtrent. *Quarta* exhibebit omnia, quae ad ſcientias, ad

artes

artes liberales, ad cognitionem omnium linguarum pertineant. Harum claſſium editionem adhuc a Cl. *Sinnero* exſpectamus. Dicendum nunc eſt, quomodo Noſter in hoc catalogo contexendo verſatus ſit. Nobis quidem, ſi quid ſentiamus libere dicendum eſt, laborem ſuſcepiſſe videtur, qui non tam magnum ſplendorem et eximiam pompam habet, quam cum magna utilitate, ſumma aſſiduitate, et improbo quaſi labore coniunctus eſt. Atque etiam arbitramur, multo facilius grande volumen, quam huic catalogo ſimilem librum confici poſſe. Hoc cuivis ipſum librum accuratius conſideranti, et moleſtias, quas in excutiendis codicibus devoramus, non ignoranti, minime dubium erit. Definivit vero Vir Cl. ſingulorum codicum aetatem: materiam et formam paucis deſcripſit, particulas ſubinde aliquot excerpſit, et obſervationes non iniucundas lectu adſperſit. Sic p. 146. *verſus de Herico* primum ab Abbate *le Boeuf* editos, e codice iterum edit, additis emendationibus, obſervationibusque, e Geographia et Hiſtoria veteris aevi repetitis. P. 180. copioſe recenſetur codex continens Regulas Monialium ordinis Praedicatorum Monaſterii in Brunnaderen ſ. inſula S. Michaelis prope Bernam, additis privilegiis eidem ordini ab Imperatoribus conceſſis, et aliis documentis. Sunt enim in hoc codice multa, quae ad hiſtoriam Bernenſem illuſtrandam ſpectant. Accurate agitur p. 206. ſeq. de Magiſtri Petri Riga et Egidii bibliis, verſibus editis: et p. 215. de Sanctae Mariae et Infantiae Salvatoris geſtis. P. 245. totam inſeruit narrationem de aſſumptione vel tranſitu b. Mariae, quae auctorem praefert Ioſephum ab Arimathea. Hoc ſe ideo feciſſe dicit, ut viri docti, quibus ſimiles narrationes excutere contingat, eas cum hac conferre poſſint: nam Lambecium etiam in Biblioth. Vindob. Commentariis eiusdem argumenti narrationem ſub Iacobi Apoſtoli nomine laudare. P. 280. varia eduntur fragmenta e Phaenomenis Arati, quae in Grotiana editione deſiderantur. Porro p. 300. ſeq. bene meretur Noſter de Marciano Capella. Nam e codicibus Bernenſibus varias lectiones atque gloſſas, a Grotio atque Vulcanio omiſſas, profert, adſperſis ſuis obſervationibus. P. 376. adnota[illegible] differentias, quas inter Faſtos Conſulares Noriſianos et Bernenſes [illegible]rvavit. In recenſione Gloſſariorum Latinorum multa ſpecimina excerpſit; quemadmodum etiam p. 511. ex Lucani Scholiaſtis. Petronii Arbitri Satiricon ex editione Burmanniana contulit Noſter cum codice membranaceo ſeculi X. atque varias lectiones a p. 558. usque ad p. 574. exhibet. P. 621. occurrit Marii Victorini de grammatica et metris liber. Idem fere ait Noſter eſſe opus, quod Putſchius inter Grammaticos p. 1938. ediderit, etſi titulus huius codicis alium auctorem indicet his verbis: *Incipit Audacis de Scauri et Palladii libris excerpta per interrogationem et reſponſionem.* Auctior hic codex eſt editis, atque indicantur ab Editore, quae in aliis deſiderentur. Adnotavit quoque ſemper Noſter, cuius fuerint recenſiti codices, utrum Bongarſii, an Danielis. Denique in quatuor Tabulis ſculptis ſeries ſcripturarum a ſeculo VI. usque ad XIV, ex variis codicibus depromta, exhibetur.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Februarii Anno MDCCLXI.

CORPUS IURIS GERMANICI PUBLICI AC PRIVATI, hactenus ineditum, e Bibliotheca SENKENBERGIANA emiſſum, et praefamine ipſius ſplendidiſſimi poſſeſſoris ornatum. TOMUS I. exhibens Partem I. et II. *quarum argumenta tabula cuivis praefixa indicat. Curavit, edidit, atque indices commodos adiecit, GUSTAVUS GEORGIUS KOENIG de KOENIGSTHAL, diverſor. Principp. ac Statuum Imp. a ſanctioribus conſiliis, nec non liberae reipublicae Norimbergenſis Conſiliarius primarius.*

Francofurti ad Moenum 1760. apud Iohannem Aug. Raſpe, in fol.

Perilluſtris Baro *de Senkenberg*, Vir in tantum laudandus, in quantum conſumatiſſimae doctrinae, atque eruditionis fama celebrari merentur, ſitim, qua diu arſimus, tandem exſtinxit, fontibus, unde ius medii aevi manavit, liberaliter apertis. Quo quidem munere tanto maiorem init gratiam, quo magis noſtra intereſt, depravatas iniuria temporum ſanctiones purgare vitiis, rebus vero obſcuris claram lucem affundere. Cum ipſa praefatio totum opus praeclare illuſtret, noſtrum erit, iucundiſſimos ex ea fructus decerpere, avidique lectoris deſiderium, quantum patitur inſtituti ratio, hiſce dapibus ſatiare. Altius repetit §. 3. Vir perill. origines iuris Caeſarei, quod, etſi omne ius Imperatorum

rum auctoritate vel conditum, vel receptum ſignificat, tametſi in primis ius Germanorum ſcriptum declarat. In Dania adhuc omne ius ex Germania petitum hoc nomine appellari, §. 5. teſtatur. Quo etiam nomine ſpeculum Alemannicum dictum eſt, propter inſignem, qua ubique floruit, auctoritatem, cuius initia idoneis motus argumentis, §. 8. ad annum 1160. retulit. Auctorem iuris Caeſarei non nominat, leges tamen Conradi II. in eo exſtare, atque ex morum ſimplicitate antiquitatem apparere, §§. 11. 12. 13. 14. rectiſſime colligit. Diſſentientis Koppii opinionem §. 15. excutit, ſimulque §. 16. monſtrat, Francos iure haud ſingulari, uti multi opinati ſunt, ſed communi fuiſſe uſos. qua doctiſſimi Viri ſententia vehementer delectamur. Gruberus, ſaeculo decimo tertio conditum fuiſſe exiſtimavit; cuius vero argumenta, non minus ac Claprothi §§. 18. 19. repudiantur. Improbatur quoque Perill. Auctori Carol. Gottl. Knorrii coniectura, quam §§. 20. 21. docte imminuit. V. C. Io. Chriſtoph. Rudolpho ius Caeſareum ex capitularibus et legibus Bavaricis arceſſenti, §. 23. reſpondetur. In Wichtii opinionem §. 24. inquiritur, cuius vero rationibus vix ſubſcribendum eſſe, A. arbitratur. Expoſitis diverſis ſententiis, §. 25. ſubſidia, quibus inſtructus hocce opus aggreſſus eſt, ſigillatim enarrat. Uſus eſt variis codicibus manu deſcriptis, Eſchwegenſi, Colonienſi, Ulmenſi, Oſnabrugenſi ſive Eybeniano, et Guelpherbytano, quorum tam virtutes, quam vitia, §. 25. ſeqq. diligenter animadvertuntur. Dolet deperditos, latentes adhuc luſtrare avet. Porro auctoritatem iuris Caeſarei confirmat, quam quidem uti apud omnes Germaniae nationes, ita praecipue apud Tremonienſes, Luneburgenſes, Francofurtanos, Colonienſes, Auguſtanos, Viennenſes, viguiſſe, ex horum ſingulis iuribus apte §. 36. ſeqq. infert. De erroribus §. 45. exponit, atque iis, qui in iure Caeſareo ſtyli veneres, vel ordinis concinnitatem, codicumque conſenſionem deſiderant, §. 46. ſq. ſatisfacit. In primis vero peſtiferas quorundam opiniones, parum honorifice de iure antiquo ſentientium, §§. 50. 51. refellit, a quibus ut noſtri

in

in poſterum abhorreant, optabile eſt. Iam capita iuris Caeſarei §. 52. ſeqq. amico vinculo copulat, eorumque ſummam exhibet. Primo modum procedendi, cum in civilibus 52 - 60. tum in criminalibus 60 - 65. indicat. Deinde §. 65 - 71. iura perſonarum cum ſtatu civili coniuncta; §. 72 - 75. iura dominii, eiusque adquirendi modos, perſequitur. Iuris Colonarii notitiam §. 76 - 80. tradit. De ſupremis iudiciis, iureque hereditario conſulas §. 80 - 87. Compendiariam ſcientiam iuris publici monſtrat §. 87 - 92. Rem feudalem §. 93 - 98. delineat. Primas cum iuramenti purgatorii, tum aliarum rerum origines, in hoc iure quaerendas, §. 99. docet. Quam curam in evolvendis quinque codicibus poſuerit, §. 100. refert, deque labore Grashofii V. C. cuius induſtria gloſſarium acceſſit, §. 103. iuſtam pronuntiat ſententiam. Haec hactenus de iure Caeſareo. Edidit ſecundo ordinem iudiciarium iuris provincialis, ſive *Richtſteig Landrecht*, lingua Germanica atque Latina. Prima huius libri ſtamina ſaeculo decimo ſecundo ducta fuiſſe, §. 104. affirmat. Vulgo quidem creditur, hunc ordinem Saxonibus tantum inſerviiſſe; a qua opinione Auctor diſcedit, contraque §. 105. ſtatuit, et Francos ad eum ſua iudicia direxiſſe. Non poſſumus non hic laudabilem Senckenbergii praedicare curam, cum quinque codices, peritiſſimo antiquitatum arbitro, laudato antea Grashofio, conceſſerit, qui non modo lectionis varietatem aſperſit, verum etiam in ſermonem latinum ſcienter convertit. Codices ipſos §. 107 - 111. commemorat, ſcilicet Eybenianum, Berleburgenſem, Gunderrodianum, Darmſtadinum, Luneburgicum. Cum hoc coniunctus eſt a praeſtantiſſimo Viro ordo iudiciarius feudalis, ſive *Richtſteig Lehnrecht*, e codice quinto expreſſus, latinaque verſione a V. C. Kneuſelio auctus, cui ſubiunctas vides interpretationes Grashofii, multa eruditione refertas, tamque iuri Caeſareo, quam ordini iudiciario intelligendo, admodum idoneas. Praefatione praetermiſſa, mantiſſa documentorum p. 85 - 124. inſerta eſt, quibus Auctor perill. magnam praefationis partem ſuperſtruxit. De ipſo iure Caeſareo copioſius dicere vix

 neceſſe

neceſſe videtur. Id tamen haud praetereundum exiſtimamus, quod hic origines vidualitii p. 2. c. 51. 52. iura foreſtariorum c. 59. abſtagii c. 80. antiquitatem agnoſcimus. Nec commendatione eget ordo iudiciarius, cum hic procuratorum munera, actionum partitiones, agendi excipiendique modos, varia interrogationum genera, omnem denique diſceptationis tractandae rationem, luculenter deſcriptam intuemur. Placet praecipue L. III. quo modus lites feudales finiendi ſapienter praeſcribitur. Tandem Koenigium quoque de Koenigsthal V. ill. bene de lectoribus meritum fuiſſe iudicamus, propterea quod non modo in univerſo opere apte digerendo verſatus eſt, verum etiam indices reales diligenter contextos adiecit.

PARTE egregii Operis ALTERA, quod inſtituit illuſtris Senkenbergius, (nimirum, ut inchoatum Iuris Germanici corpus plenius perficeret, atque eo fini ſcienter varia membra undique diſperſa colligeret, quo apta partium compoſitione corpus efficeret pulchrius,) id iam intelligentiſſime continuat. In Praefatione ſummam libri, in brevi veluti tabella depinxit Ill. Senkenbergius, quam propius intueri iuvabit. Ad rem iudiciariam clarius illuſtrandam hancce partem in primis eſſe accommodatam, §. 2. monet, quae quantis difficultatibus huc uſque fuerit impedita, neminem fugit. Iurisdictio in centenariam et fundariam §. 3. dividitur, cuius regundis finibus aptiſſimum ſe iudicem praebet. De advocatia eorum, qui rebus imperii praeerant, variaque eorundem iurisdictione, §. 5. exponitur. Ad iura Vogteica refert ius comitatus §. 6. quod cum centena arctiſſime olim cohaeſit; atque ius tertium *das Vertrittheilungsrecht*, quo ſcilicet centenae domini in fundo alieno tertiam feram et tertiam arborem ſibi vindicarunt. Quam damnoſa ſit iurium patriorum ignorantia, luculento exemplo §. 7. probatur. De iure Imperatorum, comitum poteſtatem reſtringendi, §. 8. praeclare A. agit. Iura foreſtorum regiorum, in primis Marcae Budingenſis, Imperatoribus competentia, et naturam mortuarii §. 10. 11. illuſtrat. Quae norma civitatibus in magi-

magiſtratibus creandis obſervata ſit, §. 12. declarat, variosque civium ordines attingit. Haec omnia docte deſcripta legiſſe lectorum intererit, quae quidem ſubiunctis a p. 29-47. documentis optime confirmantur. Additur V) Collectio diplomatica manuſcripta, de rebus civitatum et colonariis, ad illuſtrationem Libr. IV. iuris Caeſarei, quae tanto acceptior harum rerum ſtudioſis videbitur, quo plures vetuſtatis mores explicat. Quaedam hic delibaſſe ſuffecerit. Sic p. 5. diverſos burgenſium ordines, p. 6. operas a civibus exactas, antiquam in ius vocandi rationem p. 10. marcae Budingenſis privilegia p. 11. ſeqq. animadvertimus. Commendamus prae ceteris documentum ordine octavum, propterea quod iudicii haud indicti, (*eines ungebotenen Dinges*), veram indolem, Scabinorum iuramenta, transactionis formulam, varia decimarum genera, aliaque ſcitu admodum utilia proponit. Habent hic Francofurtenſes, unde iurium ſuorum origines petant. Qui vero ſollemnes Scabinorum ſententias cognoſcere cupiunt, hi documento nono ac decimo haud parum delectabuntur. Iudicii alicuius, *Grubengericht* dicti, notitiam ſuppeditat documentum XII, quod quidem rectius *Vrugen-Gericht* ſcribi, non temere coniicit Perill. interpres. Subiungitur VI) Scitum Frigraviorum, ſub Imperatore Ruperto, anno 1405. confectum, eqûe codice manu deſcripto expreſſum. Cum iudiciorum ſecretorum ratio nondum ſatis ſit liquida, haec enunciata vix noſtris praeconiis egent. VII) Reformatio iudicii ſecreti Weſtphalici. Eſt imperante Sigismundo anno 1437. conſcripta, multumque ad iudicia Weſtphalica probe intelligenda facit. In cauſſis potiſſimum Frigraviorum iurisdictioni ſubiectis occupatur. VIII) Codex legum et conſuetudinum iudicii Weſtphalici ſummae ſedis Tremonienſis. Depromtus eſt ex tabulario Nordlingenſi, et iudicio ſagaciſſimi Viri ſaeculo XV. collectus. Sera admota fuit, ne ab iis, qui hiſce ſacris nondum initiati eſſent, inſpiceretur. Omnibus, praeterquam Scabinis arcani iudicii, lectione fuit interdictum. Iam vero laetamur, haec arcana in uſum iurisprudentiae, a Perill. Con-

F 3 ſilia-

ſiliario eſſe evulgata, cum antiquis inſtitutis mirifice inſerviant. Ut enim omittamus, de iuramento, tactis ſanctorum reliquiis, de impedimentis legitimis, multa ineſſe doctis ingeniis digna: id plane non praetereundum, quod tam iudicum liberorum munus, eiusque graviora officia, quam quaeſtiones ad eos maxime pertinentes, p. 91. 98. excutiantur. IX) Ordinatio iudicialis Haſſiaca. Annum prae ſe fert 1455, auctore Ludovico Haſſiae Landgravio condita. Non inutile aut iniucundum erit hic p. 142. videre, qua via in cauſſis hoſpitum diſceptandis proceſſum ſit. Ius pignus capiendi debitoris dominio ſubiectum p. 143. ludendi improbus mos p. 144. ſiſtuntur. X) Annexus eſt liber iudiciarius ſive *Gerichtsbüchlein*, ſaeculo XV, ut videtur Perill. Auctori, compoſitus. Tenuem libellum magnae dixeris utilitatis, cum formulae iuris Romani ſollemniter in iudiciis pronunciandae, patrio ſermone indutae, proponantur. Quibus nominibus tunc honores inſigniti fuerint, ex p. 148. apparet. Acceſſit index rerum praecipuarum hac parte contentarum, diligenter factus, librique uſui accommodatiſſimus. Etſi vero ſcimus, feſtinationem omnem libro tali, qualis hic eſt, noxiam futuram: tamen rei litterariae, atque Hiſtoriae Germanicae inprimis commodo, vehementer optamus, ut videre nobis conſummatum opus brevi tempore liceat.

PLANTARUM AMERICANARUM FASCICULI decem, continentes plantas, quas olim Carolus Plumierius Botanicorum princeps detexit, eruitque, atque in inſulis Antillis ipſe depinxit. Has primum in lucem edidit, concinnis deſcriptionibus et obſervationibus aeneisque tabulis illuſtravit, IOANNES BURMANNUS, M. D. Athenaei illuſtris, et in horto medico Amſtelaedamenſi Profeſſor Botanices, Academiae Caeſareae Naturae curioſorum Socius, Regiaeque Societatis Scientiarum Upſalienſis Collega.

Amſtelaedami, ſumtibus Auctoris, ab anno 1755. ad annum 1760. 1. Alph. 16. pl. tab. aen. CCLXII. in fol.

Non

Non defuerunt quidem Clariſſimi Botanici, qui poſt detectam Americam plantas etiam huius terrarum partis diſquirerent, et deſcriberent; inter eos vero praeſtantiſſimus omnino dicendus eſt *Carolus Plumierius*, anno quadrageſimo ſexto ſuperioris ſeculi Maſſiliae natus. Hic enim licet vitae religioſae ſe devoviſſet, tamen et rem herbariam ſtudioſe coluit, et plantarum amore captus, novasque viſendi deſiderio, ſexies, triplici itinere, infido mari ſe commiſit, immo iam ſexagenarius quartum iter meditabatur, cum Gadibus pleuritide correptus anno huius ſeculi quarto diem obiit ſupremum. Hic certe Tournefortii amicus, qui vere Tournefortius Americanus dici meretur, non tantum plantas exoticas accurate obſervavit, deſcripſit, delineavit; ſed etiam ex veris hiſtoriae naturalis fundamentis diiudicavit, et ad genera et ſpecies reduxit; dignus ideo inventus, qui a Magno Galliae Rege Ludovico XIV. titulum et ſtipendium Botanici regii obtineret. Deſcriptio multarum plantarum americanarum, gallico idiomate, figuris quoque plantarum expreſſis ornata, iam ſeculo ſuperiori, et ſub initium huius ſeculi, et nova plantarum americanarum genera, ad normam inſtitutionum Tournefortii elaborata, et tractatus de Filicibus americanis, gallico idiomate conſcriptus, prodierunt.

Ex his ſcriptis a nobis allegatis merita Plumierii in rem herbariam iam abunde patent, ſed in Bibliothecis Pariſinis academiae regiae ſcientiarum et R. R. P. P. Minimorum, ex quorum ordine erat Noſter, variae plantarum et aliarum rerum naturalium icones et deſcriptiones latent; et miramur omnino, neminem inter Gallorum Botanicos per ſemi ſeculum de iis eruendis et edendis cogitaſſe, cum tamen ad explicanda et illuſtranda nova plantarum americanarum genera multum conferre potuerint. Inter alia etiam laborum Plumierianorum ſpecimina, icones, quas praeſens opus nobis exhibet, in Bibliotheca regia aſſervabantur: harum exempla, a pictore regio Aubriet ad prototypum ducta, Boerhaavius curante Vaillantio acceperat; et licet icones tantum vulgaribus nominibus a Plumierio adſcriptis inſignirentur, nec veris

Digitized by Google

veris deſcriptionibus illuſtrarentur, tamen et Ill. Linnaeus, has plantas perluſtrans, varia in ſpeciebus plantarum definiendis inde depromſit adminicula, et dignam iudicavit collectionem, quae in uſus publicos ederetur. Duos hos codices, qui quingentas et octo plantas delineatas continent, poſt obitum Boerhaavii in auctione publica magno ſatis pretio acquiſivit Cl. Burmannus; et cum perſpiceret, genera plantarum americanarum his ipſis editis ſpeciminibus in meliorem ordinem diſponi et definiri, non tantum ſtudio ſuo, ſed et ſumtibus neceſſariis impenſis, editionem operis ita praeſtitit, ut decem faſciculi, quinquennio, haud interrupto ordine prodierint.

Et quis melius hunc laborem ſuſcipere poterat, quam Cl. Editor, quippe qui a multis iam annis in Theſauro Ceylanico, Herbario Amboinenſi, et Decadibus plantarum africanarum edendis, occupatus, omnes ſcriptores, qui exoticarum plantarum delineationes et deſcriptiones exhibuerunt, attente perluſtravit, et ſimul culturam exoticarum plantarum in horto medico Amſtelaedamenſi direxit. Quoniam vero iconibus plantarum non niſi nomina plantarum a Plumierio adſcripta et appoſita erant, et genera et ſpecies ad modernum hiſtoriae naturalis ſtatum diſponi debuerunt. Praemiſſo itaque nomine Plumieriano, plantas, quae ſub eo genere non collocari poterant, ad aliud et rectius retulit, et ſynonymis additis illuſtravit, ſervato quidem, ubi id fieri poterat, nomine in ſpeciebus Linnaei expoſito, vel addito novo nomine, ex natura et forma plantae concinnato. In varietatibus definiendis ſigna ſpecierum inter ſe attente comparavit, breves deſcriptiones partium plantae addidit, et obſervationes nonnullas adiecit, quae hiſtoriam plantarum praecipue, attamen et nonnunquam vires et proprietates, concernunt. Monendum tamen eſt, Cl. Editorem varias icones, quae in aliis ſcriptoribus iam luculenter deſcriptae et delineatae ſunt, omiſiſſe: v. c. Phaſeoli varias ſpecies, Parckinſoniam, Ruelliam, cet.

Ico-

Digitized by Google

Icones quidem vel ramos plantarum, vel integras plantas, naturali magnitudine expreſſas, ſiſtunt, et habitum plantae cum florendi modo exprimunt. Et licet minores florum partes non ubique, ut quidem deſiderari poſſet, ſiſtantur, et ſtamina et ſtyli haud raro deficiant: tamen ad praecipuas vegetabilium partes declarandas omnino ſufficiunt. Cum figurae tantum lineis circumſcriptis indicentur, nec omnem ornatum artis exprimant, incompletae quidem videri poſſent; qui vero perpendit, figurae limites praecipue attendi debere, et numerum, magnitudinem, ſitum, nexum, et proportionem partium ex his elucefcere, de utilitate huius operis iam ſatis perſuaſus eſſe poterit.

Licet vero ſtudium Cl. Editoris in has icones Plumierianas non ſatis laudandum ſit, optandum tamen eſt, ut aliquis ex Galliae Botanicis Antillas inſulas petat, et opus hoc porro perficiat, addendo inprimis accuratiores floris deſcriptiones, ad genera ſtabilienda et emendanda neceſſarias. Nos ex univerſo hoc opere paſſim excerptas obſervationes, et, quo ratio totius operis pateat, Caeſalpiniae, quae tabula ſexageſima octava delineatur, deſcriptionem, ut exemplar, primum proponimus.

Caeſalpinia polyphylla, aculeis horrida. Plum. nov. Gen. p. 28.

CAESALPINIA foliis duplicato pinnatis, foliolis obovatis, quatuor iugis, floribus ſpicatis.

Caeſalpinia foliolis obovatis integerrimis. Linn. Spec. pl. p. 380. no. 1.

Pſeudo-Santalum croceum Sloan. Cat. pl. Iam. p. 213. Hiſt. Iam. Tom. II. p. 184. Catesb. Hiſt. Carol. Tom. II. Tab. 51.

Planta arborea, ſpinis vel aculeis numeroſis, breviſſimis, ſimplicibus, horrida.

Folia duplicato pinnata, foliola ſubovata, integerrima, venoſa, quatuor utcunque paria, nec retuſa vel obverſe-ovata ut in Catesbeii icone.

Digitized by Google

Flores in ſpicam collecti, monopetali, anomali, iuxta iconem pentandri, cum iuxta Linnaei ſyſtema decandri deberent eſſe, quorum piſtillum in tabula ſeparatim exhibetur.

Legumen planum, acuminatum, glabrum, polyſpermum, fabas continens oblongas, ſtriatas, uti in diſſecta et aperta ſiliqua conſpiciuntur. Vid. Ludwig. Definit. gener. pl. p. 313. no. 1049.

Obſervatio. Poſt Plumierii genera edita, in quibus hanc unicam modo recenſet, plures iam innotuerunt huius generis ſpecies, quarum quatuor habet Linnaeus in ſpeciebus l. c. Caeterum hoc genus in memoriam magni Andreae Caeſalpini nomen ſuum obtinuit, qui Romae inclaruit ſcriptis ſuis, ac praecipue Hiſtoria plantarum, quae impreſſa eſt Florentiae 1583. in quarto, tum et libro de metallicis Romae 1596.

Pag. 2. Sida foliis ſubrotundo cordatis, acuminatis, integerrimis, cum Abutilo Periplocae acutioris folio, fructu ſtellato Dillenii proxime convenit: licet enim Plumierii planta caule magis villoſo ſit, tamen haec differentia forte loco natali adſcribenda eſt, easdem plantas tamen et Royenus et Linnaeus diſtinxerunt.

11. Alpinia, in toto habitu modoque creſcendi, Zingiberi ſimilis, facile declarat, aromaticis herbis eſſe annumerandam, quales ſunt Cardamomum, Amomum, Zedoaria, Zingiber, Galanga, ſimilesque; mirum tamen eſt, aromaticam, hanc plantam adeo raram et parum cognitam eſſe, ut reliqua aromata; forte inter minores Zingiberis ſpecies refertur, ut ex Sloanaei citato ſynonymo patet.

26. Ari ſpecies, quarum plures hic adducuntur, rariſſime flores proferunt: cum enim fibrillae radicales in caule copioſius propullulent, propagationis officium ſuſcipiunt, inde etiam fit, ut plantae tales rarius florentes ſaepe ſteriles dicantur. Interdum tamen tanta vis eſt vegetationis, ut, fibrillis copioſius erumpentibus, tamen et flores protrudantur, licet in hoc quoque caſu fructus vix perficiantur. Tanta vero ſpecierum, quae ad Arum et Dracontium pertinent, cohors

Digitized by Google

cohors eſt, ut ob ſummam, quae inter eas intercedit ſimilitudinem, exercitatum ad eas dirimendas exigat Botanicum.

A Tabula quadrageſima quarta ad octavam usque plures Bignoniae ſpecies delineatae exhibentur, has Plumierius in ſcandentes et arboreas diſtinxit. In Bignonia ſcandente bifolia et trifolia, ligno cruce ſignato, peculiaris diſpoſitio medullae in caule attentionem meretur, transverſa enim, et ideo ad crucis formam ſe decuſſantia, ligni ſtrata contextum celluloſum medullae diſponunt, et forte illa conformatio hic attendenda eſt, quam in ſeptis nodorum ex denſiore fibrarum coniunctione deprehendimus. Pag. 44.

Bucephali definitio imperfecta traditur a Plumierio, cum in planta relativa non niſi piſtillatum florem depinxerit, ovario nimirum duos ſtylos, cornuum inſtar, emittente, fructus ipſe ſit bacca ovata oblonga. Occaſione autem a nomine deſumta, Cl. Editor in illa tabula fructum aliquem ſiccum, caput bubulum quodammodo referentem, ſimul delineavit: eſt vero ignotae arboris Sinicae fructus laevis, fuſcus, tuberculatus, utrinque proceſſum, cornu inſtar inflexum, emittens. Semen unicum ei ineſſe, ex ſono per agitationem excitato, concluditur. 55.

Camara, quae Lantana foliis oppoſitis caule inermi ramoſo floribus capitato umbellatis dicitur, et vulgatiſſima, et notiſſima planta Americae eſt. Cum per ſurculos et ramulos facile propagetur, in hortis quoque noſtris crebrius deprehenditur. Difficile tamen eſt, vel ex deſcriptionibus exoticarum plantarum, vel ex obſervatione earum quae apud nos coluntur, ſpecies accurate definire: nam et ſpinoſae et non ſpinoſae gradu tantum differunt, foliorum praeterea figura et florum color maxime variantes deprehenduntur. 59.

Variae Smilacis ſpecies hic exhibentur, ex quo genere et Chinae et Saſſaparillae radices in officinis ſatis notae depromuntur. Veram quidem Chinae radicem et plantam totam Cl. Editor alibi, in Auctuario nimirum herbarii Amboinenſis, egregie delineavit et deſcripſit, ſed Smilax quoque caule inermi, tereti, foliis inermibus caulinis cordatis, rameis 72.

 ovato

ovato oblongis, licet China ſpuria nodoſa Plumierio dicatur, radices tamen ſiſtit, quae cum vera China vel confunduntur, vel et loco huius adhiberi poſſunt. Idem valet de Saſſaparillae radicibus, quae ex reliquis Smilacis ſpeciebus hic depictis depromuntur, et ut modo creſcendi, ſic etiam viribus maxime convenire videntur.

Pag. 87. Cornum racemoſam trifoliam et quinquefoliam foliis foraminulatis, egregium fruticem, deſcribit Plumierius, quem iure ſuo ad Elemiferae ſpecies reducit Cl. Editor, et praeter plantae accuratam deſcriptionem, generis quoque definitionem ſequentem addit. Panicula terminatrix ex variis racemis componitur, perianthium eſt quadripartitum, minimum; corolla quatuor petala oblongiuſcula ſiſtit, filamenta quatuor ſubulata, breviſſima, antheras oblongas ſuſtinent; Ovarium ovatum ſtylum breviſſimum ſuſtinet ſtigmate obtuſo tetragono ornatum; bacca ſubrotunda unilocularis ſemen unicum, ſubrotundum, oſſeum continet.

92. Plantae ſpinis horridae per culturam in hybernaculis noſtris ſpinas has ita exuunt, ut mitiſſimae fiant, et nulla ferme ſpinarum vel aculeorum veſtigia relinquant: accurate hoc deſcribitur in Solano, caule aculeato fruticoſo foliis lanceolatis anguloſis, in qua etiam planta folia prius profunde ſinuoſa, aculeata, et rigida ſunt, quae dein obſervantur integerrima, duplo latiora, laete virentia ac glaberrima. Hanc mutationem etiam in calidis regionibus interdum evenire notum eſt, hinc Erythrinam inermem foliis pinnato ternatis, ſinuoſo ovatis, floribus ſpicatis, licet ſpinis careat, ad Corallodendri ſpinoſi varietates tamen referendam eſſe, non dubitat Noſter.

97. Coronae ſolis multae ſpecies ad Aſteriſcos, et ex recentiorum definitionibus melius ad Buphthalmos referendas eſſe, certum eſt. In his tamen generibus, quorſum et Rudbeckia referenda, ad ſemina praecipue reſpiciendum eſſe illico patet, quae cum in noſtris iconibus non ſemper accurate expreſſa ſint, veram plantarum definitionem haud admittunt.

Dorſte-

Digitized by Google

Dorſtenia ratione floris et fructus multa cum Ficu communia habet. Summitati enim ſcapi inſidet placenta carnoſa, ſinuoſa, florifera,. ſtamina et ſtyli numeroſiſſimi vix ſatis definiendi, receptaculum hoc commune poſtea ſuſtinet ſemina multa ſubrotunda acuminata. Prima ſpecies, quam Plumierius Spondylii folio, Dentariae radice, Cl. Editor vero Dorſteniam foliis lobatis ſcapis radicatis appellat, radicem habet inſtar Cyperi tuberculoſam ac nodoſam, fibrillis lateralibus undique emiſſis, eſt vera Drakena radix ſive Contrayerva officinarum. Haec planta placentam floriferam habet quadratam et ſinuoſam. Alteram ſpeciem, quae radice fibroſa eſt, et quam Plumierius ad Parietariam refert, Cl. Editor appellat Dorſteniam foliis ovatis, dentatis, pedunculis caulinis. Pag. 109.

Et flore et habitu elegans planta eſt Craniolaria, quae a Geſneriae ſpeciebus omnino ſeparanda eſt, habet enim calycem longum, patentem, profundius quinquifidum, corollae ſpecioſae monopetalae irregularis lacinias fimbriatas et punctatas, et fructificationem prorſus ſingularem, nux enim, cranium alicuius ferae repraeſentans, nomini generico imponendo occaſionem dedit. 128.

Guaiabaram Plumierii Cl. Editor ex obſervatione Brownii, qui characterem in viva planta definivit, ad Coccolobin reduxit, cum enim flores in racemis axillaribus proferat, octo ſtamina piſtillum triquetrum et baccas monoſpermas obtineat, et petioli florum circa caulem inſtar vaginae ducantur, Linnaeus ad Polygoni genus retulerat. 137.

Ochnae, quam Plumierius Iabotapitam dicit, duae ſunt ſpecies, quarum prima Bockaerae, altera Malkaerae nomine Cingalenſibus venit: utramque ſub una ſpecie coniunxit Linnaeus; quoniam vero huius folia latiora, magis ovata et ſubtiliter ſerrata, flores non ſpicati ſed congeſti, et fructus ſimplices olivaeformes ſine excreſcentiis deprehenduntur, genere etiam diverſas plantas eſſe Cl. Editor iudicat. 147.

Icago fructu ex albo rubeſcente Plumierii ad Chryſobalanum Linnaei et Brownii referenda eſt, fructus tamen colore 151.

 variat,

variat, nunc flavus, nunc niger, nunc purpureus deprehenditur. Huic plantae Linnaeus in ſpeciebus ſuis adiunxit Myrobalanum Sloanei in Hiſt. Iamaic. Tom. II. p. 126. hic tamen folia pinnata habet, et a priori toto coelo differt.

Pag. 159. Plures adduntur Malpighiae ſpecies, et egregiae obſervationes adduntur, elegans tamen hoc plantarum genus nondum ſatis definiri poteſt. Malpighiam aquifolii amplioribus foliis, quam Cl. Editor foliis lanceolatis, dentato ſpinoſis, alternis, appellavit, non ſatis definire potuit, cum tantum quaedam folia a Plumierio delineata fuerint, inde forte ad Mancanillam aquifolii folio, quam paulo poſt deſcribit, pertinere videtur. Mancanillae vero, quae ad Hippomanem pertinet, duae ſpecies afferuntur, prior Hippomanes foliis ſubulatis, dentato ſpinoſis, et altera Hippomanes foliis ovato oblongis, ſerratis, baſi glanduloſis.

171. Sub Helleborines genere multas complectitur plantas Plumierius, quae nec habitu, nec flore conveniunt. Ex hexapetalis irregularibus plurimae ſunt, et Orchides et plantas congeneres complectuntur, et difficulter in genera varia diſpeſcuntur, multo magis in Americanis plantis, cum Epidendron quoque accedat, cuius copioſae ſpecies ſunt. Has quidem plantas quantum fieri potuit ad ſua genera reduxit, et ſpecies diſtinxit Cl. Editor.

185. In Cacti ſpeciebus ob florum egregiam convenientiam facilius ſuccedit generis definitio, ad quod Cereus, Opuntia, et Melocactus referuntur, quarum ſpecies plures hic delineantur.

199. Tres Muntingiae ſpecies Plumierius propoſuit, inter quas prima folio ſericeo, molli fructu maiore, vera eſt et unica generis huius ſpecies, egregie hic delineata et deſcripta; ſecunda ſpecies folio Corni fructu minore, ad Rhamnum omnino referenda erat; tertia ſpecies folio Ulmi aſpero fructu minimo glomerato, habitu ſuo cum Ulmo quidem convenit, ad quem etiam a Linnaeo refertur, cum tamen fructus ſit bacca, et hanc ſpeciem ad Rhamnum retulit Cl. Editor, et Rhamnum inermem foliis ovato oblongis, ſcabris,

ſer-

ſerratis, floribus axillaribus, ſolitariis, fructu pedunculato, appellavit.

Palmarum ſpecies, quarum plures in hoc opere delineaverat Plumierius, neglexit Cl. Editor, partim quod et in aliis ſcriptis, quae hoc ſeculo prodierunt, traduntur; partim quod ipſe completum aliquod opus de Palmis meditatur, ad quod perficiendum ei vires et otium apprecamur: ipſe enim inſignem exoticarum plantarum copiam poſſidet, et in his diſquirendis iam multos annos conſumſit. Pag. 206.

Quindecim Phaſeoli ſpecies Plumierius in hoc opere exhibuit: Cl. Editor vero eas, quae iam ſatis notae erant, omiſit, et tres tantum ad ſua vera genera reduxit. Prima eſt Dolichos foliis integerrimis, caule nudo, leguminibus articulatis, pubeſcentibus, radice craſſa tuberoſa. Haec ſpecies non tantum ob radicem eſculentam notatu digna eſt, ſed charactere a Phaſeolis immo a Dolichis diverſa, et ad novum Zoophtalmi genus a Brownio deſcriptum, referri poſſet; ſecunda ſpecies eſt Glycine caule piloſo, foliis ovato oblongis, leguminibus cylindricis, hirtis, aduncis. Haec ſpecies ad Teramnum Brownii forte referri poſſet, et in legumine apice adunco inſtar unguis avis inſtructo characterem ſpecificum ſingularem ſiſtit. Tertia ſpecies eſt Dolichos caule hirſuto, foliis ternatis, eroſo dentatis, leguminibus hirtis, articulatis. 214.

Rivina floribus corymboſis, foliis lanceolatis integerrimis, nova ſpecies eſt, et ut varietas conſiderari nequit, hactenus enim cognita racemos ſimplices axillares ac folia cordato-ovata habet, et in Hort. Amſtel. Tom. I. tab. 66. optime delineatur. 237.

Ximenia aculeata, flore villoſo, fructu luteo, quam foliis ſolitariis dicit, flore campanulato, monopetalo, tripartito, aliisque characteribus ſatis cognoſcitur; altera autem ſpecies foliis quaternis verticillatis conſpicua, quae Au-Caragna Recchi appellatur, ex fructus quidem convenientia huc refertur, ſed cum flores deficiant, accurate definiri nequit. Arbor odorata et guſtu acris dicitur, et gummi, quod ex ea fluit, 260.

Ca-

Digitized by Google

Caragnam vocatur, iisdemque viribus valet, quibus Tecomahaca, ſed vehementioribus.

VITA GUSTAVI ADOLPHI, MAGNI, REGIS Succiae, a WALTHERO HARTIO, Anglico ſermone primum deſcripta, quam in linguam patriam convertit M. GEORG. HENR. MARTINI, praefatione variisque animadverſionibus auxit IO. GOTTL. BOEHMIUS, Hiſtoriograph. Sax. atque Hiſtor. in Academ. Lipſ. Prof. Publ. Ord.

Tomus I. Lipſiae, apud Dykium, Alph. 4. c. ſ. aen. in 4.

Si virorum excellentium laudes poſteris commendare ſemper praeclarum videbitur, tanto iuſtioribus afficietur praeconiis S. R. Hartius, Canonicus Vindeſorienſis, quanto accuratius atque elegantius in deſcribenda ſummi regis Guſtavi Adolphi vita verſatus eſt. Contigit regi dignus tantis virtutibus praeco, omnibus ad tale opus conficiendum ſubſidiis optime inſtructus, cuius dicendi praeſtantiam, ingenii acumen, ſubtiliter iudicandi ſollertiam, doctiſſimus quisque comprobabit. Quo in opere perficiendo ita elaboravit Boehmius V. Clar. ut quae deerant, ſuppleverit, vitioſa correxerit, omnesque veritatis cupidos ſibi magnopere devinxerit. Praemiſit in praefatione multa ſcitu iucunda, ſimul Heinſii Grotiique ſtudium, Guſtavi merita ad poſteros transmittendi, tangit, qui aliis negotiis diſtenti, propoſitum deſerere coacti ſunt. Multis inerat deſiderium maximi regis res geſtas narrandi, ſi neceſſariis ſubſidiis haud deſtituti fuiſſent. Expectavit igitur digna materia doctiſſimum Hartium, qui ſui propoſiti rationes reddidit, ſcienter admodum, in praefatione omnibus hiſtoriae deditis profutura. Sed iam propius excelſi animi imaginem, a perito artifice expreſſam, intueri iuvabit. Ab initio rem orditur Auctor, diemque natalem ſui regis, qui in nonum menſis Decembris anni 1594 incidit, p. 2. repetit, avi Erichſoni cognomine Waſae probe memor, quem 1528. diademate regio ornatum, anno vero 1560. rebus humanis ereptum, conſtat.

Paren-

Parentem quoque Carolum, Sudermaniae ducem, nominat, deque eo varia, quae ſcire intereſt, refert. Id primo de Guſtavo memorandum, quod ab ineunte aetate omni liberali doctrina imbutus, multarum linguarum admodum peritus fuerit. Quo ſtudio tantum effecit, ut et latinam optime calleret, et aliis bene uteretur. Non minus corpus, quam animum exercuit, omni labori tolerando mature aſſuefactus, ne mollitie naturae robur enervaretur. Primum fortitudinis ſpecimen edidit in Chriſtianopoli, quam, periculis ſuperatis, vi occupavit. De bello Danorum Suecis indicto, deque Caroli inſignibus plane virtutibus, Auctor p. 11. ſeqq. refert. Poſt obitum Caroli, exeunte anno 1611. Guſtavus regnum adit, fidem de ſalute populi curanda firmat, virumque eximiis dotibus praeditum, Oxenſtirnium, laborum ſumit ſocium. Bellum cum Danis feliciter gerit; ne tamen fortunae varietatem experiretur, pacem cum ea gente componit. Quibus conditionibus pax reſtituta, vide p. 36. Cum Batavis de commerciis augendis foedera init, novisque ſanctionibus patriae proſpicit, p. 38. Iuvat profecto, decreta ſapientiae plena perlegere, ab Auctore p. 43. recenſita. Arma capit adverſus Ruſſos, mox tamen intercedente Iacobo I. Rege Angliae reconciliatos, p. 44. Quomodo cum Polonis certaverit, p. 54. ſeqq. fuſe enarrat Hartius, eiusque belli cauſſas repetit paullo altius. Coorto incendio, ignis furorem praecipiti ſaltu effugit, p. 64. Poſtero anno 1619. Holmiam regreditur, rebus maritimis in poſterum magis firmandis, reique militari emendandae maximopere intentus, p. 65. Nec id tacuit noſter Hartius, eum, quod a multis traditur, ficto Garſii nomine peragraſſe Germaniam. Quidam Patavii operam dediſſe litteris perhibent. Alii in Vitembergenſi Academia ſtudiis variis deditum referunt, quod Boehmius V. Clar. p. 72. de eius filio naturali Guſtavo accipit. Iunxit ſibi ſociam vitae Mariam Eleonoram, Georgii Wilhelmi, Electoris Brandenburgici ſororem, feminam et venuſtate corporis, et dotibus animi excellentem, cuius matrimonii rationem docte reddit Boehmius p. 73. Ex hoc

 con-

coniugio duas ſuſcepit filias, nomine Chriſtinas, unam anno 1623. alteram 1627. Prior vix annum egreſſa obiit, poſteriori ab ipſis regni Ordinibus regnum deſtinatum. Iam pacem tentat cum Polonis, quam cum illi detrectarent, cum numeroſis copiis Rigam, Livoniae caput, obſidione cingit, p. 79. Quae res etſi ab initio parum proſpere cederet, tamen eum a propoſito haud avocavit. Hic omnibus fortunae telis corpus ſuum obiicit, credens, obſervante p. 82. Boehmio, haud facile accidere, ut reges in proeliis cadant. Fortiter impetus hoſtis obſeſſi ſuſtinent, donec vi maiore coacti ſe dedunt, regisque incredibilem prorſus clementiam laudant, p. 86. Varias dein urbes, interque eas Mitaviam, capit, quae, uti tota Curlandia, probe monente Boehmio p. 90. clientelari nexu Polonis fuit obſtricta. Principio anni 1622. regis frater e vita diſcedit, quo caſu iſte graviter percellitur. Milites in hiberna reduxit in Sueciam, novumque de rebus, quae utendo conſumuntur, exigit tributum, ut belli ſumtus eo facilius ſuſtineret, p. 91. Ab incolis Gedani poſtulat, ne inducias turbent, futura callide coniiciens, p. 94. Interim Muſis proſpicit, Univerſitatem Upſalienſem reditibus auget, atque Aboae Gymnaſium, non vero Academiam, condit, p. 97. Quibus honoribus affecerit Io. Scyttium, eloquentiae magiſtrum, a quo ipſe profecerat, admonuit Boehmius p. 98. Magni quoque fecit Grotium, cuius de iure belli et pacis libros aſſidua lectione contrivit. Quanti contra Grotius Guſtavi virtutes aeſtimaverit, ex Boehmio p. 99. cognoſci poteſt. Anno 1625. Ordines Sueciae de perpetuo milite alendo deliberant, pecuniamque neceſſariam ſubminiſtrant, p. 110. Magna claſſe Livoniam Rex ingreditur, et quamquam felici curſu omnia ſuperaret, tamen ad pacem inclinat. Quod negotium Oxenſtirnio mandat. Hic utitur Hornio et Salvio, de quo conferas Boehmium p. 115. Cum Polonis proelium committit, victorque diſcedit, p. 116. ſeqq. De agreſtibus Ruthenicis, vulgo Coſacis dictis, vide p. 119. ſeqq. Ineunte Februario 1626. Pillavia, ad Electorem Brandenburgicum pertinente, potitur; quod cum praefecto, cum

ab

ab aliis, tum ab Auctore, vitio vertitur, rectius eum Boehmius omni ſuſpicione liberat, p. 125. Multae urbes ſe dedunt, facitque rex progreſſiones omnium opinione longe celeriores, p. 136. De Chriſtina filia regis A. duriora profert, a Boehmio humaniter mitigata, p. 147. Peregrinos in regnum invitat, pulſisque aditum patefacit, Edicto 1627. evulgato, p. 148. Qua fortuna cum Polonis conflixerit, vide p. 153. Vulnus inflictum forti animo tulit, regiaque plane virtute contemſit, p. 156. Ineunte anno 1628. Pruſſiam denuo repetit, hoſti obviam proceſſurus. Hoc anno Gedanenſes cum Suecis pugnaſſe putat Hartius, quam vero pugnam Boehmius, ex locupletiſſimorum teſtium ſententia, in ſuperiorem annum reiicit p. 163. Gedanum tandem deſerit, impetu potius imbris, quam hoſtis, repulſus. Nec praetermittendum, eum, oppidulo Sueizio occupato, virginum matronarumque pudicitiae conſuluiſſe, p. 178. Si quis velitationes legere geſtiat, inſpiciat p. 179. ſeqq. Wallenſteinius rerum geſtarum magnitudine ſatis notus, variam iacturam patitur, p. 183. ſeqq. Lubecam Legati a Caeſare regeque Daniae mittuntur, poſtque diuturnas acresque diſceptationes pax redditur, p. 193. Huic loco de Ferdinando II. multa ad contexendam huius aetatis hiſtoriam immiſcet lectu omnino neceſſaria, p. 194. ſeqq. Bellum cum Polonis continuatur, quibus cum decem millibus Arnhemius ſuccurrit, p. 207. Suecos variis pugnis fuiſſe attritos, ipſumque regem vix mortem evaſiſſe, p. 216. ſeqq. ingenue A. fatetur. Sunt, qui Guſtavi temeritatem reprehendant, quorum a reprehenſionibus cum Auctor Rever. tum Cl. Boehmius eum vindicant, p. 221. Arnhemius multis gravatur ſuſpicionibus, imperioque abit, p. 225. Iam Gallia ſe interponit, bellum amice compoſitura. Idcirco Legatorum conventus indicitur, cuius ſollemnitates expoſuit Boehmius p. 227. Conſentiunt de induciis per ſexennium, quae tamen poſtea ad XXI. annos prorogantur. Suecis cum Polonia in gratiam redeuntibus, miles caeſareus, duce Arnhemio, in Germaniam regreditur, p. 231. Arnhemii

laudes et vitia congeſſit Auctor p. 232. Guſtavus Proceres totius regni convocat, ſua de bello Germanis inferendo conſilia proponit, eorumque mentem explorat, p. 236. Quibus cum nonnulli repugnarent, Rex orationem maieſtatis plenam habuit, quam p. 238. expendiſſe non poenitebit. Annus 1630. variis fortunae caſibus inſignis habetur. Galli foedera ſuadent, plenaque concordiae mandata iniungunt Charnacio, de quo adeas p. 240. Sanctionem Ordinum Sueciae de bello in Germania gerendo, deſcriptam legimus p. 242. 243. Auctor Guſtavum, Germaniae fines intrantem, tamquam fidelis comes ſecuturus, p. 245 - 263. rerum praeteritarum memoriam, quae viam quaſi futuris inceptis praeparararant, inde a centum annis repetit. Rex ad Electores Imperii dat litteras, quarum ſummam vide p. 266. Guſtavus foedera appetit, auxiliaque ſibi adiungere ſtudet, p. 269 - 274. Abitum parat, filiam Optimatum amori commendat, magnoque ſui deſiderio, tabulis teſtamenti antea ſcriptis, patriam relinquit, p. 275. Primo impetu inſulam Rugiam occupat, fuſis Caeſaris copiis, p. 277. Quibus cauſſis ad bellum ſuſcipiendum motus ſit, publico libello explanat, p. 282. ſeqq. Claſſe in quatuor acies tributa, Uſedomiam invehitur, p. 288. Quibus opibus valuerit, quae adiumenta ad magna ſuſcipienda adhibuerit, qua clementia victos complexus ſit, 291 - 298. Auctor praeclare monſtrat. Opportuno tempore bellum avertit in Germaniam; facile tamen, quod probe animadvertit Boehmius p. 300. animo proſpiciens, fore, ut a Principibus, quorum mentem penitus noverat, adiuvaretur. Multum profuit Torquati de Comitibus negligentia, p. 304. ſeqq. Dum in potiunda Pomerania occupatur, Ratisbonae comitia electoralia celebrantur, magnifico quidem apparatu, ſed multorum querelis atque invidia. Quae tunc acta, p. 308 - 319. diligenter memorantur. Res Angliae Amſtrutero expediendae fuerant commiſſae, qui, quantum ſupplicis querelae ad Imperatorem detulerit, vix dici poteſt, p. 321. Non ingratum fore exiſtimamus lectoribus, Rusdorffii, negotia Palatina curantis, egre-

gias

gias virtutes p. 323. debitis praeconiis condecoratas, legere. Hic Hartius paullum divertit, ſine legentium incommodo, deque Friderico V. Electore Palatino, multa ad hoc tempus ſpectantia, interſerit, eademque haud vulgaria, p. 326-339. Pariter Brularti, legati Gallici, et P. Ioſephi Capucini ſollertiam, p. 340. teſtatur. Nuncius de adventu exercitus Suecici in Germaniam, omnes ſere vehementiſſime commovet. Wallenſteinio adimitur imperium, cuius in locum Tillius ſurrogatur, p. 347-350. Inter haec Rex corona cingit Stetinum, cumque duce Pomeraniae paciſcitur: quo facto ceteras quoque urbes in deditionem accipit, p. 355-362. Fata plurium miſere trucidatorum, nemo ſine ſenſu doloris p. 365. ſeqq. perleget. Qua fortitudine et prudentia Guſtavus inſidias vitae ſtructas evitaverit, erit operae pretium p. 372. ſeqq. cognoſcere. Poſteaquam in Ducatum Megapolitanum viam ſibi patefecerat, pedem ibi firmius figit, animumque de occupata hac provincia perſpicue explicat, datis ad Electores Imperii, atque reges varios, epiſtolis, p. 385. Urbis Magdeburgi calamitates vivis depingit coloribus Auctor p. 388-391. Nec Suecis fortuna ſemper eadem contigit, quod ex p. 392. ſeqq. optime perſpicitur. Princeps Brandenburgicus animum neutri bellantium addictum libere profitetur, p. 396. Succi Colbergam obſident, et, poſtquam ancipiti Marte eſſet utrimque pugnatum, certis conditionibus accipiunt, p. 398 - 404. Pietatem Guſtavi, inuſitatamque clementiam, Boehmius novis teſtimoniis p. 408. confirmat. Nec hiems progreſſus Guſtavi morabatur; quod exemplis urbium hoc tempore vi expugnatarum, p. 409. ſeqq. confirmatur. Anno 1631. cum Gallis foedus de praeſtandis ſubſidiis iungitur, p. 424. Iam, impedimentis remotis, Francofurto ad Oderam Rex appropinquat, moxque militum ardore capit, p. 446-456. Tillius iuſto decernere proelio avet, cuius tamen dubio eventui Rex fortunam committere nondum voluit. Croſnam, Brandenburgum, aliasque urbes ſibi ſubiicit, de quibus conferas p. 457 - 462. Cum Electore Brandenburgico

 ipſe

ipſe deliberat, et cum eo ita convenit, ut poteſtatem haberet, Cuſtrinum ac Spandaviam praeſidiario milite firmandi. Principes plures vocat Lipſiam, ut ibi de communi ſalute ageretur, in quam urbem multi concurrunt, amica conſilia collaturi. Quae hic loci tunc memorabilia acciderint, ea omnia copioſe Noſter p. 470 - 481. enarrat. Saxo foedus cum Sueco ferire detrectat, ex cauſſis a Boehmio p. 476. docte allatis. Tillius Magdeburgum cingit, atque funditus evertit. Excidium, graviter deſcriptum, dolemus, p. 496 - 514. Rex Sueciae ſeverioribus legibus militum licentiam cohibet, et Gripswaldiam brevi expugnat, p. 520 - 528. Duces Megapolitanos ſuis terris reſtituit, magnifica pompa ad patrios lares revertentes, p. 532. atque legatos tam ad Gallos, quam Venetos delegat, p. 533. Cui iucundum videtur ludicris animum oblectare, is lepida, eademque minus grata auguria p. 537. reperiet. Iam iter vertit Guſtavus in Saxoniam, curſum Albis ſecutus, hicque diverſis caſtellis potitur, p. 539 - 543. Progreſſionibus obviam procedunt Caeſarei, fortuna tamen minus proſpera, p. 543 ſeqq. Caſtra locat aequo admodum loco, tam natura, quam arte munita, quorum ſitum expreſſum vides p. 549. Non igitur mirum, fruſtra eadem impugnaſſe Tillium, p. 553 ſeqq. Tillius irritatur, adque certamen provocat hoſtem, quod tamen declinare cauto regi ſatius viſum, p. 557. Hoc loco Auctor interruptam antea rerum Angliae hiſtoriam, quatenus cum propoſito congruit, p. 559 - 588. repetit, deque pugnis, auſpice Hamiltonio commiſſis, aliisque rebus, accepta cupido lectori immiſcet. Cum vero Guſtavus nulla arte e caſtris eliceretur, Tillius abit, verſusque Islebiam curſum dirigit, p. 592. Undique colligit copias, ut vim foederis Lipſienſis frangeret, p. 594. Mox pedem refert in Saxoniam: quo facto Elector Saxoniae ita turbatur, ut cum Suecis varia conſilia iniret, p. 599 - 604, de quibus monemur p. 605 ſqq. Lipſia a Tillio certis conditionibus accipitur, de quibus Boehmius in primis p. 608. conſulendus eſt. Sueci recuperant Magdeburgum, ſeque Saxonibus amice adiungunt.

Guſta-

Guſtavus cogitata proponit tali oratione, cuius verba digna ſunt, quae ab omnibus legantur, p. 611. Futuro certamini omnia praeparat. Laeta capit miles Suecicus auguria, caeſareus triſtia, p. 616. Tillius haud procul a Lipſia caſtra ponit, proelium recuſaturus, ſed a Pappenhemio excitatur, ut acie decernat, p. 622. Guſtavus, qua erat peritia, omnia ſapienter ordinat, aciem admirabili ſollertia inſtruit, novamque cohortem conſtituit, quam in tabella p. 628. apte Auctor repraeſentavit. Non pigebit, uſus militaris ſpecimina, artesque nuper excogitatas, p. 627 - 642. uno quaſi intuitu perluſtraſſe. Quomodo acies ab utraque parte fuerit diſpoſita, quibus copiis explicata, pulcre ſiſtit tabula p. 644. quam omnes cupide arripient. Tandem, die ſeptimo Septembris, ancipiti diu Marte certatur, donec Sueci hoſtem fundunt, ſpoliisque opimis aucti diſcedunt. Guſtavi et Tillii de hoc certamine epiſtolas p. 658 ſeqq. Hartius edidit. Multi ex primariis utriuſque exercitus ceciderunt; plures vulneribus operti, quorum nomina p. 664. deſignahtur. Lipſiam Saxo, Merſeburgum et Halam Suecus occupat, p. 672. Iam de viis belli in poſterum proſequendi Guſtavus deliberat, adeoque Erfurtum progreditur, ubi incolas dulci ſermone mulcet, p. 684. Inde celerrimo curſu per Thuringiam in Franconiam tranſit, neque ſilvarum, neque montium difficultatibus, retardatus. Urbes obſtantes ubique occupat, Moenumque vincendo ſequitur, p. 694. Suinfurtum, Herbipolin, aliaque oppida, ſub ſuam poteſtatem redigit. Dum Herbipoli moratur, advenit Vanius, Angliae Legatus, quem Auctor, ut indolem diſcrepantis ingenii probaret, apte cum Roio contendit, p. 714 ſeqq. Quae Rex ab eo poſtulaverit, p. 718. refert, hisque poſtulatis primam praeſtantiſſimi operis partem concludit Auctor. Magnam gratiam cum Vir doctiſſ. tum Boehmius V. Clar. a gratis lectoribus iniit, quam merito cum Cl. Martinio, nativam Anglicae dictionis vim pulcre exprimente, communicabunt.

Deutſche

Deutſche Ueberſetzung der Reden des Thukydides, ꝛc.

i. e.

ORATIONES THUCYDIDIS, IN GERMAnicum ſermonem translatae, cum obſervationibus latinis in Opus integrum, Auctore D. IO. IAC. REISKE.

Lipſiae, ex officina Loeperia, 1761. Alphab. 1. plag. 8. in 8.

Cum nuper per mercatum vernalem nobis in animum veniſſet, Thucydideos libros repetere, id quod et otium, quale tunc nobis erat, et auctoris, in ſuavitate ſumma, dignitas, vehementer ſuadebant, eſt enim ſcriptor is, qui et aetatem non puerilem, et neſcio quam familiaritatem cum Graecia poſtulat: placuit nobis eadem illa opera Celeberr. *Reiskii* libellum quem diximus conferre cum graecis, quod minus ſucceſſiſſet, niſi totum opus Thucydideum perluſtraſſemus. Habet enim ille hoc proprium, ut a negligente amico perſpici animum ſuum nolit, conſtantiori contra ſe totum libenter perſpiciendum atque intime cognoſcendum praebeat. Qua in re magna ſimilitudo inter duos illos amicos, Thucydidem atque eius interpretem, apparet, quorum alter alteri, (quis vero frequentius, dictu facile non eſt, lucem affundere videtur. Ita enim ſe res habet, pauci Thucydidem ſine interprete admittent, pauci quoque felicitatem et ſollertiam interpretis, niſi commendatione praeſenti ipſius auctoris, prout merentur, intelligent. Quo in negotio varia nobis acciderunt praeter opinionem. Nam cum primam illam Corcyraeorum orationem, verſam a Celeberr. Reiskio, ſolam legeremus, videbatur ea et obſcurior quodammodo, et minus oratorie tractata eſſe; qui error vereor ne plurimis aliis nobiſcum communis ſit futurus, alieniores enim a toto inſtituto neſcio quomodo eramus. Verum poſtea, cum vernacula illa cum graecis conferremus, videbamus

mus facile, primum arduum eſſe quod ſuſceptum erat negotii; deinde illud ita transactum atque perfectum eſſe ab interprete doctiſſimo, ut pauci ad tantam ſcientiam et graecae linguae et noſtrae, dexteritatem felicitatemque in vertendo non nimis plano auctore, copiam eruditionis, atque ingenii, quod in hoc viro ſummum agnoſcitur, vim, adſpirare poſſe viderentur. Neſcit enim, quantum ſit bene vertere graecos et latinos auctores, niſi qui id attigit, praeſertim ſi in noſtram transferendi, i. e. tantum non transformandi atque alii faciendi ſunt. Vertere enim auctores Hartnaccius etiam et alii multi poſſunt, quorum ille apud N. T. ſcriptores, aliquis alius apud Nepotem, peſſimam gratiam iniit; bene autem vertere tantum eſt, ut, quod Cicero de oratore dixit, divina omnia in eo eſſe debere, id non male de interprete bono affirmandum eſſe videatur. Igitur, quoniam placuit Celeb. Reiskio inſigne monumentum doctrinae graecitatisque ſuae hoc libello conſtituere, habemus ſane quo iuventuti noſtrae gratulemur, quae et talem rectorem ſtudiorum nacta eſt, qui eam cum ſtudiis humanioribus in gratiam facile reducet, et ex huius quoque libelli diligente lectione fructus capiet ſummos; quamquam nec verſatiſſimos in Graecia viros huc aliquantum temporis impendiſſe poeniteat. Sed de verſione ipſa, eiusque inſtituto atque natura, poſt plura; iam de praefatione quaedam, quae et eleganter, ſaepe etiam facete ſcripta eſt, continetque ea, quae ſumni viri doctrinae elegantiaeque reſpondeant ita, ut aut vera ſint, aut tamen tam acute tractata, ut digna eſſe, quae vera ſint, videantur.

Eſt autem tota illa praefatio ſane doctiſſima lectuque iucundiſſima, ut ſuavitate ſua lectorem facile rapiat ad aſſentiendum. Itaque cum interpres noſter quaedam, magno cum lepore, de inſtituto ſatisque libelli ſui diſſeruiſſet, iam de ipſo Thucydide quaedam monet; qua in re ipſe pro acumine ingenii videbat et multos a ſe diſſentire, quaedam vero etiam contra diſputari poſſe. Videamus autem verba ipſa.

Als Redner hat er manche unnachahmbare Schönheiten an ſich, derentwegen man ihn bewundern muſs. Dargegen aber iſt auch meines Erachtens manches ſchlechte und verwerfliche an ihn. Machte Thucydides ſeine ſchlechten und einfältigen Streiche nicht wieder mit groſsen und wunderbaren gut — —, ſo würde ich ihn ohne alles Bedenken einen abgeſchmackten froſtigen Sophiſten aus des Gorgias Schule, einen unerträglichen Antitheten-Crämer nennen. Thucydides iſt der Vater der Witzlinge, die mit ihren ewigen Pointen, mit ihren weibiſchen Spielwerke und Getändle, den Leſer bis zum Berſten und zum Erſticken zermartern — —. Warlich ein ſo kindiſches und läppiſches Geziere etc. et talia plura, quae melius in ipſo loco legentur. Quid vero? deſtituiturne Thucydides defenſione? Non putem id ſane; et cum Thucydidem praecipue huius criminis cauſſa diligenter perlegerem, nihil inveni, quod hac acerbitate dignum videretur. Mallemus ſane addita eſſe exempla; non enim niſi perpauca in orationibus ipſis notata invenimus. Nondum ita firmis praeceptis univerſa ſtat ars oratoria, ut ex hac, tanquam Codice legum, argui Thucydides poſſit. Quid enim? Si perſuadeo auditorem, ſi delecto, feci id, quod ſummum eſt in omni rhetorica, et cuius obtinendi cauſſa regulae iſtae natae ſunt; id ſine regulis, quin etiam interdum contra easdem, ſi obtineo, modo hoc a me fiat, nihil ſane pecco, niſi inſit aliquid in ipſa oratione, quod falſum, impium, ſcurrile, aut contra bonos mores ſit; neque magis e. c. medicus peccaret, ſi aegrotos per contraria et abhorrentia a communi uſu ſanet, modo id faciat. Neque enim eloquentia regularum cauſſa, ſed contra potius. Itaque ego ſic exiſtimo, duas eſſe res in arte oratoria ſpectandas. Primum eſt id, quod ita cum perfectione noſtra, geſtuum ſcilicet, corporis totius, ingeniique, imprimisque perfectione morali, id eſt virtutibus omnibus, coniunctum eſt, ut divelli nullo modo poſſit; idque mihi videtur ſolum in tota arte ſtabile atque aeternum eſſe. Evitanda itaque ſunt, ut in tota vita, ita imprimis in orationibus, quicquid aut ipſum vitium eſt, aut tamen imaginem ac ſuſpicionem vitio-

Digitized by Google

vitioſitatis in auditoribus creare poſſet. Ita e. g. immodeſtia oris magnum vitium eſt in oratore, atque etiam in ſe; edere contra, aut in aliis rebus naturalibus ſibi aliquid indulgere dum orationem habes, id, etſi in ſe non eſt vitium, tamen quoniam βλακείαν, quam Graeci aiunt, atque hanc immodeſtiam oris ſignificare videtur, et ipſum omittendum eſt. Cuius rei infinita exempla poſſent afferri. Sunt vero non pauciora alia, quae non videntur naturalem nexum cum perfectione habere, ideoque libera eſſe, niſi contra conſuetudo ſanxerit. Itaque ut priora illa, aeternis legibus, tamquam vinculis quibusdam adſtricta ſunt: ita haec contra, ut ipſa illa conſuetudo, fluctuant, neque enim alii rei, quam huic, id eſt incertiſſimae, ſunt quaſi annexae. Germani *die Moden*, aut *den Geſchmack der Zeiten* appellant. In his ſolus uſus conſulendus eſt, ut in variandis veſtibus. Videamus iam quale ad genus illi, ut Celeb. Reiskius appellat, naevi Thucydidei pertineant. Igitur niſi oſtenderit ſtultitiam inſignem aut turpitudinem, ſive etiam aliquid quod harum rerum vel exiguam imaginem, ἰδέαν philoſophi dicerent, in nobis excitet, ego quidem non putem hos naevos ad prius genus referri debere. Sed fortaſſe in eo eſſet vitioſitas quaerenda, quod tractat res eas, quae ad rem nihil pertinent. Quaſi vero oratori nihil eſſet ingeminandum praeter hoc. Etiamſi enim rem quamque ſuo loco proponere aequum eſt: habet tamen orator non minus, quam poeta, liberum campum in quo vagari latius queat, et recedere interdum a propoſita re, modo ne illam ex oculis dimittat. Quod ſane oratorem illum optimum unquam feciſſe non memini. Cuius rei exempla in omnibus oratoribus facile invenias, ut deflectant interdum a propoſito, et afferant quaedam, quae videntur a re ipſa ſeiuncta eſſe, neque tamen aliena ſunt; nam id quoque oratoris eſt, revocare animos audientium a diutina conſideratione unius eiusdemque rei, eosque emittere quaſi in quaedam alia, ſi modo ſuo tempore ad id quod caput rei eſt redeant. Haec ſi teneas, et univerſae arti lucis aliquid affundetur, et non Thucydides ſolum, ſed omnes omnino oratores,

I 2 defen-

Digitized by Google

defenſione non carebunt. Quin etiam, ut ad alterum genus veniamus, eorum ſc. praeceptorum, quae firmiori fundamento deſtituta, nonniſi in conſuetudine neſcio qua, ſic a populo vel gente recepta, nituntur, in his non video cur non orator accommodare ſe poſſit ei coronae ad quam dicit. Utar in hac re exemplis vulgaribus e Grammaticis. Quid ſtultius, quam verbum in ſingulari nominis plurali addere, quod ne in pueris quidem ferendum putamus. Iam ſi Graecus dicit τὰ ζῶα τρέχει recteне dicit? non arbitror, ſi ad vivum reſecare velis: ſed quia hoc invaluit ſic, ut alterum ſequi ſtultum videatur, is qui diceret τὰ ζῶα τρέχουσι, ſi non delirus et arrogans, tamen ineptus putidusque recte exiſtimaretur. Ita quoque Orator. Si corona nonnullis rationibus dicendi delectetur, etiamſi fortaſſe aliae meliores ſint, orator ſe ingeniis ſuorum applicat, ut apud nos quoque fieri ſolet. Nam quid magis ridiculum cogites, quam eam rationem dicendi ſcribendique, qualis in aulis invaluit, vulgo *den Cantzleyſtyl* appellant, quem qui primus invenit homo ineptus certe fuit; nunc vero frater eius germanus eſſet, qui in edictis Gellertum et Rabnerum, viros ſoſpitatores Germanicae linguae, perverſo ſtudio imitari vellet. Sed neque opus eſt ſic defendere Olori filium. Antitheta reprehenduntur, et nimia aequalitas complexionum: qua in re aut ego totam rem non intelligo, aut nemo umquam minore diligentia in his rebus uſus eſt, quam ipſe noſter Thucydides. Horridum enim habet genus dicendi, et calamiſtro inuſtarum periodorum adeo abhorrens, ut neque coeptam ſeriem verborum et idearum ſervet; tantum abeſt ut membra ad lineolam neſcio quam mathematicam exigat. Videtur igitur Thucydides in contrarii potius reprehenſionem incurrere, neque aliter excuſari poſſe, quam ut dicamus, magnum ingenium etiam contra vulgatas regulas aliquid audere debere. Itaque ego ſic reſponderem: me non exiſtimare, Thucydidem eſſe talem, *der als ein Schulbube mit rhetoriſchen Fratzen um ſich wirſt;* verba ſunt cenſoris: neque provoco ad aliud, quam primam quamque viri orationem, aut etiam

Baueri,

Baueri, Viri graeciſſimi, lectiones, ſi quis tantum harum capita perluſtrare velit. Si tamen hac in re me amor Thucydidis forte decipit, neſcire fateor, aures Athenienſium eo tempore neſcio quid accuratius atque comtius deſideraſſe; quamobrem omnes tunc temporis oratores hoc colore uſi ſunt, ut apparet, neque adeo mirum eſt, ſi hic ſuis civibus ſe probare voluerit, cum genio ſaeculi ſui ſe, non ſeculi poſt Chriſtum natum decimi octavi, ſimilem eſſe voluerit. Niſi fortaſſe incolis emporii Lipſienſis haec ſcripſerat. Nam ut ego, et mecum fortaſſe plures exiſtimabunt, ad unius capitis ſenſum omnes oratores exigendi nequaquam ſunt, qui ipſi inter ſe infinitis modis differunt, ut, ſi ſummum dicas, id tibi, niſi velis plus tibi ſumere, ſit dicendum. Iſocrates mihi nimis melleus eſt, Thucydides interdum argutior; ſed Iſocratem et Thucydidem ut minutos pueros proſcindere, id mihi videretur iuſto acerbius eſſe. Quid enim? ſunt ſummi viri qui ſic ſcripſerunt, ſunt quoque quibus haec placuere, hisne omnibus te ipſo iudice ſtuporis dicam ſcribes. Itaque haec de aequalitate membrorum, et de antithetis diſputata ſunto. Nam in hoc omnium conſenſus eſt, praeclarum eſſe oratorem, qui inter ceteras virtutes etiam his illuſtretur; nimium in ea re fuiſſe noſtrum non ante perſuadebimur, quam allatis exemplis, et conſtituta norma eius, ultra quod progredi nulli mortali liceat, tanquam ex lege contendemus. Vitio quoque vertebatur auctori, eum in ὁμοιοτέλευτοις, et ſimilitudinibus verborum, et eiuſmodi luſibus, mirum quantum occupatum eſſe, p. 63. Hoc ſi in homine non vehementer copioſo harum rerum reprehendas, quomodo ipſum Ieſaiam defendes, qui infinita id genus habet? Auctores quomodo alios? Verum ego ſic exiſtimo, omnem concinnitatem verborum, ſi naturali ordine fluat, non eſſe vitioſam; ſi ſit quaeſita, tunc eſſe. Itaque noſtras linguas, propter durum et aſperum neſcio quid, et, quod revera degenerarunt a cultioribus linguis, inaequalitatem et confragoſos ſonos, has veneres, hanc ſimilitudinem, et quaſi conſanguinitatem verborum, plane non adſequi; ut ſi quis tale

Digitized by Google

quid affectet, reclamet ipſa lingua ac renitatur, quamobrem apud nos iſta vitioſa ſunt, quoniam unicuique facile apparet quam coacta illa ſint. Contra ſi libera ſint, et quaſi per negligentiam elapſa, tunc ſane etiam nobis placere ſolent. Durum enim et intractabile genus ſumus Germani, qui ſi cum ceteris conferamur, gravitatis quidem plenam, ſed horridam, fere dicerem barbaram linguam, fruſtra mitiorem et flexibilem reddere laboramus. Ille vero locus, qui p. 63. reprehenditur, dignus eſt quem in graecis adſcribamus.

Ἐπὶ τὴν πλεῖστους δὴ βλάψασαν καταφρόνησιν κεχωρήκατε· ἢ ἐκ τοῦ πολλοὺς σφάλλειν τὸ ἐναντίον ὄνομα ἀφροσύνη μετωνόμασται·

Haec ſane, ut cuivis apparebit facile, difficultatem quanquam nonnullam habent in graecis, ſed quia negligenter et quaſi in tranſitu dicta ſunt, et tamen ſententiam habent valde bonam, et inſtituto Corinthiorum familiarem, non video cur reprehendi debeant. Eſt enim ſententia haec: Vos, o Lacedaemonii, et reliqui foederati, contemnere coepiſtis adverſarios veſtros, quod ſane multos iam perdidit, et magna dementia eſt, nam multos e ſapientibus ſtultos facit. Adeſt luſus in graecis, in *καταφρόνησις*, quo id vitium ſignificatur, cum reliquos prae me meaque ſapientia vehementer contemno, in quo revera ſumma ſtultitia, Graecis *ἀφροσύνη*, eſt. Facit etiam ad rem ipſam. Stultiſſimus enim eſt, qui neminem praeter ſe aliquid ſapere putat, quod cavendum praecipiunt verba haec Lacedaemoniis. Hoc quidem non negaverim, paraphraſi adhibita haec debilitari; eſt enim argumentum ex iis, quae brevitate celeritateque ſua vincunt, dilatationem vero et verborum congeriem non patiuntur, qualia permulta in rhetoricis libellis traduntur: ſed neque opus eſt haec dilatari. Aſperum eſſe Thucydidem, et horridum dictione, non negem, qua in re elegantiſſimo interpreti facile adſentimur: frigidum et ineptum Sophiſtam eſſe, hoc nullo modo conceſſerim. Neque de hac re aliter diſputari poteſt, quam allatis exemplis. Haec cum omiſerit Cel. Reiskius, nos ſane, cum neſciamus quid accuſatum ſit, neque defendere ſigilla-

gillatim illa poſſumus, quae neſcimus an vitio auctori vertantur, quorumque defenſio facilis fortaſſe eſſet, ſi modo quae accuſarentur loca indicata fuiſſent. Haec itaque habebamus, quae de genio Thucydideo moneremus, magis ut provocaremus ſubtiliſſimi viri ingenium, quam ut noſtra aperiremus, qui ſi acerbior quodammodo in auctorem hunc forte fuit, hoc poſtea veriſſimis et ſummis ſummi oratoris laudibus compenſavit.

De orthographia fortaſſe quaedam diceremus, niſi nos addita grammaticis ludibria terrerent; qui ſi ipſi ſua imperia contemni patiantur, nos quidem ut Romani barbaros illos non curamus, gaudemusque ſeditiones in eorum regnis excitari, ne illi nos, quod ſaepe tentaverunt, ab aris focisque noſtris pellant, qui non magnus numerus ſumus. Iam enim in plurimorum latinitate nihil quam Germania et Gallia eſt, qui ſi copias ſuas contra ſeditioſos e ſuis vertere hoc pacto cogantur, has fortaſſe e latinis ſuis ſcriptis deducent, in quae diu, tanquam ex arce, peregrino milite dominati ſunt.

Perlegimus autem hunc libellum magna cum diligentia, in quo non id egit Cel. Reiskius, ut verba graeca totidem germanicis exprimeret, quod nec fieri poſſet, nec ſuavitatem ullam haberet; ſed id potius, ut denſas illas ſententias, quas Thucydides ſaepe uno et altero verbo comprimit, quaſi ſeorſim ſingulas exponeret. Nam hoc ſane veriſſime eſt ab interprete optimo dictum in praefatione, nihil magis obeſſe exiſtimationi auctorum, quam miſerabiles illas verſiones, quas qui legit, non poteſt non exiſtimare graecos auctores plane delirare. Noſter itaque, ut Thucydidem primum humane, deinde vero etiam Teutonice loquentem audiremus, illud ante omnia curavit, ut ſenſus et exacte, et cum ſuavitate exprimeretur. Qua in re, mea quidem ſententia, ita verſatus eſt, ut maiori diligentia et induſtria nemo poſſit. Et ut verum dicamus, ſaepe admirati ſumus felicitatem dicamne, an ſollertiam, an utrumque, in eligendis verbis phraſibusque, quae graecis reſponderent. Quam rem, ut audivimus, etiam in praelectionibus ſcholaſticis vir doctiſſimus vehementer urget, diſci-

Digitized by Google

diſcipulosque ita adſuefacit, ut primum accurate diſcant exprimere auctoris ſenſum, deinde vero etiam cum varietate quadam, ut interroget de ἰσοδυναμοοσαις rationibus hoc vel illud exprimendi, cuius rei pulcerrimum exemplum hoc ipſo libello propoſuit. Qua de re nemo iudicare poterit ante, quam graeca cum theotiſcis hiſce contulerit; verum ubi contulerit, facile doctrinam et ſubtilitatem huius viri agnoſcet. Solet quidem hoc interdum occurrere, ut ille videatur aliquid plus expreſſiſſe, quam erat in archetypo, cuius rei exempla paſſim reperias, ut et ipſe in praefatione ingenue confeſſus eſt; ſed hoc ad laudem eius, et praeſtantiam ingenii cognoſcendam, vehementer pertinet. Nam in hac verſione, facta, ut arbitramur, non ad ſpecimen oratoriae artis exhibendum, (quanquam etiam non parum ad iuveniles animos formandos docendosque haec pertineat, ut veram eloquentiam, non vero illam obmuteſcendi garriendive magiſtram diſcant;) in hac igitur verſione id potiſſimum intendiſſe auctor videtur, ut Thucydides ipſe, qui multis lapides, non verba loqui, quoniam ipſi lapides ſunt, videtur, melius quam plerumque fit legatur intelligaturque. Quod conſilium ut adſequeretur interpres, interdum quaedam admiſcuit, quae videbantur ex inferiori dicendi genere deſumta eſſe, et verba et formulas; quod ego minime reprehenderim, laudarim potius, quod haec ipſa videntur ea eſſe, per quae ſenſus perorantium perbelle exprimitur. Eſt autem oratio interpretandi ea, quam nos latiorem liberioremque, graeci περίφρασιν appellant, ſola, ut arbitror, Thucydidi conveniens. Haec vero ut uſum habet maximum, ita a Reiskio ſic tractata eſt, ut condenſatum genus dicendi exponeret pluribus verbis, integramque complexionem Thucydideam in plures diſſecaret, quo melius ſingulis ſatisfaceret. Ea quoque, quae auctor ipſe, pro fervore ingenii, omiſſa, lectoribus ſupplenda, ſaepe vero etiam tantum coniicienda reliquerat, ea omnia ſuis locis inſerta conſpiciuntur, et hiatus illi quaſi continuati cum ceteris. Saepe quae in graecis uno commate continebantur, hic in periodos excreverunt, quod

mirum

Digitized by Google

mirum quantum lucis auctori affundat. Theotiſca vero ſunt plana, vegeta inſuper, atque etiam ſuavia, ut id quod legentibus Caeſarem ſolet uſu venire, ut exiſtiment ſe quoque ita ſcribere poſſe, id lecturis quoque hanc verſionem eventurum ſit; adeo ſumma ars, quae in hac verſione eſt, ita facilitate et lenitate dictionis attemperata eſt, laborque ita occultatus, ut Thucydides, qui ante myſteria videbatur loqui, poſt lectam verſionem ita plana loquatur, ut miremur, quomodo fieri potuerit, ut ea non ſtatim intelligeremus. Eſſent quidem fortaſſe aliqua, in quibus a viri ſummi interpretatione diſſentiremus: verum in auctore, ſaepe ſatis ambigue loquente, ſaepe duae valde diverſae ſententiae, eodem iure, paribus argumentis, ſaepe defenduntur. Brevibus ut dicamus, cum ſpem nobis doctiſſimus Reiskius fecerit, plura in hunc modum edendi, nos ſane exiſtimamus, ea, ſi ſint his ſimilia, optima et praeclara fore.

Verum ne quis haec in maius dicta eſſe putet, exemplum eius rei afferemus, ſic ut graeca et theotiſca, quibus haec exprimuntur, iisdem numeris notemus, quo magis appareat, quo quodque graecum germanico vocabulo expreſſum ſit.

Stenelaidae Ephori excitatio ad bellum contra Athenienſes fortiter gerendum:

1) Τοὺς μὲν λόγους τοὺς πολλοὺς τῶν Ἀθηναίων ὀυ γιγνώσκω. 2) Επαινέσαντες γὰρ πολλὰ ἑαυτοὺς ὀυδαμοῦ ἀντεῖπον ὡς ὀυκ ἀδικοῦσι τοὺς ἡμετέρους ξυμμάχους, καὶ τὴν πελοπόννησον. 3) Καί τοι εἰ πρὸς τοὺς Μήδους ἐγένοντο ἀγαθοὶ τότε, πρὸς δ᾽ ἡμᾶς κακοὶ νῦν διπλασίας ζη-

1) *Meine Herren, ich kann mich in das Gepraſche der Athenienſer gar nicht finden.* 2) *Denn in ihrem ganzen gräſslichen Geſchreye und Aufheben von ihren Taten finde ich nichts, das die Beſchuldigung, die man ihnen macht, widerlegte, nach welcher ſie unſern Bundsgenoſſen zu viel tun, und unſere Halbinſel benachteiligen ſollen. Kein Menſch macht ihnen das ſtreitig, daſs ſie in dem mediſchen Kriege nicht ſollten brave Leute geweſen ſeyn.* 3) *Sind ſie es nun damals geweſen, handeln aber itzo mit*

ζημίας ἄξιοί εἰσιν, ὅτι ἀντ' ἀγαθῶν κακοὶ γεγένηνται, 4) ἡμεῖς δὲ ὅμοιοι καὶ τότε καὶ νῦν ἐσμέν, 5) καὶ τοὺς ξυμμάχους, ἢν σωφρονῶμεν, οὐ περιοψόμεθα ἀδικουμένους, οὐδὲ μελλήσομεν τιμωρεῖν, κ.τ.λ.

uns als Böſewichter ſo ſind ſie zwiefacher Strafe wert, einmal, weil ſie bübiſch handeln, und ſodann, weil ſie von ihrer vorigen löblichen Art abgewichen und ausgeartet ſind. 4) Wir aber ſind uns allezeit gleich. Wie wir damals waren, ſo ſind wir noch, 5) und werden nicht geſtatten, daſs man unſern Bundsgenoſſen zu viel tue, werden auch nicht den geringſten Anſtant nemen, mit unſrer Ahndung wider unſere Beleidiger zu verfaren, woferne wir anders vernünftig und ſo handeln, wie wohlgeſitteten und beſcheidenen Leuten geziemet: u. ſ. w.

Haec, ut arbitramur, ſufficient ad iudicium de univerſa ratione verſionis ferendum, quae fortaſſe alicui, ſi ſola ſine graecis legatur, durior videri poſſet, connexa vero ſe unicuique ſua claritate et fide facile commendabit. Haec itaque hactenus. Iam de animadverſionibus ad Thucydidem caſtigationibusque perpauca.

Videtur autem in his Reiskius noſter ſecutus eſſe morem Scholiaſtarum veterum; nam breviſſimae ſunt notulae, et quaſi αὐτοσχέδια quaedam, ſed et utiliſſimae atque etiam elegantes. Emendationes vero ingenioſae quidem illae, ſed tamen interdum eae, quae videantur elegantiores quam veriores eſſe.

NOVA LITTERARIA.

IOANNIS DOMINICI MANSI DE MISCELLAneis BALUZII cum plurimis acceſſionibus Lucae edendis, ad ſtudioſos literariae eruditionis praenuncium.

Vir

Digitized by Google

Vir Cl. *Stephanus Baluzius*, Tutelenſis, ex multis e Gallicis archivis, a ſe erutis monumentis, unum compegit opus, quod ſummo eruditorum plauſu exceptum fuit, et multorum utilitate maxime comprobatur. Inſcribendum illud cenſuit ſimplici titulo *Miſcellanea*, atque ſeptem in octavo maiori volumina implevit. Cum vero in iis edendis delectum ordinemque nullum ſequutus ſit, ſed prout ad manus veniebant typographo, conſignabat: hinc factum eſt, ut eruditorum commodo pretioſum iſtud opus minus ſerviret, quippe qui excurrere ſaepe per ſingula volumina cogantur, ut quod quaerunt inveniant. Huiuſce operis raritas (pauci enim ſunt, qui omnia ea volumina varios per annos edita poſſideant, ſaltem in Italia,) induxit me, ut illius recudendi conſilium ſuggererem, atque ut commodis eruditorum magis conſuleretur, operam mihi ſumſi in meliorem ordinem totum redigendi. Viſum eſt igitur mihi in quatuor, ſeu forte plura volumina in folio, totam complexionem diſtribuere. Quatuor in partes dividetur, quarum prima hiſtorica omnia dabit; in alteram quidquid ſpectat ad canones, et res omnes eccleſiaſticas conferam. Tertia diplomata, vel chartas, ſeu epiſtolas continebit. Quarta ea omnia offeret, quae ad ſuperiora commode referri non poſſunt, unde illum retinebit titulum, quem Baluzius toti operi praefixit, *miſcellanea*. Labori etiam minuendo ſingularum partium monumenta chronologico ordine diſponam. Demum totum claudet index locupletiſſimus, tum ſingulorum monumentorum, cum etiam rerum notatu dignarum, quae volumina illa comprehendent.

Monſtri fortaſſe loco habebunt lectores, quod ſeptem in octavo volumina tam multa exhibeant, ut quatuor, et ultra volumina in folio impleant: tunc vero mirari deſinent, cum totum conſilium meum habebunt exploratum. Non enim tantummodo edita a Baluzio monumenta nova haec complexio referet, ſed et multa alia ex meo penu promenda adiiciam, ex codicibus praeſertim meis Lucenſibus, aliiſque eruta, quorum indicem, ne videar vana pollicitus, hic adiunctum perſpicient.

Index

Digitized by Google

Index monumentorum, quae per ſingula volumina diſtributa hic primo apparebunt.

De cyclo paſchali tractatus ab anonymo Hiſpano, ſeu forte Africano conſcriptus, tempore S. Leonis Magni, *ex Cod. Capit. Cathedr. Lucenſis ante mille annos ſcripto.*

Index totius bibliothecae, nempe ſacrorum bibliorum, in quo Patriarcharum ſeries deſcribitur, fabellis iucundis paſſim intermixtis. Opuſculum eſt ab anonymo Hiſpano, ſeu Africano, datum ſaec. v. *ex eodem Cod.*

Epiſtola Alcuini ad Carolum Magnum nova, et nondum typis excuſa, eodem quo Alcuinus ſcribebat ſaeculo conſcripta. *Ex eodem Cod.*

S. Maximi Taurinenſis Epiſcopi ſermones duo, nunquam, quantum ſcio, editi. *Ex vet. Luc. Cod.*

Iacobi monachi opuſculum *de natura rerum*, in quo res coeli et terrae curioſe deſcribit. Vivebat Iacobus tempore Caroli Magni.

Plinii ſecundi liber inſcriptus *de diviſione temporum*, qui alius non eſt, quam liber 18. Plinii ſenioris incipiens a cap. 31. uſque ad finem eiusdem, ſed cum multa reſecet, aliaque melius in hoc opuſculo fluant, quam in editis, iterum reproducendus erat. *Ex Cod. vetuſtiſſimo annorum mille.*

Liber *de tinctione muſivorum*, qui licet editus ſit a Muratorio, multis tamen apud illum ſcatet erroribus; quare operae pretium duxi, ad eundem codicem, quo et Muratorius uſus eſt, recenſitum iterum recudere. *Ex eod. Cod.*

Paſſio S. Blaſii Epiſcopi et Martyris, e vetuſto Aretino Codice deſcripta.

Epiſtola S. Auguſtino Epiſc. attributa in vet. Cod. Caeſenatenſi, cum fragmento ſermonis eidem pariter ibidem attributo.

Chronicon breve de Imperatoribus et Regibus Italiae, uſque ad Conradum Imperatorem pertingens. *Ex Cod. Biblioth. domus ſapientiae Piſtorienſis.*

Anonymi liber *de SS. Trinitate*, ex variis SS. Patrum teſtimoniis contextus. *Ex MS. Cod. Luc.*

Fre-

Fretelli Archidiaconi libellus de locis ſanctis Terrae Ieruſalem, ad Raymundum Toletanum comitem. *Ex MS. Cod. Biblioth. Luc.*

Clementis Papae VI. epiſtolae quaedam ad Romanos. *Ex MS. Cod. ibid.*

Regulae vetuſtae Fraternitati Clericorum Aretii datae, atque transſcriptae. E vetuſtiori Codice, iuſſu Leonardi Prioris S. Michaelis, et eiusdem Fratriae, anno 1379.

Faſciculus inſcriptionum pro et contra, in celebri ſchiſmate ſub Urbano VI. productarum.

Pii II. opuſculum in defenſione Concilii Baſileenſis ab eo ſcriptum, cum a ſecretis eidem Concilio eſſet, cum ſubiectis notis Ioannis Dominici Manſi: *in MS. Cod. apud me.*

Epiſtolae quaedam, ſeu Acta legationis Nicolai Trenta, tunc Epiſcopi Mutinenſis, dein Lucenſis, cum Legatum Pontificium ageret apud Fridericum III. Imperat. a Pio II. P. miſſus occaſione Diaetae-Mantuanae ab eo Pontifice indictae. *Ex MS. Cod. Archiepiſcopat. Luc.*

Proceſſus Sixti VI. contra Florentinos integer, cum apud Raynaldum reſectus prodierit. *Ex Cod. apud me.*

Literae Florentinorum ſe excuſantium apud eundem Pontificem; itemque eorundem Florentinorum querimonia apud Imperatorem contra eundem Pontificem. *Apud me.*

Franciſci Philelphi epiſtolae duae, ineditae, ad eumdem Pontificem, quibus illum accuſat de vexatis iniuſte Florentinis, armiſque in illos motis. *Apud me.*

Literae variae Ducis Mediolanenſis ad eumdem Pontificem de eadem re.

Alexandri VI. et Innocentii VIII. PP. ad varios Europae Principes epiſtolae nondum in publicum eductae.

S. Ioanni de Marcha adſcriptus liber contra Fraticellos.

Matthiae Regis Hungariae ad Sixtum IV. P. M. epiſtola data anno 1474. cum aliis aliorum Principum ad eundem.

De primo bello Gallico in Regno Neapoli tempore Alexandri VI. et Caroli VIII. Galliar. Regis.

Epiſtola anonymi contra Ludovicum Sfortiam.

K 3 Erro-

Errores, et fatuitates contentae in virulenta loquacitate habita per Camillum Scortiatum regium (Alfonſi Aragonum Regis) Nuncium coram Imperiali Maieſtate contra Innocentium VIII. Felino Sandaeo, ut credo, auctore.

Pontificum, qui Avenioni reſederunt, Bullae variae.

Franciſci Pucci epiſtola de rebellione Neapolis a Carolo VIII. Francorum Rege, ad Ferdinandum Aragoniae Regem.

Felini Sandaei Ferrarienſis, et Lucani Epiſcopi, qui obiit anno 1503. opuſcula quaedam de Iure Pontificis in Regnum Siciliae, ad uſum Pontificis ſcripta.

Eiusdem adnotationes quaedam hiſtoricae ad oram Codicum ſuorum ab eo deſcriptae.

S. Ildegardis revelationes aliae ab editis. *Ex biblioth. PP. S. M. Curtis Orlandingh. Luc.*

Guarini Veronenſis opuſcula quaedam nondum edita. *Ex MS. Cod. apud me.*

Sigismundi de Comitibus Fulginatenſis hiſtoriae rerum aetate ſua geſtarum libri IV. (caeteris careo). Vivebat ſub Alexandro VI. Iulio II. et ſucceſſoribus, atque in ordinem Scriptorum Apoſtolicorum adlectus fuit. *Ex MS. Cod. biblioth. Cath. Eccl. Luc.*

Franciſci Carduli Narnienſis oratio habita apud Maximilianum Imperatorem pro eo inducendo, ut Italiam ex armis Gallorum liberaret, et Ludovicum Sfortiam reſtitueret. *Apud me.*

Commentarii delle azioni di Francia concernenti la Religione, ed altri accidenti, cominciando dall'anno 1556. fino al 1571. di Monſig. di Terracina, autor contemporaneo.

Bonacurſi de Mediolano de Catharis hiſtoria, multo quam apud Dacherium, in ſpicilegio, locupletior.

Teſtimonia de veritate indulgentiae portiunculae.

Haec habeo huc uſque parata; alia permulta ab Eruditis expecto, qui ſi fidem liberaverint ſuam, habebunt literati, unde ſitim ſuam affatim impleant.

Opus iſtud excudendum in ſe ſuſcepit, typis Vincentii Iunctini, *Ioannes Riccomini,* Bibliopola Lucenſis: ſed cum maius

maius ſit, quam pro viribus eius tenuioribus, ſuppetias ab Eruditis petit; quod ſi praeſtiterint, et bono publico, et ſuo commodo facient. Lege enim ſocietatis dandum illud proponit eo pacto, ut qui ei pretium prioris Tomi anticipatum Lucae ſolverint, volumen iam excuſum eodem pretio habeant; ita tamen, ut ſimul accipiendo primum Tomum, pro ſecundo anticipatos totidem Iulios ſolvant, et ſic deinceps. Pretium erit 20. Iuliorum; h. e. monetae noſtrae 2 thal. et dimidii circiter. Non ita vero res commode cedet negantibus promptam ſolutionem, nam illis ſingula eadem volumina Iulius 30. ſtabunt. Omnes inſuper, qui decem huiusce Operis Emtores hic Lucae proferent, integri operis donatione gaudebunt. Huius denique Societatis leges per totum annum 1761. patebunt, quo elapſo, nemo hoc beneficio fruetur.

Ioannes Matthias Geſnerus, Eloquentiae in Acad. Georgia Auguſta Goettingenſi Profeſſor, Vir celeberrimus, et de omni re litteraria immortaliter meritus, etſi feſſus propemodum ſenecta, tamen prodeſſe adhuc bonis litteris, et mori in ſtatione mavult, quam, quod reliquum eſt vitae, illiberali otio transmittere. *Syntagma Orphicum* parat, munus doctis hominibus omnibus hoc gratius futurum, quo maior eſt edentis, in omni antiquitatum atque bonarum litterarum ſcientia exercitatiſſimi, fama doctrinae atque celebritas. Iſtud autem Syntagma ita inſtituit Vir ſummus, ut

I. *Orphei Argonautica* ex variante lectione duorum MSS. et editorum omnium, itemque virorum doctorum obſervationibus undique collectis, recenſita, emendata, perpetuaque adnotatione et interpretatione nova explicata.

II. Eiusdem *Hymni*, et *de Lapidibus* carmen, ſimili collatione varietatis, et adſperſis vel ſuis, vel doctorum virorum obſervationibus, emendata, illuſtrata.

III. *Fragmenta Orphica*, diligentius quam adhuc factum eſt, undique collecta, diſpoſita, declarata.

IV. *In-*

IV. *Index* ſeu *Lexicon Orphicum* pleniſſimum, in quo fragmentorum etiam voces continentur.

V. *Praelectiones aliquot academicae*, quibus et Orphicorum quae habemus carminum ratio, et expeditio argonautica, et in univerſum antiquiſſima navigationis extra Herculis columnas hiſtoria, et notitia orbis antiqui, Hyperborei praeſertim, inſulaeque beatorum, non coniecturis, ſed teſtimoniis, qualia haberi poſſunt, explicatur.

Ex hac Operis oeconomia facile Lectores noſtri intelligent, quantum rei antiquariae omni, Poeticae, Graecitati denique, his Geſneri V. Cl. lucubrationibus acceſſurum ſit luminis; et quam eapropter optabile ſit, illuſtri editori vitam et vires a Summo Numine tribui, ut praeclarum hoc opus plene perficiat. *Fritſchius*, Bibliopola noſtras, operam daturus eſt, ut forma et litteris Homero Erneſtii ſimile hoc Syntagma Orphicum prodeat, utque veniat in manus doctorum hominum Nundinis Paſchalibus anni LXII.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCLXI.

Pars I.

ΟΜΗΡΟΥ ΑΠΑΝΤΑ

i. e.

HOMERI OPERA OMNIA; EX REC. et cum notis SAMUELIS CLARKII, S. T. P. Acceſſit varietas lectionis edd. veterum, cura IO. AUGUSTI ERNESTI, qui et ſuas notas adſperſit.

VOL. III. Lipſiae, impenſis Gotth. Theoph. Georgii, impreſſit Vdalr. Chriſti. Saalbach, A. CIↃIↃCCLX. 8. 1 Alph. 11 plagg.

Quum virtutes huius editionis Carminum Homeri omnibus cognitae ſint; quum nemo lectorum noſtrorum futurus ſit, cui ratio notarum Celeb. *Erneſtii*, e ſuperioribus Voluminibus, non ſatis nota ſit atque perſpecta: ſane alienum eſſet, eam nunc pluribus demonſtrare et exponere velle, praeſertim quum alio id iam tempore a nobis diligenter factum ſit. Omnino enim modus notarum, quas Clarkianis adiecit *Erneſtii* doctrina, etiam in hoc Volumine; quod libros duodecim priores Odyſſeae, cuius univerſae ſumma praemiſſa eſt, complectitur, idem eſt qui in Iliade. Sed

ne quid tamen diſſimulaſſe videamur, non aeque longas et copioſas animadverſiones Viri ſummi invenimus hac in Parte: cuius brevitatis multas, ſcimus, idoneasque afferri cauſſas poſſe. Sed ſingularum virtutum, age, proferamus exempla quaedam, quibus allici poſſint et invitari harum litterarum cupidi etiam ad hoc Volumen diligenter ſtudioſeque verſandum.

Atque latinae quidem Verſionis errores et vitia non raro corriguntur et emendantur, ſententiaque multorum locorum breviter, ſed perite eleganterque, aperitur, omninoque natura et vis multorum vocabulorum explicatur. α', 333. τέγος non eſt *domus*, ut habet latina Verſio, ſed *triclinium*. quo ſenſu et δῶμα legitur δ', 15, et δόμος ϑ', 57. itemque apud Callimachum H. in Cerer. 55. β', 5. verba ϑεῷ ἐναλίγκιος ἄντην interpres latinus reddit *deo ſimilis coram*. ſine ſenſu, ut ſolent qui verba annumerant lectoribus, nec appendunt. At ἄντην *Erneſtius* recte docet valere eo loco φανερῶς, interprete Heſychio, quae eius gloſſae pars huc pertineat, vel certe, quod nobis quoque placet, ſervire comparationi, ut ϑεῷ ἐναλίγκιος ἄντην idem ſit quod alias ἀντίϑεος ſimpliciter. Sic eadem rhapſodia v. 52. verba ἀπερρίγασι νέεσϑαι melius vertas *non ſuſtinent ire*, quam, ut eſt in Verſione vulgata, *horrent ire*. quod ſane a nemine, qui latine doctus ſit, intelligi poſſe videtur, niſi Graecorum iam verborum ſententiam repererit. φρένες ἐσϑλαὶ β', 117. nequeunt ſignificare *mentem bonam*, fraudes enim Penelopae atque doli tribuuntur, non mens bona. Rectius intellexeris *ſolertiam*, *ingenii acumen*, cui conveniunt νοήματα (v. 121.) quae de *ſolerter inventis* dicuntur, ut νοήσεις apud Ariſtophanem in Nubibus. Quae obſervatio ſimul oſtendit veram ſententiam verborum ἀτὰρ μὲν τοῦτό γ' ἐναίσιμον οὐκ ἐνόησεν, quae extant v. 122. eiusdem rhapſodiae. Ea haec eſt, *At hoc quidem inventum*, conſilium callidum, *ei non feliciter ceſſit*. At e verbis Verſionis vulgatae, *at quidem hoc probum nequaquam cogitavit*, quis tale quid divinando, non dicam eliciat, ſed exprimat? ζ', 158 ſ. eadem latina Verſio bis corrigitur.

rigitur. nam primo quidem docetur, verba περὶ κῆρι μακαρτατος ſignificare *longe feliciſſimum*, et ſine ullo ſenſu reddi vulgo *animo feliciſſimus*; deinde ὅς κε ἐέδνοισι βρίσας non tam eſſe *quicunque ſponſaliis praeponderans*, ut Clarkius vertit, demonſtratur, quam potius *quicunque donis largior*, aut *munerum copia*, nam βρίθειν idem declarare quod γέμειν, deinde *ab copia gravem eſſe*, paſſive et active. ί, 280. verba ἤ πȣ ἐπ᾽ ἐσχατιῆς, ἢ καὶ σχεδὸν, vel, ut in ed. Rom. rectius et elegantius legitur, ἤ πȣ ἐσχατιῆς, omiſſa Praepoſitione, ſic ſunt latine explicanda, *utrum in remoto aliquo abhinc loco, ſ. utrum longe hinc, an prope*, ut v. 117. ὄτε σχεδὸν ὄτ᾽ ἀποτηλȣ̃. Et ί, 402. τίπτε τόσον ἀρημένος ὧδ᾽ ἐβόησας verti et intelligi debet hoc modo, *quid tantum laeſus, tantopere vociferatus es*, hoc eſt, *quid tibi mali tanti accidit, ut tantopere vociferarere.* Inepte κ΄, 4. verba λισσὴ ἀναδέδρομε πέτρη interpretantur vulgo *laevis ſurſum procurrit petra.* immo debebant ita reddere, *laevis petra circumcurrit*, vel *cingit*, id eſt, *tota extremitas inſulae cingitur ſaxis, fluctuum appulſu laevigatis.* Sed ſatis dictum videtur de priore parte primae virtutis, quam oſtendimus verſari in tollendis emendandisque Verſionis latinae peccatis. Nunc ad alteram partem pergamus, ſubiiciamusque exempla quaedam, e quibus appareat, quam docte explicata ſit multorum verborum vis atque natura. Ab Homero, aliisque poetis, omnes norunt oppida et urbes ſaepiſſime vocari ἱερὰς: ſed cur ita appellentur, variae a variis cauſſae afferri ſolent. At *crediderim*, inquit Celeb. *Erneſtius*, (ad ά, 2.) *ſimpliciſſimum eſſe, ſi dicamus, quia auſpicato et ritibus ſacris adhibendis conduntur, deo ſacras urbes dici, ſicut omnia naturae opera, mare, caelum, montes, ſic appellantur, quia deum auctorem habent.* Κειμήλια ad β΄, 75. docetur proprie eſſe, *quae repoſita iaceant in penetralibus, ut cuſtodiantur propter caritatem;* unde fieri, ut ſaepe apud Homerum dicantur κεῖσθαι. Ab Callimacho H. in Cerer. nominantur χρήματα τὰ ἐν δόμοις κεῖτο. Deinde ita appellantur *omnia pecora.* Ad γ΄, 445. declaratur, praeeuntibus *Kuſtero*, (ad Ariſtoph. Aves 960.)

 alius-

aliiſque Viris doctis, qui ab *Valkenario* (ad Eurip. Phoeniſſ. 576.) laudantur, vis verbi κατάρχεσθαι. Dicitur enim de *omnibus quae in ſacrificiis fiunt ante quam caedantur victimae.* Hic τὸ κατάρχεσθαι fit *primo* adſperſa victimae aqua luſtrali: de qua dixit Euripides Iphig. Taur. 40. 56: *deinde* adſperſione molae: *tertio* pilis e capite tauri reſectis in ignem coniiciendis. Sed et de altera parte primae dotis, ex his facile iudicium facere poſſe ſperamus Lectores noſtros. Proficiſcamur igitur ad virtutem alteram.

Ea autem haec eſt, ut multa loca vel librorum veterum fide et auctoritate, vel ingenii doctrinaeque ope, integritati reſtituantur; multos verſus vel ab librariis, vel a Grammaticis, male ineptequе inculcatos, doceatur. Incipiemus a poſteriori notarum genere: deinde veniemus ad id, quod primo loco nominavimus. ν', 347 ſ. Ἀγχόθι δ' αὐτῆς ἄντρον ἐπήρατον, ἠεροειδὲς, Ἱρὸν Νυμφάων, αἳ Νηϊάδες καλέονται: Euſtathius abfuiſſe animadvertit ab nonnullis Codicibus. Et *Clarkius* quidem verſus illos cum recte et ſine ullo detrimento ſententiae abeſſe poſſe, tum e v. 103 ſ. huius rhapſodiae illuc migraſſe, exiſtimabat. Aſſentitur *Erneſtius*, additque, argumento νοθείας eſſe etiam hoc, quod in ſingulis partibus debeat eſſe Pronomen demonſtrativum, quod tamen ibi non ſit. Sed κ', 476 ſ. Ὡς τότε μὲν πρόπαν ἦμαρ ἐς ἠέλιον καταδύντα Ἥμεθα, δαινύμενοι κρέα τ' ἄσπετα καὶ μέθυ ἡδὺ, hos igitur verſiculos primus ſponteque νοθείας inſimulavit convincereque conatus eſt *Erneſtius*. Transferamus huc notam Viri celeberrimi integram, eorum cauſſa, quibus, dum haec legunt, libri copia non eſt. *Hi duo verſus,* inquit, *ſunt in omnibus edd. Sed ita manifeſte ſunt inſititii, ut mirer id neminem, quod quidem ſciam, animadvertiſſe. Nam de re, quae ineſt his verſibus, iam dictum v. 467 ſ. ubi etiam eſt idem verſus ἥμεθα etc. et ſenſus eſt loco alieno. Nam Ulyſſes hic vult, ac debet dicere, quid poſt illam admonitionem ſociorum fecerit de parando abitu. Nec eſt veſtigium horum verſuum apud Euſtathium. Sunt autem hi verſus repetiti ex libro ſuperiori, ubi bis occurrunt.* Eodem modo

v. 265.

Digitized by Google

v. 265. eiusdem rhapſodiae arbitratur eſſe inſititium. Nam *primo* deſideratur in ed. Flor. nec agnoſcitur ab Euſtathio: *deinde* omiſſus quoque erat in eo Codice, quem a *Tho. Bentleio* collatum auctor eſt *Clarkius*: denique manifeſte frigidus eſt, quum ἐλίσσετο iam allocutionem exprimat; ita ut non dubitandum videatur, quin aliunde huc migraverit, forte e β', 362. Neque verſus 531. rhapſ. ί ab ipſo Homero profectus, ſuoque loco poſitus videtur, ſed aliunde huc, haud dubie e v. 505. veniſſe: nam et ab Codice, quem modo diximus ab *Thoma Bentleio* conſultum eſſe, aberat, et in textu, qui in Commentariis Euſtathii p. 1643, 25. eſt, deſideratur. Eodem pertinet v. 30. huius rhapſodiae, quem nec *Bentleius* in ſuis Codicibus reperit, nec Florentinum exemplum habet, quod, pro ſua negligentia, non notavit *Barneſius*, eamque ob cauſſam ignoravit *Clarkius*. Etiam ab Euſtathii exemplis abſuiſſe verſum illum, perſpicuum eſſe videtur ex eius verbis, quae haec ſunt: Καὶ εἰπών, ὡς ἔρυκε μὲν αὐτὸν καὶ ἡ Καλυψὼ αὐτόθι, κατερήτυε δὲ καὶ Κίρκη αἰαίη, δολόεσσα, λιλαιομένη πόσιν εἶναι. Traductus huc fuit verſus ex ά, 15. Sed v. 303. rhapſ. θ', qui nec apud Euſtathium eſt, nec in ed. Rom. habetur, omnino delendum inducendumque cenſet *Erneſtius*. Etiam v. 133 ſ. rhapſ. έ ſuſpecti ei ſunt, temereque repetiti videntur e v. 110 ſ. praeſertim quum nec Euſtathius eos agnoſcat, et iam ſatis pateat e v. 130 ſ. τὸν μὲν ἐσάωσα - Οἶον, ſocios periiſſe, et ſolum advectum Ulyſſem. Eandem ſententiam fert de verſu 78. rhapſ. γ', qui in nulla editione antiqua extat, niſi in Romana, ex qua in alias venit: et de verſu 191. rhapſ. β', Πρῆξαι δ' ἔμπης ὔτι δυνήσεαι εἵνεκα τῶνδε, quem etiam numeris durum eſſe ait, et claudicantem. Sed ratio inſtituti poſtulat, ut demonſtremus, quanta diligentia uſus ſit *Erneſtius* libris antiquis etiam hoc in Volumine, ad emendandum vitiisque purgandum textum Homeri, et quam praeclaras ipſe coniecturas protulerit. ά, 86. oſtendit, pro Νύμφη εὐπλοκάμῳ reponi oportere Νύμφῃ ἐϋπλοκάμῳ, quod non tantum verſus ita fiat mollior, ſed quod nec Homerus

merus aliter ſoleat dicere. ά, 270. pro ὄππως κεν μνηστῆρας, contendit *Clarkium* debuiſſe reſcribere ὅππως κε μνηστῆρας· ſed facere id omiſiſſe, quod morem poetae non animadvertiſſet ſatis hoc in genere. Eadem rhapſodia v. 423. pro μέλας ἐπὶ ἕσπερος ἦλθε, iubet corrigi μέλας ἐπεὶ ἕσπερος ἦλθε; *cum veſper veniſſet. ſic enim*, inquit, *ſemper Homerus, cum ſequitur* δὴ τότε. *Vitium natum eſt e verſu praecedente. Odyſſ.* γ', 269 ſ. ἀλλ' ὅτε-δὴ τότε *etc.* ibid. 342 ſ. αὐτὰρ ἐπεὶ — δὴ τότε. Neque vero dubitat quin γ', 76. in verbis αὐτὴ γὰρ ἐνὶ φρεσὶ θάρσος Ἀθήνη θῆχ', pro αὐτὴ legendum ſit αὐτῷ, quum αὐτὴ neque aptum ſatis neque neceſſarium videatur, et quum aliis locis, ubi dii animum, robur, conſilium, iniiciunt hominibus, ſolum nomen dei vel deae ponatur. Videtur huc migraſſe e v. 62. Sic δ', 32. putat Homerum ſcripſiſſe ἀτὰρ νῦν μέν γε, non ἀτὰρ μὲν νῦν γε, ut *Clarkius* aliique ediderunt, quum tamen in antiquis editionibus, excepta Romana, ſit ἀτὰρ νῦν μέν. Et quia eodem loco v. 38. pro ἅμ' ἑσπέσθαι in eadem editione Romana extat ἅμα σπέσθαι, quod verbum etiam χ', 323. occurrit, ut non temere librario in mentem veniſſe debeat putari, eam ipſe lectionem probare videtur. δ', 61. reprehendit *Clarkium*, quod in textu tulerit δείπνου παssαμένω, neque receperit δείπνου πασσαμένω, quae eſt Romani exempli ſcriptura: nam *primo* Graecis non dicitur δείπνου πάσασθαι; *deinde* πάσασθαι *edere* valet, non *comediſſe;* denique aliis locis conſtat hoſpites interrogatos coena finita, i. e. παυσαμένους δείπνου, Odyſſ. γ', 69 ſ. Etiam δ', 497. pro μάχῃ δέ τι καὶ σὺ παρῆσθα, *Clarkius* reponere debebat, quod in Iliade aliquoties bene fecit, μάχῃ δέ τε καὶ σὺ παρῆσθα, quum τι ſenſum hic quidem commodum habere non poſſit. Idem exiſtimat *Erneſtius* ad έ, 120. de lectione ἥν τις τε φίλον, quam et ipſe invenit in omnibus editionibus antiquis, ſola Romana excepta, et *Tho. Bentleius* in uno Codice ſcripto: pro qua Stephanus reſtituit ἥ τίς τε φίλον, alii ἥ τις φίλον. Etiam έ, 208. recentiores editores temere receſſerunt ab auctoritate librorum veterum, in

in quibus omnibus eſt ἐνθάδε κ' αὖθι μένων, non ἐνθάδε αὖθι μένων, ut *Clarkius* cum aliis edidit. Eodem referendus eſt locus θ', 435. ubi pro ἔστασαν, et ſenſus deſiderat ἵστασαν, et libri editi veteres confirmant non minus, quam Codex manuſcriptus ab *Bentleio* adhibitus. ί, 235. praeeunte editione Romana, pro ἔκτοσθεν Homero dudum reddi debebat ἔντοσθεν: nam mox v. 251. Cyclops accendit illa ſigna *in* antro. Eadem rhapſodia v. 348. lectio editionum veterum ποτὸν νηῦς praefertur Vulgatae ποτὸν τόδε νηῦς, quam inde ortam putat *Erneſtius*, quod poſterior ſyllaba vocabuli νηῦς brevis viſa eſſet. Certe τόδε ſubfrigidum hic eſſe cenſebat. Sed κ', 7. certiſſimum eſt ἀκοίτας mutari debere in ἀκοίτις: nam ἀκοίτας valet *maritos*, non *uxores*. Lectio ἀκοίτας, quae ex editione Romana profecta eſt in poſteriores, vitium operarum eſſe videtur. κ', 124. vera ſcriptura eſt φέροντο, quam Heſychius quoque in libris ſuis habuit: nam gloſſa φέροντο· προσεφέροντο ex hoc loco Homeri ſumta eſt, quod non animadvertit Ienſius. Πένοντο, quod apud Euſtathium extat, aut gloſſema eſt, aut ab ipſo Euſtathio, memoriter verſum ponente, ut fit. Atque hactenus etiam de huius Voluminis virtutibus et dotibus, quibus illud *Erneſtii* doctrina ornavit et locupletavit.

Caeterum *Riccii* V. C. diſſertationes Homericas non ſemel laudari, multaque ex iis in notas derivata vidimus: vid. ad γ', 221. et κ', 82. Etiam *Neutoni* lapſus alicubi (ad ζ', 100.) vehementer caſtigatur; quae verba quid impedit quo minus, philoſophorum mathematicorumque illiteratorum cauſſa, adſcribamus? Σφαίρῃ ταί τ' ἄρ' ἔπαιζον) *Non inſpexerit hunc locum neceſſe eſt Iſ. Neutonus, cum, auctore Homero fretus, et Suidae de Nauſicaa loco, Nauſicaae inventionem Sphaerae aſtronomicae tribuit, et vero ſimillimum (ſcilicet) iudicat, id inventum eam accepiſſe ab Argonautis, dum in Corcyra morarentur. Quae eſt ridicula hallucinatio. Et tamen haec ipſa eſt ei baſis figendae epochae Argonautarum e ſiderum poſitu, qui fuerit, quo tempore Argonautae ad Corcyram appellerent. Tales*

ſunt

Digitized by Google

ſunt demonſtrationes philoſophorum et mathematicorum, literarum expertium, cum ſe ad hiſtorica conferunt.

USUS OPII SALUBRIS ET NOXIUS IN MORborum medela, ſolidis et certis principiis ſuperſtructus, a BALTHASARE LUDOVICO TRALLES, Medico Vratislav. atque Academiae Caeſar. Nat. Cur. Adiuncto. SECTIO TERTIA.

Vratislaviae, ſumtibus Io. Erneſt. Meyeri, 4. 1760. Alph. I. pl. II.

Si magnum quiddam eſt, quod nemo dubitat, a bonis viris laudari; nos ſane, cum huius, quod plus quam ſemel laudavimus, operis Sectionem tertiam inſpiceremus, nec potuimus, nec debuimus non dolere ſimul et admirari Celeberrimi Auctoris animum impatientem, qui, quamvis ipſe unumquemque, qua data opportunitate, ſcriptis ſuis refellere non dubitat, nullum tamen vel modeſtiſſimum honorificentiſſimumque diſſenſum ferre aequo ſatis modo poſſe videtur. Scripſimus in Actis anni MDCCLIX. p. 23 ſequentia: *Opium reſpirationem citatiorem et difficiliorem reddit,* quae quidem ſunt ipſius Auctoris verba, quibus ſubiecimus, quae ſequuntur: *Circa hoc phaenomenon nobis exiſtit dubitatio, neque nos, ab opio, iuſto doſi dato, reſpirationis difficultatem ortam obſervare adhuc potuimus. Opium quidem, minori etiam copia aſſumtum, reſpirationem facere paulo citatiorem debet per litt. a. b. c; ſed hoc celeritatis augmentum in perpaucis tam magnum eſt, ut in ſenſus incurrat. Rariores vero obſervationes de quibusdam hominibus, aut de opio nimia quantitate ingeſto, regulam non efficiunt.* Hanc ſententiam tam verboſe Clar. *Tralleſius* traduxit, ut totam propemodum praefationem nobis dedicaſſe videatur. Dolemus autem, Clar. Auctorem eo fere proceſſiſſe, ut nos non obſcuris verbis inſimularet ignoratae circulationis ſanguinis; quod quam ſit iniquum, omnes vident, ut adeo neceſſe non ſit, pluribus verbis refutare, aut ſententiam noſtram rationibus exquiſitioribus comprobare.

Verba

Digitized by Google

Verba illa, quae aliis egregie doctis viris elapſa, et ab Auctore ad defenſionem opinionis ſuae adhibita, nobis obiiciuntur, dupliciter peccant. Putarunt namque illi, et cum iis Auctor noſter, *experientiam alteram niti prioribus; ſi enim ſanguinis circulus ab opio intendatur, reſpirationem inde quoque difficiliorem fieri neceſſarium conſequens eſſe.* Verba priora peritiam dialectices produnt non ſummam; poſtrema vero oſtendunt, Auctores illos, noſtrumque, neſcire diſcrimen illud, quod eſt inter reſpirationem paululum citatiorem, et eam quae difficulter peragitur. Hoc diſcrimen ſi Auctor, ut debebat, probe perſpexiſſet, et verba noſtra aequo conſideratoque animo ponderaſſet, verboſitate ſua carere potuiſſet. Miſſa igitur inani litigandi vanitate, animum appellimus ad enarrationem eorum, quae hac Sectione tertia continentur. Cap. I. docetur, quae ſint convulſionis genera, quae opii uſum aut requirere, aut admittere videantur. Excluduntur convulſiones a repletione et ab exinanitione ortae, ſic tamen, ut iis, quae emeſi et alvi deiectionibus nimiis ſuperveniunt, vix aliud medicamentum medeatur commodius. Convulſiones a cauſa quadam irritante profectas uſum opii non raro exigere, ſive cauſa irritans tolli nequeat, ſive ſublata ea morbum convulſivum poſt ſe relinquat; attamen opium, hoc caſu, una cum caeteris medicamentis aegro morboque accommodatis, exhibendum eſſe. Convulſionibus cognata eſt epilepſia. Quae ſi hereditaria eſt atque connata, aut ſi a cauſa ſtabili et perenni quadam, quae caput ipſum eiusque partes afficit, originem et perennitatem habet, opii uſu adeo non levatur, ut reddatur quoque gravior. Neque epilepſiae id genus, quod evacuationibus ſolennibus, ſive feroſis, ſive ſanguineis, ſuppreſſis, attribuendum eſt, medicinas facile fert ex opio confectas. At in illa, quae violentam irritationem et commotionem totius generis nervoſi, ab animi affectu quocunque, dolore, aliisque rebus irritantibus effectam, ſequitur, nonnunquam multum boni a dato opio ſperare licet. Sed epilepſiae genus illud, cuius cauſa in extremis corporis partibus haeret, indeque verſus caput ſenſu

quodam punctionis, aut ſormicationis, aut alio quodam adſcendit, ab opio nulla ratione mitigatur. Cap. II de morbis convulſivis tractatur, oſtenditurque, opium hypochondriacis porrigendum non eſſe, niſi neceſſitas vehementer urgeat; ventriculi enim et inteſtinorum robur magis magisque data ea medicina debilitatur. Foeminis hyſtericis medicamenta opiata ſaepius quidem convenire, attamen ſi motus convulſivi non tam a ſpaſmis, ex infimo ventre prodeuntibus, quam a ſanguine ad caput congeſto, aut per vaſa uteri non excreto, ibidemque ſtagnante, ortum repetant, opiata remedia non bene expedire. Quin univerſe opium hyſtericis non aliter dandum eſſe, quam ut removeamus urgentia quaedam ſymptomata, et curationi per ea, quae genus nervoſum corroborent, perficiendae viam paremus. Siſtendis vomitionibus accommodatum eſſe opium tum, cum motus peccent, male vero dari, ſi materia quaecunque demum, ſive acris, ſive pituitoſa, excretionem ſui poſtulet, ſi vaſa ſanguifera circa ventriculum oppleta ſint, ſi ventriculus inflammatus; itemque ſi vomitus ſympathicus ſit a morbis inteſtinorum, hepatis, lienis, pancreatis, meſenterii, ureterum, capitis, aut a ſpaſmo febrium intermittentium univerſali, ortus ſit; neque prodeſſe, ſi ipſis ſolidis partibus ventriculi inhaereat vitium aliquod, ſive ulcus, ſive ſcirrhus, ſive callus aut cartilago ſit; valde etiam nocere, ſi vomitus criticus incidat, ſe ipſum alioſque morbos ſoluturus. De ſingultu eadem propemodum ſentienda eſſe. Non prodeſſe opium, ſi ſingultus ab ingeſtis, mole ſua ventriculum praegravantibus, excitatus, ſi inflammatorius febrilis, ſi ab excretionibus ſanguinis et ſeri ſuppreſſis, ab ingeſtorum acrimonia, a vermibus, a purgantibus et emeticis draſticis, ab acrimonia humorum, effectus fuerit, niſi fortaſſe malum id poſt idonea medicamenta adhibita ſuperſit. Singultum, a dolore et nervorum mobilitate profectum, plerumque opio recte curari. Eum vero, qui febribus intermittentibus iunctus eſt, opio peſſime tractari. Singultum, qui corporis refrigerationem excipit, dato opio ſatis feliciter miteſcere. Id vero nihil

poſſe,

poſſe, ſi luxatio, diſtorſio, aut fractura coſtarum inferiorum, vel cartilaginis xiphoidis, malum invehat, ſi cruſta ventriculi villoſa, omni muco obliniente ſpoliata, aphthis obſeſſa, ſi cerebrum vulneratum fuerit, ſi ventriculum partesve vicinas obſideat ulcus, ichor gangraenoſus, aut ſimile vitium quoddam, partes ſolidas laedens et deſtruens, ſi corpus ſuccis ſuis nimis exhauſtum fuerit atque exinanitum. Tandem ſingultui chronico et habituali, vitia nervorum altius radicata, partium malam conformationem indurationemque conſequenti, miſerum ab opio eſſe auxilium. Tractationi de ſingultu ſubiungitur diſputatio de Tuſſi. Tuſſis ab inſpiratis irritantibus aſſumtionem incraſſantium, et vapores ex aqua lacteque inſpiratos, primo poſtulat, deinde opium ad motus compeſcendos admittit. At tuſſis ab alienis in aſperam arteriam illapſis, a ſiccitate tracheae exorta, ab opio non levatur. Tuſſis catarrhalis, dato horis veſpertinis opio, plerumque miteſcit et recte curatur. In humida et habituali tuſſi, quae pulmonum debilitatem utplurimum ſequitur, aut certe efficit, interdum quidem medela ab opio fit, ſcilicet ſi motus nimis efferi compeſci debeant; alioquin vero uſus opii, mucum quippe incraſſantis, magis nocet quam prodeſt. Febris ſi iuncta fuerit tuſſi epidemicae, opium dare non expedit. Tuſſis ab acrimonia humorum, cuius generis eſt cachectica, arthritica, ſcorbutica, rheumatica, eryſipelatoſa, varioloſa, morbilloſa etc. aliquando quidem opium ferre poteſt, ſemper tamen poſtulat ut morbum principem magis, quam quodvis aliud, reſpiciamus. Neque tuſſis orta a materia, quae ab externis corporis partibus mala metaſtaſi repreſſa eſt, prorſus reſpuit opium. Tuſſis iuvenum plethoricorum, quorum vaſa pulmonica ſanguine referta, nondum vero rupta ſunt, opio non ſatis tuto curatur. Stomachica tuſſis opiatorum exhibitione perperam tractatur. Id quod de cachectica, quae ſtomachalem perperam curatam plerumque inſequitur, quoque ſentiendum eſt. Neque hypochondriacorum tuſſi convenit opium. Tuſſis convulſiva, ſeu ferina, utique conſopiens poſcit medicamentum, ſed tamen ea cura

dandum, ut uſus eius in delicatulis magis circumſpectus ſit, et reſpectus ad conſtitutionem epidemicam habeatur. His omnibus ſubiuncta eſt obſervatio practica, de uſu opii adverſus tuſſim, docens, ſanguinis miſſionem in exhibitione opii ſaepenumero neceſſariam eſſe, ne ſanguis opio rarefactus in caput et pulmones periculoſius ruat. Tuſſim excipit aſthma, de quo oſtendit Clar. Auctor, ei generatim conſiderato opii uſum adverſari, aeque ac aſthmatis cauſis, neque ipſi aſthmati convulſivo, cui urgente neceſſitate plerumque opiata opponi ſolent, iſta remediorum genera multum auxilii praeſtare. Tandem caput hoc claudit tractatio de cordis palpitatione, diciturque, huic affectui vix unquam mederi opium, niſi aut tenuis acrimonia irritans, ad externas corporis partes determinanda, aut excretiones quaedam compeſcendae ſint, aut ſola mobilitas ſyſtematis nervoſi peccet. Sequitur demum *Caput II.* de dyſenteria et aliis fluxionibus alvinis exponens. Atque primo quidem honorem opio debitum A. vindicat, neque audiendos eſſe putat eos, qui, eiecto per emetica et purgantia ſtimulo morbido, deiectiones et dolores ſponte conquieturos, anodynis igitur non opus eſſe dicunt. Ab initio morbi autem cogitandum eſſe de eiicienda materia acri et rodente, et opio ſubinde cohibendum eſſe impetum humorum ad inteſtina delabentium, doloremque inteſtinorum, omnia eo trahentem, conſopiendum; ſin morbus iam adultus et confirmatus eſt, ſtimulos emeticos et purgantes nocere, itaque ſolis decoctis lubricantibus, oleoſis, acre obvolvendum, villoſa tunica inteſtinorum obtegenda, et opii modica portione dolores ſedandos eſſe. Dyſenteriae cognata eſt diarrhoea; quae valde multiplex eſt, curari igitur eadem ſemper via nequit. Morbus ergo a qua cauſa efficiatur, videre medentes debent. Itaque hypercatharſis, a purgante draſtico excitata, recte curatur dato cum oleoſis et mucilaginoſis opio. Diarrhoea a crudis aſſumtis orta poſtulat materiae peccantis eiectionem alvique ſolutionem, ſubiunctaque in caſu neceſſitatis opiata, ſic tamen, ut, ſi ab relictis crudis rurſus inſurgat diarrhoea,

novo

Digitized by Google

novo remedio laxante alvus denuo ſolvatur, et, ſi diarrhoea permanens ab inteſtinorum laxitate proficiſci videtur, non tam opiata, quam aromatica et tonica adhibeantur. Quae nervorum mobilitati, a laxa fibrarum teneritudine ortae, debetur diarrhoea, non opio, ſed aromaticis nervinis et corroborantibus curanda eſt; quo pertinent remedia ex ruta, meliſſa, mentha, ſalvia, cortice Peruviano, item balſamica, ſales volatiles oleoſi, martialia. Neque lienteriae, neque coeliacae paſſioni conveniunt medicamenta opiata. Diarrhoea pituitoſa, a crudis tenacioribusque ingeſtis orta, opio perperam curatur. Sin pituita inteſtinorum parietes obducens ac defendens alvo exit, et inteſtina nudata torminibus excruciantur, una cum aliis remediis adhiberi poteſt opium. Diarrhoeae ſeroſae et lymphaticae curatio, tum, cum a repreſſa perſpiratione cutanea originem repetit, opiata admittit. A curatione veri fluxus hepatici omne abeſſe opium debet. Diarrhoea cruenta, nullo dolore, nulloque teneſmo comitata, opium non requirit. Si diarrhoeae atrabiliariae accedat inteſtinorum dolor, is pauxillo opii leniri poteſt. Diarrhoeam purulentam et ulceroſam perperam cohiberet opii uſus, ſive pus in ipſis inteſtinis genitum fuerit, ſive aliunde eo delatum. Diarrhoea colliquativa ſollicitatos opium etiamſi non ſanitati reſtituit, recreat tamen; ſin ea mercurialem ſalivationem ſubſecuta fuerit, hominem etiam ſanat opium. Diarrhoeam ab acribus particulis podagricis, rheumaticis, ſcabioſis, ſimilibusque, ad inteſtina delatis ortam, ſalubri ratione cohibet opium, acria illa ad cutim propellendo. Febrium diarrhoea multiplex eſt. Si critica, opium non admittitur, niſi ex deiectionibus alvi nimiis vitae timendum fuerit. Symptomatica dici ſolet, cum tempore morbi, quod criticum non eſt, incidit. Sed niſi morbi ſymptomatumque exacerbatio inde metuenda eſt, ne illa quidem opio compeſci vult. Sectionem hanc tertiam, quae non minori lectionis varietate, quam priores duae, commendabilis eſt, quarta, eademque poſtrema, ut non longiori mora interpoſita ſubſequatur, omnes nobiscum Lectores optaturos eſſe nulli dubitamus.

HISTO-

HISTORIA CRITICA CATONIANA PER SINGULorum ſeriem conſuetam DIONYSII CATONIS DISTICHORUM ex ordine deducta. Cui praemittitur Maximi Planudis Metaphraſis graeca, cum caſtigationibus IOS. SCALIGERI in eandem perpetuis: itemque DESIDERII ERASMI concinna Expoſitio. Adnexae ſunt Clariſſimorum Virorum BARTHII, OPITII, DAUMII, WACHII, BOXHORNII, CANNEGIETERI, WITHOFII, et ARNTZENIORUM fratrum, Animadverſiones ſelectae. Addita quoque ad calcem Diſtichorum cuique nova paraphraſis.

Amſtelaedami, ap. Franc. Houttuyn, 1759. Alph. 1. plagg. 20. in 8.

Quamquam qui Hiſtoriam Criticam Catonianam ſibi promitti audiunt, non niſi de eiuſmodi opere cogitare poſſunt, in quo, quidquid a ſuperiorum interpretum ingenio atque cura, ad illuſtrandas Catonis ſententias, profectum ſit, (quo in genere ſane multi, iique doctisſimi homines, elaborarunt,) ſincere proponatur, diligenter expendatur, argumentis denique idoneis confirmetur aut refellatur: tamen veremur ne lectorum in ceteris omnibus, praeter eam, quam de magnitudine voluminis fortaſſe habebant, expectatio deſtituatur. Nam quae Auctor Anonymus ex *Arntzenii* Commentariis, et *Cannegieteri*, contra *Boxhornii* de Catone querelas, et ex *Withofii* diſſertationibus affert, propemodum plagularum complendarum cauſſa potius deſcripta eſſe, quam aliqua iuſta ratione in medium prolata videntur. Sed multo rectius etiam ea apud ipſos auctores leguntur. Adeo pleraque truncata et diſtracta reperiuntur, ut vix Orphei membra a Ciconum matribus inter Orgia Bachi miſerabilius diſcerpi potuiſſent. In primis hoc accidit obſervationibus *Arntzenii*, contra quas libenter dicere ſolet; quod facile cognoſcent, qui conferre eas cum Hiſtoria Critica paullo diligentius velint. Neque ſolum aliena, ſed ſua etiam conſueta

ſueta hac ratione profert; veluti quae de auctore libelli, et de aetate qua vixit, quae de origine et auctore praefationum, quem *Auſonium* fuiſſe exiſtimat, quae de coniunctione diſtichorum ſcribit, quae facile unusquiſque ſemel et accurate diſputari, quam per totum librum diſpergi et aliis immiſceri velit. In ſententia quidem diſtichorum declaranda, agnoſcimus omnem eius laborem conſumi, quod quidem reprehendendum non arbitraremur, ſi talia eſſent ſcripta Catonis, quae, ut intelligantur, magnum laborem deſiderent. Nam non veremur dicere, *Anonymum*, dum relictis verbis, *ad ipſam uſque altius penetrare rerum medullam* cogitat, quod *Opitium* feciſſe laudat p. 10. Hiſt. Crit. ſaepe ultra ſententiae terminos evagatum fuiſſe. Quo pertinent quae ad Lib. 1. Diſt. 14. de linguae officio diſputantur p. 72. Sed iam de ſingulis quibusdam videamus.

Promittit titulus Hiſtoriae Criticae Catonianae adnexas *Barthii*, *Opitii*, et *Arntzeniorum Fratrum* Animadverſiones ſelectas. Atqui *Ottonis* tantum *Arntzenii* in hunc auctorem obſervationes habemus; ſed Ioannem fratrem, qui olim Profeſſor Artium Franequerae fuit, notas in eundem edidiſſe aut ſcripſiſſe, neminem unquam audiviſſe arbitramur. Neque vero per totum opus, quidquam ex huius *Arntzenii* curis prolatum eſſe novimus, niſi ad L. II. Diſt. 6. et ad L. IV. Diſt. 32. Prior locus oſtendit aliquam *Iohannis Arntzenii* coniecturam, iam commemoratam a fratre, et ob iuſtas rationes non approbatam. In altero autem, dum iactat *Arntzeniorum fratrum operam non ſatis laudandam*, reſpicit ad eius aliquam obſervationem in *Plinii* Panegyricum, quem ne locum quidem affert.

Ad L. I. Diſt. 1. poſt *Alciati*, et *Giſb. Cuperi* interpretationem, *Crucii* denique ſententiam adfert: „quoniam animus noſter „Deus eſt, i. e. plane divinus, ut carmina poetarum teſtantur, „hic ergo nobis ſemper excolendus, ac decorandus pura „mente, i. e. ut ſit vitiis purus, et ſcientia et virtutibus or„natus.“ Queritur Anonymus, eam *crude et indigne* nuper a viro erudito fuiſſe exceptam, qui non aliter iſta, ſibi videri dixerit,

Digitized by Google

dixerit, quaſi quis diceret *animum vel Deum eſſe colendum animo vel Deo.* Anonymus autem rogat, quidni? *Deus qui Spiritus eſt, colendus eſt Spiritu* etc. Nempe, debebat animadvertere, neque iſtorum interpretum ſententiam, ita, ut *Crucius* fecit, debere explicari, neque ſuam eius ſententiae interpretationem ullum locum habere. Iam, cum apertum ſit, ſi ordo verborum ex voluntate iſtorum interpretum ſic conſtituatur, *quoniam animus nobis eſt Deus*, ſententiam verborum eſſe plane ineptam, quod viderunt *Barthius* atque alii; non erat neceſſe, quod ne quidem fieri poteſt, tam diverſas ſententias velle inter ſe conciliare.

Ad L. I. Diſt. 9. laudat eruditiſſimi *Withofii* verba, ex ipſius in *Catonem*, qui ipſi *Serenus Sammonicus* eſt, diſſertatione. „Male vulgo *cumque mones* exhibetur, nulla ita diſticha con„nectuntur, quod intentioni Scriptoris penitus adverſatur, „qui ſingula diſticha, tanquam peculiaria, voluit ſeparatim le„gi et memoriae mandari. Ipſe hoc in fine opuſculi non „obſcure indicat." Omnia redeunt ad ſignificationem vocis *cumque*, quae ſi conciliari cum ceteris poteſt, intelligitur profecto non ſolum ſecari nodum ab iis, qui contra hanc lectionem pugnent, non ſolvi; ſed etiam Anonymum temeritate valde reprehendenda abreptum fuiſſe, qui *Daumii*, modeſtiſſimi hominis, coniecturam *quum moneas*, contra omnes Codices MSS. et antiquiſſimas Editiones, in textum receperit. Sed haec verae Critices praeſidia minime curat, ſatis bene ſe rem egiſſe ſibi perſuaſus, ſi Epicteteis locis auctoris verba obruerit. Igitur *Scaliger* et *Arntzenius*, tantum conſenſum Codicum ſecuti, nihil contra lectionem *cumque* audendum ſibi putarunt, ſed vocarunt in partes locum *Horatii* Od. I, 32, 15.

dulce lenimen mihi cumque ſalve rite vocanti.

quorum hic exponit iſta, cum *Scaligero* et *Torrentio*, *quandocumque*, et rem omnem in ſuis obſervationibus, quas neminem poenitebit inſpexiſſe, luculentius demonſtrat. At ille *fortiter* ſe *dubitare* profitetur, *an peculiaris et unicus* iſte *nexus lyricus pari modo poſſit eſſe efficax aut harmonicus in breviſſimi*

ſimpli-

Digitized by Google

ſimpliciſſimique generis carmine. Et hac una dubitatione, quae nullius plane momenti eſt, rem confectam eſſe putat. Neque vero *Malſchium* audire debebat, qui ex *Scaligeri* quibusdam Codd. ceteris tamen ipſius et *Arntzenianis* omnibus conſentientibus, legebat: *Quando mones*, ne forte haec diſticha contra voluntatem ſcribentis coniungi viderentur. Videtur iſta lectio interpretamentum prioris habere. Addit poſtea: „deinde demus, poſſe dici, ſed poetice per Tmeſin „aliquam, *cumque mones quem* pro *quemcunque mones;* at non „inde ſequitur dicendum et: *Cumque aliquem*, pro quemcumque: nemo enim unquam fando percepit vocem aliquiscunque pro quicunque." Nihil verius. Apparet, non intellexiſſe *Anonymum* obſervationes doctorum, quibus tam male utitur. Quaſi vero in his, *cumque* eſſet, *et cum,* et non, *quandocunque.* Nihilominus, tanquam re acutiſſime perſpecta, inſultat, et vertice ſidera ſibi tangere videtur, tandemque cauſſam imperitiae magnifice perorat: „ſed ceſſemus a ſtrepitu, quandòque et bonus dormitat Scaliger, „ſuumque illud per ſomnum crepat, *Fuimus Troes* etc."

Diſt. XII.

Rumorem fuge ne incipias novus auctor haberi
Nam nulli tacuiſſe nocet, Nocet eſſe locutum.

Suſcipit Auctor Hiſtoriae Criticae certamen cum *Arntzenio* quidem, ut ex iis apparet quae ſcribit p. 58. ubi haec ipſius affert. „Si per libros liceret, hic emendandum eſſet *nocet* „*eſſe locuto.* In primis cum modo dixerat, *nam nulli tacuiſſe* „*nocet.* Sed tacentibus libris nil quidquam temere tentan„dum." At qui cognoverit, haec *Arntzenium* afferre ex ſententia *Heinſii* ad *Ovid.* XIV. Her. Epiſt. vſ. 64. intelliget, non ſolum malam fidem auctoris, qui obſervationem *Arntzenii* truncaverit, ſed etiam malevolentiam, qui libentius cum hoc, quam cum ipſo *Heinſio*, congredi voluerit. Dicit igitur „ſi, uti tacent, ita vel maxime omnes eam lectionem „libri addicerent, delendam tamen, et in eam, quae iam re„cepta eſt, iterum mutandam ſtatuerem." Cauſam huius decreti habet hanc, quod ſibi perſuadet, quae in priori

membro negatio ſit, eandem, ſi idem caſus ponatur, in poſteriori eſſe repetendam. Fateor, per totum illud opus nuſquam ipſum ſe tam grammaticum praeſtitiſſe, quam in eo loco, ubi fictis aliquot exemplis, nam ex ſcriptoribus antiquis nulla proferre ſciebat, ſententiae ſuae adiumentum quaerit. Propoſitam ſibi habuit *Heinſius* exquiſitiorem latinitatem, quam, praeter locum commemoratum, ſequitur *Ovidius* Metam. VIII. 406. *licet eminus eſſe fortibus.* Quanquam etiam altera ratio in qua accuratius ponitur, ſi MSS. confirmetur, defenſoribus non deſtituitur. Vid. *Miſcell. Obſerv.* Vol. V. T. I. p. 14. et *Oudendorpius* ad *Caeſar.* B. C. III. 1. At enim vero quae *Anonymus* de duplici in talibus negatione ſibi fingit, refelluntur omnino *Ovidii* verbis Met. XI. 219.

— *Si quidem Iovis eſſe nepoti*
Contigit haud uni; coniux Dea contigit uni.

Nempe in his oppoſitio omnem facile dubitationem eximit. Quod ſecus eſt in exemplis quae *Anonymus* ridicule affert. Neque vero verba Hebraica huc quidquam faciunt. In iis enim copula ו, tam negationem, quam affirmationem indicat.

Diſt. XXXI.

Quod iuſtum eſt petito vel quod videatur honeſtum etc. unice recte explicat *Arntzenius* de iis quae amicus ab altero petit, non de eo, quod quis iudicio petit, ut *Cannegieterus* et *Anonymus*, qui ubique explicationes remotiores captat, interpretantur.

Diſt. XXXV.

Ne dubites cum magna petas impendere parva.
His etenim rebus coniungit Gratia caros.

Male huc referuntur p. 150. Hiſt. Crit. quae de magnis et parvis apud Epictetum leguntur, quae longe alia ſententia ibi, quam hic dicuntur. Nam ibi *magna* ſunt ea omnia, quae ad virtutem et ſapientiae ſtudium pertinent, in quibus quaerendis non tam poſſunt dici *impendi parva*, quam *negligi, contemni;* neque vero de his eſſe ſermonem, patet ex altero Diſtichi membro. Sed ſic ubique, quoniam ſibi propoſuerat

Digitized by Google

ſuerat Catonem ex Epicteto illuſtrare, affert ea, etiamſi minima vel nulla ſit commoditatis ſpecies. Eiusdem generis ſunt quae ad Diſtich. XL. ſcribit p. 167. Certe ad tam reconditas ſententias puerum non invitabat pater. Plura autem exempla eius rei, cum ubique in oculos incurrant, ſupervacuum eſt addere.

Ad L. II. Diſt. VI. p. 209. Hiſt. Crit. mala fide profert verba *Ciceronis*. „Vel quod ait Cicero: qui ſemel ut pudi-„citiae, ita cuiuscumque demum rei, fines tranſierit, eum be-„ne et gnaviter oportere eſſe impudentem.“ Locus eſt Ep. ad div. V. 12. Egregium vero linguae latinae peritiae documentum! An unum idemque putabat eſſe *pudicitiam* et *verecundiam*, qua voce recte *Cicero* uſus eſt? Nimirum, neque ex uſu optimorum auctorum cognitionem ſibi ſignificationis vocum paraverat, neque Commentariis doctorum legendis ad eam facultatem pervenerat, ſatis tamen ad quidvis affirmandum et negandum paratus. Nam ab hoc errore ſibi caviſſet, ſi, quae de uſu vocum *pudicus*, *pudicitia*, egregie docet *Dukerus* ad *Flor.* IV, 11, 9. cognita habuiſſet. Deinde vero, cuius tandem cauſſa locum profert? In ea diſputatione, ubi multis aliis auctorum locis oſtendere conatur, mediocritatem eſſe ſervandam. Quam quidem ſententiam iſta verba plane non demonſtrant. Deſideramus omnino diligentiam in ſimilibus locis proferendis. Sic ad huius libri Diſt. XXXI. p. 322. H. Cr. ſcribit. „Cic. in Catilinam ait: „*Abiit, exceſſit, evaſit, erupit.* dum ita continuatam eiusdem „ſignificat actionem, ut ea fere ſit continua, et quaſi una ea-„demque. Quidſi etiam hoc in actione continuum indicare „voluerit Auctor. Idem illud: *Quod optat ſperat, dum vigi-„lat, dum ſomniat.*“ Sane in hac comparatione inconcinna multa, quae ipſe non videbat, nos videmus.

Lib. III. Diſt. II.

Fortunae donis ſemper par eſſe memento,
Non opibus bona fama datur, ſed moribus ipſis.

Cum a plerisque Codicibus hoc Diſtichon abſit, demus hoc Anonymo, ut liberius criſin exerceat. Nempe is pro *pa-*

rere, repoſuit *par eſſe,* quod ſane non diſplicet, ſed tamen aliquid eſt quod admonendum eſſe putemus. Primum quidem facile quiſque mecum deſiderabit loca ſimilia, in qua re, etiamſi faciles ſimus, tamen illa dubitatio relinquitur, quod *fortunae dona* non commode ad adverſam fortunam, de qua interpretatur *Anonymus*, referri poſſunt. Dixit enim auctor *fortunae dona* de felici rerum ſtatu, de divitiis, pro quo inſequenti verſu dixit *opes.*

Lib. III. Diſt. IX.

Quod tibi ſors dederit tabulis ſuprema notato
Augendo ſerva; ne ſis quem fama loquatur.

Novitas ſane ſententiae allicit *Anonymum*, ut conſentiat in emendationem *Cannegieteri,*

Quae tibi ſors dederit tabulis ſuprema notato
Augendo ſervo —

Mirae quidem ſenſus facilitati perſpicuitatique, quam iactat, plurima obſtant. Quorum primum illud eſt, quod pro *ſuprema,* ſi notet ea, quae ultimo loco, vel inter heredes, vel in teſtamenti tabulis ſcripta ſunt, dicendum eſſet *extrema. Cicero, extrema pagella pupugit me chirographo tuo.* Igitur vel illud vocabulum *ſuprema*, indicat coniungendum eſſe cum *ſorte*, ut *ſors ſuprema* ſit hereditas, quod recte vidit Cl. *Arntzenius. Suetonius* Octav. 66. *ſuprema iudicia amicorum moroſiſſime penſitavit.* Deinde, *augere aliquem* non abſolute, ut arbitramur, dici poteſt, ſed requirit Ablativum rei, qua aliquem auctum eſſe dicimus. *Cicero* poſt Redit. in Sen. cap. 1. *quorum beneficio et haec tenuimus, et ceteris rebus aucti ſumus.* Dicit *Cannegieterus; augetur ſervus unice data libertate*, hoc igitur erat addendum, nam ſimpliciter *augere ſervum* non poteſt eſſe, libertatem ei donare.

Lib. III. Diſt. XIV.

Multorum diſce exemplo quae facta ſequaris etc.

Rationem reddit Anonymus p. 590. cur ad *exempla multorum* provocet *Cato:* „quoniam quae plane ſingularia, quaeque „rariſſime, aut vix ſemel iterumque, in univerſa omnium vita „hominum occurrunt, ut etc. non ita tuto aut utiliter in mo-

„rum

„morum exemplar trahere et adhibere poteris, atque ea, „quae multorum exemplo, ſive laudabili, ſive iure merito- „que reprehendendo, firmius iam quaſi ſtabilita, in noſtrum, „in aliorum ſint commodum, atque in commune emolumen- „tum melius ceſſura." Auſim affirmare, de his *Catonem* eo tempore non cogitaſſe, non magis quam *Ciceronem*, cum p. Arch. c. 6. diceret, *nam niſi multorum praeceptis, multisque litteris mihi ab adoleſcentia ſuaſiſſem.* Una vera ratio eſt, quoniam virtus admiratores multos, vitium vituperatores multos ſemper habuit.

Lib. IV. Diſt. XLVII.

Quum tibi ſit coniunx ne res et fama laboret
Vitandum ducas inimicum nomen amici.

Explicationem loci, a *Scaligero* et *Opitio* ſumtam, mira confuſione involvit. Unde enim illud, aut quam veri ſpeciem habent, quae ſcribit p. 616. „Sic re ipſa vel optima no- „mina fiunt mala, et vere eiusmodi amicus, cui tu cum de- „trimento familiae nimium indulſeris, inimicum nomen rei „tuae. Tu ergo mihi crede, id vitandum ducas: *Nam tua* „*res agitur.* Hoc alterum." Quid enim huc faciunt, quae de ſignificatione debitoris, quam habet vocabulum *nomen*, affert? Quomodo iſta, *tua res agitur*, quidquam ad illuſtrandum illud, *ne res et fama laboret*, conferunt? Videmus quam ipſi familiare ſit ſumma imis miſcere, et tamen quaſi fuligine abſterſa, ingenti ſuperbia efferri. Quod demonſtrant, quae poſtremo loco ſcribit: „Haec vera, genuina haec, „haec utrimque ſibi conſtans Diſtichi mens eſt; neges, mo- „ramur ſecus ſentientes. Ut aliquando et nos criticum il- „lud detonemus ore celeuſma." Nimirum criticam illam vim, quam conceptam iamdiu continebat, tandem aliquando effundendam putavit.

Quare, quo ſtudio, qua ſpe, lectores ad illud opus *Hiſtoriae Criticae Catonianae* ſibi accedendum exiſtimare debeant, ex his paucis, quae ex illo delibavimus, facile ipſos intellecturos eſſe arbitramur.

Digitized by Google

PALAEPHATI DE INCREDIBILIBUS HISTORIIS Liber, graece, e recenſione SEGIM. FRID. DRESIGII, cum eiusdem notulis, quibus ſuas Animadverſiones, una cum indice verborum graecorum copioſiſſimo, atque praefatione, adiecit IOANNES FRIDERICUS FISCHERUS. Editio Tertia.

Lipſiae, ap. Io. Chriſtian. Langenhem. 1761. plag. 10. in 8.

Fruſtra ſane dicitur, quicquid ab iis, qui litteris humanioribus male volunt, profertur, ad quae adeo ſaepe reſponſum eſt, ut putidum eſſet leviſſimas illas reprehenſiunculas ut rem magnam refellere velle, cum neque ipſae ſe ſatis tueantur. Melius in his rebus exemplis pugnatur, quam rationibus, et, ſi clarum facere poſſumus, viros ab his ſtudiis profectos, tantum abeſſe ut inutiles reip. ſint, ut potius vehementer proſint, uno hoc ſatis ad omnes illas argutias reſponſum erit. Ac ne a noſtra hac gloria ſecedamus, habet, habet noſtra quoque Lipſia viros, quos Batavis atque Anglis opponat, ne iſti homines nos, quia divitiis cedimus, ingenio quoque et doctrina inferiores nos eſſe velle, exiſtimet.

Quorum omnium, quamquam nos nulli iniuriam facere velimus, principem et quaſi ſigniferum putamus *Io. Frider. Fiſcherum*, V. Cl. qui graecas et romanas litteras ita exacte accurateque cognovit, ut Roſcius quaſi aliquis in hac arte videatur. Atque revera ita eſt, moroſae ſunt eae litterae, neque ferunt amatorem, qui alias quoque praeter ſe ſectetur. Qui vir cum iuventutem apud nos optimis artibus erudiat, pro ea qua eſt magnitudine animi, non putat ſe ſatis feciſſe officio, niſi quoque communis doctor eorum, qui graecas litteras plus aliquid continere, quam τύπτω τύπτεις τύπτει putent, poſſit videri.

Edidit ille, pro incredibili ſollertia in his rebus, auctores plurimos, graecos pariter ac latinos, et nunc denique, quem dixi-

dixímus Palaephatum. Iam quantum in ea re laboris ſit, illi quidem homines reales, ut ſe dici volunt, nunquam agnoſcent; contra qui initiati myſteriis meliorum ſtudiorum ſint, facile ex hac ipſa opera de doctrina eius viri, qui ardua coepta tam feliciter exſequitur, poterunt iudicare. Videtur enim Palaephatus eſſe ex iis auctoribus, qui, ut meruerant incolumes ad nos transmitti, ita temporis atque ineptorum quorundam hominum iniuria non nimis commode ſunt tractati. Nos ſane miro amore in hunc ſcriptorem ferimur, fortaſſe ob memoriam primae aetatis in hoc tractando conſumtae; fortaſſe autem, quod verius eſt, ob elegantiam, ſuavitatem, et bonitatem ipſius libelli. Itaque ille ſe bonis omnibus ſemper probavit, qui hunc fontem hiſtoriae non tam fabuloſae, quam verae antiquae, omnes agnoſcunt. Habitus autem eſt peſſime. Nam, quae ſententia ſummorum virorum eſt, e maiore opere hae quaſi laciniae, ſatis quidem illae bonae, ſed quae tamen hoc magis integrum opus deſiderari faciant, ad nos devenerunt. Quin etiam cum mos ſit auctori, quod primo ſtatim intuitu cognoſcere licet, non narrare ſolum fabulam, ſed enarrare quoque, i. e. veram eius ſpeciem, liberatam a poetarum pigmentis exhibere, hoc ipſum, quod maximum erat, ſaepe fruſtra quaeritur, narratione 47. 48. 49. 50. 51. Neque enim exiſtimandum eſt, Palaephatum, tam acutum hominem, has maxime incredibiles hiſtorias pro veris habuiſſe, narraſſeve, cum ceteris in rebus acutior fuerit. Codices autem ipſi adeo variant, ut paucis in aliis tali modo; neque in vocibus tantum, quamquam etiam hic, neque ulla eſt paene per totum libellum narratiuncula, quanquam breviſſima, ubi non minimum ſex aut ſeptem diſſenſiones inveniantur. Gloſſemata in textum recepta, facilius verbum pro difficiliori ſubſtitutum, et, quod miſerrimum eſt, codices ipſi, quibus fides habenda eſt, ſaepe claris corruptelis valde ſuſpecti fiunt, neque, quis inter eos optimus ſit, et religioſi teſtis auctoritatem habeat, facile apparet. Saepe nomina propria falſiſſima ſunt: ſaepe diſtorta, Atque inſuper adſutae ſunt auctori laciniae, et

brevio-

Digitized by Google

breviores, et ſaepe etiam ſatis longae. Aliquae etiam ridiculae, ut in fabula de Phrixo, ubi ad finem eſt, eſſe quoque qui per vellus aureum librum intelligant, quo praecepta Alchymiae contenta fuerint. Haec quidem olim e textu eiecta ſunt, ut alia ſimilia; ſed tamen, quoniam ſecundum eos codices iudicandum eſt, qui ante manifeſti erroris damnentur, facile unusquiſque intelligit, quam lubrica haec omnia ſint.

Verum itaque eſt, quod a Comico Graeco dicitur, bonum ingenium eo melius verſari in rebus, quo difficiliores eae ſint. Nam Fiſcherus noſter ita auctorem tractavit, ut meliorem medicum ille ne ipſe quidem optarit, ſi loqui poſſet. Et ut per omnem vitam ille vir candidum integrumque animum prae ſe fert ubique, antiquae eruditionis, antiqui moris exemplum: ita etiam in illis ipſis annotatiunculis, quanquam illae non viderentur id declarare poſſe, totum animum quaſi tabella pictum exhibet. Quae alii bona protulerunt non diſſimulat, nihil carpit, neque ruinis exiſtimationis aliorum ſuam gloriam ſuperaedificat, gnarus meliorum artium, quibus haec parentur, induſtria, virtute, ingenuitate, candore. Aliorum inventa non venditat pro ſuis, lectorem vaniſſimo illo artificio, notas notis cumulandi, et eruditionis famam ventoſis allegationibus, oneroſis annotationibus, centies dicta repetendi, et ſi qua ſimilia ſunt, non onerat, non obruit. Ipſe ſe libellus, ipſa huius viri opera ſe ipſam abunde commendat. Critica cum duabus rationibus diſci poſſint, longa altera, i. e. per praecepta, compendiaria altera, et optima, per exemplorum bonorum intuitionem, nos unicuique harum rerum ſtudioſo ſuaſerimus, ut et omnes animadverſiones Fiſcherianas ſuper bonos auctores, atque has etiam Palaephatianas, quam diligentiſſime cognoſcat, omnia enim bonae criticae praecepta hic exemplis expreſſa inveniet. Religioſus eſt editor in emendando, rarus in hoc, et fere nunquam, niſi coactus. Aliorum correctiones, ſi ſint neceſſariae, probat; ſi ingenioſae, non reprehendit; ſin vero iis ſuperſedere poſſit, libentiſſime id facit. Et, quod ſaepe ſumus veriti, ne plurimae correctiones in veteribus auctoribus ex ignorantia

rerum

Digitized by Google

rerum et uſus loquendi oriantur, in hoc nos plane confirmatos a Celeb. Fiſchero experimur, qui id multis exemplis hoc libello paſſim clarum fecit. Ipſe vero cum ob cognitionem linguae maxime ad hanc rem idoneus ſit, tamen in hoc ipſo timidior eſt, plane in hoc diverſus ab eo, cui ipſe in munere quo fungitur tertius ſucceſſit Dreſigio, quem non raro refellit, at ſi quid boni attulerit, non averſatur. Id quod nos noſtro quoque exemplo perdocti ſcimus, quam non debeat fieri. Nam cum olim vehementi flagraremus amore graecae linguae, ſumſimus in manus veteres illas Baſileenſes, Hagenoenſes, et alias tales editiones, et ſi quid non arrideret, annotabamus, aut emendabamus quoque. Has nunc cum relegimus, perſpicue nos nihil tunc ſapuiſſe intelligimus, et nos longe cordatiores editore illo veteri fuiſſe. Fiſcherus autem, ſi aliorum coniecturas ſequitur, quod paſſim apparet, non ſine graviſſimis rationibus id facit; ſi ipſe emendat, primum emendatt. ſunt facillimae, ut nobis ſaepe ſuccenſeremus, quod non nobis etiam haec in mentem veniſſent. quod ſane bonae emendationis certiſſimum indicium eſt. Habent autem illae animadverſiunculae, mole non graves prolixaeve, utilitatis autem maximae, obſervationes non paucas de natura graecae linguae, eiusque elegantiori uſu loquendi: quamobrem ſi quis haec diligenter legat, plura inveniet, quae in magnis et portentoſae molis editionibus fruſtra quaeſiverit. Neque enim Fiſcherus id conſultum duxerat, diſſertationes integras, notasque politico phyſico hiſtorico criticas, et quae deliramenta non? Auctori allinere, ut ille non magis prae multitudine annotationum conſpici poſſit, quam luſcinia, quam ruſticus, magno pretio emptam, ollae ſemicubitali crambis coctae indidit, quae deinde inveniri nullo modo poterat.

Supereſt nunc id, ut arbitramur, ut, quid ſigillatim hoc libello contineatur, exponamus. Poſt titulum praefatio ad Fratrem eſt, eaque referta utiliſſima et elegantiſſima enumeratione, quid a quoque auctore edendo Palaephato praeſtitum ſit. Hanc ſequitur Dreſigiana praefatio, quae iam

O prio-

prioribus editionibus praefixa erat. Teſtimonia porro de Palaephato veterum. Pars ſequitur illa Voſſiani libri de hiſtoricis graecis, quae de noſtro Palaephato eſt. Haec itaque ipſum textum antecedunt, de quo notisque Fiſcherianis ſatis, ut opinor, dictum eſt. Claudit opus denique index, de quo nihil dicimus praeter id, eum talem eſſe, qui praeſtantiae totius operis conveniat. Eſt enim accurate et diligenter ſcriptus, omnes voces Palaephati ſuo ordine digeſtas, annotatiunculas quoque de nominibus propriis rerum quae ibi occurrunt elegantes, continet, et non tironibus ſolum ſcriptus. Diſſerit itaque V. D. quaedam, eaque valde accurata, ad Fratrem Io. Albert. Chriſtoph. de editionibus Palaephati. Nam ut ingenue dicamus, id, ut eſt ſumme neceſſarium, ita inprimis in vulgaribus auctorum, quos claſſicos appellamus, editionibus, ſaepe totum negligitur. Inde fit, ut cum nihil nobis debeat magis perſpectum eſſe, quam genealogia quaedam et expreſſorum et manuſcriptorum exemplarium, ſaepe nihil hoc obſcurius ſit. Quo ſublato unico, tota critica ars in vanum adhibetur, fiuntque emendationes, quas dicunt, ex ingenio, quibus certe nihil peius. Saepe ego mecum admiratus ſum, aut potius indignatus negligentiae hac in re, et ſcribarum, et priorum editorum. Oportuiſſet enim utroſque oculis quaſi ſiſtere, accurata enarratione, eos codices, unde ſua deſcripſerint. Quod ſi illi ab omni tempore feciſſent, nec nobis multa loca, quae nunc pro deſperatis habentur, facilia ad emendandum eſſent; ſciremus enim quae huic vel illi ſcribae propria fuerint, quo facto facile deinde e ceteris quae animadvertiſſemus, etiam in reliquis iudicare poſſemus. Nunc vero hac ipſa incuria nihil incertius magisque lubricum in tota critica habemus, quam illam ipſam hiſtoriam codicum. Idem etiam deſideres in primis editoribus auctorum, qui praeter parvulam praefationem nihil lucis ad ipſum Auctorem afferunt. Hos ergo ſi nihil aliud, tamen hoc oportuiſſet, differere quaedam de codicibus, unde ſua hauſiſſent. Hoc in auctoribus quibusdam interdum ſatis moleſtum eſt, cum ſaepe neque auctor, neque genuinus titulus libri,

neque

Digitized by Google

neque vero etiam ipſa variarum lectionum natura, rationesque iudicandi, ſatis appareant, atque tunc quidem ferri poſſet. Quid vero ſi de genuina lectione, auctore, titulo, ſectionibus N. aut V. T. quaeritur, ubi ſaepe univerſae chriſtianae doctrinae intereſt, quid de illis rebus ſtatuatur. Laudandos itaque putamus vehementer, qui vel nunc tamen, quando olim factum oportuit, ſummo ſuo labore hoc nobis damnum reſtituere ſatagunt, ut eſt in his Fiſcherus noſter, cuius viri excellens ingenium, et diligentiam plane eximiam, merito hic admiramur. Solet enim magno Lectorum commodo praemittere editionibus ſuis obſervationes eiuſmodi, quae certe aliquot poſt ſaecula teſtimoniorum quaſi publicorum vim et auctoritatem habebunt, tanta cura exacta omnia ſunt. Editiones haſce commemorat editor clariſſimus: Aldinam, in qua Palaephati reliquiae cum Heraclide Pontico, Phurnuto, Aeſopo, et Gabria, aliisque coniunctae exhibentur. Hanc et e codice bono deductam, et ab Aldo ipſo caſtam ſervatam eſſe, orthographia, atque etiam falſae lectiones declarant, quae in aliis quoque MSS. inventae ſunt. Fuiſſe vero hanc editionem nullo ſuo merito ab reliquis editoribus quaſi neglectam, retentasque falſas lectiones, quas illa habuiſſet. Alteram eſſe ait Oporini, qui Baſileae denuo graece ediderit, adiecta Phaſiniana verſione. Sibi vero Fiſcherus negat eius editionis copiam unquam factam eſſe, verſionem vero Phaſinianam reprehendi quidem a Tollio Bruneroque, ſed partim iniuria, quod ſaepe elegantius verterit quam ut a Tollio capi poſſet; partim vero ea vitia non illi viro, ſed vitioſis quibus uſus eſſet codicibus tribuenda eſſe. Cornelium vero ipſum Tollium, qui poſt ediderit Palaephatum, affirmare quidem, ſe ſecutum eſſe editiones vulgares, neque tamen apparere quas, plurima enim illa innovaſſe et depravaſſe. Neque tamen ei viro ſuas laudes denegandas eſſe. Adieciſſe eum animadverſiones, quibus obſcura quaedam explicarentur; quaeſiſſe diligenter de vera ſcriptura; coniecturas quoque adieciſſe non contemnendas. Addidiſſe quoque variantes lectiones, e codice interpolato, et

 fragmen-

fragmenta e Chronico Alexandrino, quamquam haec alium Palaephatum auctorem habere videantur. Brunnerum quoque, ſervatis Tollianis, indicem addidiſſe, quanquam eum nec plenum, nec ſatis utilem tironibus. Notas quoque adieciſſe Brunerum, ſatis bonas, et lectiones variantes cod. MSS. quem Conſtantinopoli ſecum attulerit Chr. Ravius, etiam Tolliano meliorem. Brunerum vero neque Aldinam, neque Baſileenſem, principes editiones, contuliſſe.

Paulum deinde Patrem repetiiſſe hanc editionem Francofurti, octonis, diſſecuiſſe capita in particulas minutas, notulasque addidiſſe perpaucas, et non valde neceſſarias. Indicem rerum et verborum, quem in praefatione pollicitus erat Pater, non in ſuo ſolum exemplo deſiderabit Fiſcherus noſter, namque nos quoque in noſtro, et aliis quae inſpeximus, eadem deeſſe videmus. Sunt vero etiam annexae notae, quas Pater vocat morales; ſi nihil aliud, tamen bonarum ſententiarum ex auctoribus plenas, ſed neque hae ultra viceſimum caput Palaephati progrediuntur. Feſtinationem, quam ipſe Pater dixit, putamus in culpa fuiſſe, cur nobis adeo imperfectum opus reliquerit. Galeum vero maxime de hoc auctore meritum eſſe, qui bis ediderit, Cantabrigiae primum, deinde Amſtelodami inter opuſcula illa phyſica mythica atque ethica. Ac quamquam poſterior nihil videatur eſſe, quam repetitio Cantabrigienſis editionis, tamen illa quasdam alias lectiones videtur recepiſſe. Uſus vero eſt codicibus MSS. quinque, uno Cantabrigienſi, tribus Oxonienſibus, uno Londinenſi ſ. Arundeliano, qui Tollianus quoque appellatur. Sed tamen ille ipſe Tollianus aliter a Tollio ipſo laudatur. In Amſtelodamenſi trium aliorum, Florentini, Gallici, et editoris, ut arbitratur Celeb. Fiſcherus, Meibomii. Cetera, quae Galeus habet, e Tollio Bruneroque translata ſunt. De Dreſigiana quae dicta ſunt editione, hoc loco repetenda non ducimus; omnium enim in manibus iſte libellus eſt.

Haec placuit eleganter et accurate a Fiſchero diſputata huc excerpere, quo plus utilitatis ſtudioſis harum rerum naſcatur, atque etiam ſummi viri eruditio, et hoc ſpecimine

mine valde illuſtrata, ex his quoque commentariis noſtris ad quam plurimos propagetur.

DE ANTIQUITATIBUS BALEARICIS EXERCItatio, auctore IO. CHRISTIANO WERNSDORFIO, in Acad. Iulia Carolina P. P. O. et Societ. Lat. Ienenſ. Colleg. Honor.

Brunſwigae, ſumtu mercaturae librariae Orphanotrophei. 1760. plagg. 11. quatern.

Memorabilis Francogallorum in minorem inſulam Balearem expeditio, portus Magonis expugnatio, atque deditio Minoricae, multorum ſtudia excitavit, et diligentiam incendit. Nam quo magis oculos animosque hominum in ſe traxit haec expeditio, eo cupidiores fuerunt multi, ſitum, naturam, opes, urbes, incolas inſularum Balearium, accuratius cognoſcere. Nec defuerunt aliquot ſcriptores, qui eorum cupiditati ſatisfacerent. Sed quoniam iſtorum labores ad recentiora atque noſtra tantummodo tempora ſpectant, neque inutilem, neque iniucundam ſe rem ſuſcepturum eſſe *Wernsdorfius* V. Cl. putavit, ſi, quae veteres auctores de Balearibus viciniſque inſulis memoriae prodiderint, colligeret, et quaſi una in tabula proponeret. Totum opuſculum in *ſex* capita A. deſcripſit. *Primo de nominibus, numero, ſitu, et magnitudine inſularum Balearium*, docet, antiquiſſimum Balearium nomen fuiſſe χοιράδες, quoniam non ſolum plurimis ſcopulis in mari eminentibus cinctae, ſed ipſae etiam ſcopuloſae, et perpetuis veluti rupibus innixae ſint. Dictas vero eſſe a Graecis χοιράδας, ante quam Phoenicum coloniae in eas perveniſſent, et a iaculatione fundae nomen et famam fuiſſent conſecutae. Deinde ad vocem Balearis tranſit, recenſitis variis Polybii, Livii, Diodori Siculi, et Salmaſii ſententiis, laudatiſque Strabonis et Euſtathii opinionibus, qui illius originem Phoeniciam eſſe produnt, et commendata felici et erudita Bocharti coniectura, vocem a בעל et ירה derivantis, quod de lapidum aeque ac ſagitta-

 rum

rum miſſione in ſacris litteris dicatur. Obſervat eodem loco, Iſacium Tzetzem, et Geographum Ravennatem, Valerias pro Balearibus poſuiſſe; et in altero inſularum nomine, quod eſt Gymneſiae, explicando verſatur. Falſam vero docet eius rationem reddi a Diodoro Siculo et Tzetze, eiusdemque ſignificationis eſſe ac Balearium nomen. Nam a Graecis dictas eſſe γυμνήτας, quae Phoenicum lingua Baleares, et γυμνήτας eſſe omnes levis armaturae milites, funditores inprimis. Nomine explicato, progreditur Noſter ad numerum Balearium inſularum, eumque varie a ſcriptoribus definiri tradit. Baleares dicit, ſive Gymneſias duas, ſcriptores veteres peculiari nomine alteram ab altera non diſtinxiſſe, ſed unam maiorem, alteram minorem, ſive, ut Melam, plurali numero appellaſſe maiores minoresque. Inde recentiore aevo natum eſſe barbarum Maioricae et Minoricae nomen. Porro narratur ſitus Balearium et Pityuſarum, quae a copia pinuum ſic dictae; atque una de Ophiuſa diſſeritur. Quam cum Strabo Pithyuſarum alteram, vicinamque Ebuſo inſulae faciat, Plinius autem, utramque Pityuſam Ebuſam vocari dicens, et Colubrariam appellet, et ab his diſtinguat, atque remotius Sucronem verſus collocet, horum diſcrepantes ſententias ita Noſter conciliare tentat. „Strabo, ait, et Ptolemaeus, Ebuſum et Ophiuſam Pityuſas vocant, ut has inſulas eo melius a Gymneſiis diſtinguant. Alii vero ſcriptores, ut Diodorus, Livius, Plutarchus, non niſi unam Pityuſam memorant, Ebuſum intelligentes, cui hoc nomen quaſi proprium adhaeſit. Quando vero Plinius Pityuſas plurali numero appellat, et nihilo minus ab his Colubrariam removet, id non eo ſenſu dicit quo Strabo, ſed quod Pityuſae alia adhaerebat inſula, exiguo tantum freto ab Ebuſo diremta. Hanc enim, quod minor et ignobilior eſſet, non ſingulare nomen adeptam eſſe innuit, ſed cum maiore Ebuſo una Pityuſarum appellatione comprehenſam, et poſtea aetate Plinii utramque Ebuſam pro Pityuſis vocatam.“ Tum exponit V. Cl. de ſitu Colubrariae, plerisque ambiguo; laudat Avienum, qui eam videtur Cherſoneſum vocare; atque errori-

Digitized by Google

erroribus recentiorum Geographorum refutatis oſtendit, urbem Cherſoneſum a Strabone memoratam vocari hodie Peniſcolam, et inſulam Montcolibre, ſeu montem colubrarium, eſſe veterum Ophiuſam, non Formenteram. Denique, allatis diverſis Strabonis, Plinii, Agathemeri et Severi, de magnitudine Balearis inſulae maioris minorisque ſententiis, Caprariae ſitus deſcribitur. In capite *ſecundo* exponit Noſter *de ingenio et natura terrae Balearium*, *earumque proventibus.* Hic primum commemorat, Ebuſum nullos ſerpentes alere, et in cauſſas huius rei inquirit, variis recenſitis remediis veterum, quibus ſerpentes abigi crediderint. Reſinas arborum docet, picem et ſulphur, ſerpentibus eſſe adverſaria, nec non ſcillas, copioſe in Ebuſo et Balearibus natas, atque antidoti vim rubricam quoque habere. Terram Lemniam inprimis eſſe celebrem, atque fraxinum et Vetonicam ſerpentum morſibus mederi. Ebuſum porro abundare ſalinis, atque in proventibus eius eminere arbores reſiniferas, olivas, terebinthum, et ficus. Ultimum locum occupat diſputatiuncula de cannis ſacharinis, ubi explicatur praecipue verſus Statii (Silv. I, 6. 15.) *Et quas praecoquit Ebosſa cannas.* His enim, reiecta Salmaſii emendatione, *Cannas*, Ebuſo inſulae cannas, ſive arundines, quae dulciſſimum ſuccum haberent, tribui docet. Denique adduntur quaedam de tutis portubus harum inſularum, de fertili ſolo, de tritico balearico, de vino, de penuria olei, cuius loco Balearici pinguedinem quandam ex oleo lentiſci et adipe ſuillo, atque etiam ex terebintho, conficiant. Caput *tertium* eſt *de animalibus Balearium antiquitus memoratis.* Ebuſum, Noſter ſcribit, pecoris copia abundare, lanam ovium molliſſimam eſſe, iumenta inveniri pulcherrima in minori Baleari, atque in his praeſertim mulos, ob vocem et magnitudinem memorabiles. Cuniculos quaſi peculiaria Balearium animalia videri, et incredibilem eorum eſſe foecunditatem. Hic varia adſpergit Auctor de cuniculis, de viverra, de Carpathio lepore. Nos ad reliqua animalia pergimus, inter quae eminent grus Balearica, peculiari nomine Vipio appellata, Porphyrio


phyrio avis pulcherrima, Phalacrocoraces, et genus cochlearum, quas cavaticas dicunt, quoniam in ſpeluncis et rimis petrarum naſcuntur. In capite *quarto* agitur *de urbibus inſularum Balearium.* Ebuſum inſulam habere vicos aliquot, unam autem urbem, inſulae cognominem. Solum vero Diodorum vocare Ereſum. Illud alterum tam urbis, quam inſulae nomen, Bochartum Phoenicium fuiſſe putare, quod Graeco Pityuſae reſponderit. Fuiſſe coloniam Carthaginienſium, atque portum egregium, aedes pulchras, et ampliſſima moenia habuiſſe. Eandem urbem a Cn. Scipione fruſtra oppugnatam eſſe, Magonem hinc commeatum et ſupplementa claſſis petiiſſe; ſub Romanis vero civitatem fuiſſe foederatam. Extare in quodam lapide apud Gruterum (p. 277. n. 6.) Ebuſii reperto, *Liconienſis ordo:* hinc ſe fere ſuſpicari, ait Auctor, fuiſſe in Ebuſo aliam civitatem, Liconium, praeſertim cum hic lapis fuerit Imperatori Caro dicatus, quem eundem alio monimento celebret Ordo Ebuſii. In Baleari maiore a Plinio urbes memorari: Palmam, Pollentiam, Cinium, Cunicos, Bocchorum; in minori Iamnonem, Magonem, Saniſeram. Nomina forte accepiſſe a colonis, ex agro Piceno oriundis. Palmam ad occaſum, Pollentiam ad orientem ſitam fuiſſe, utramque in ora maritima: Cinium et Cunicos Latinae fuiſſe conditionis; Bocchorum Romanis foederatum fuiſſe, neque Plinii aetate amplius extitiſſe videri. In minori Baleari Iamnonem, vel Iammonam, occaſum ſpectare: e quorundam ſententia nomen ab Hannone, Poenorum duce, accepiſſe: Bocharto auctore, nomen Phoenicium eſſe. Chriſtianis temporibus Iamnonem ſedem Epiſcopi fuiſſe, et Iudaeos, Severo auctore, in ea habitare non potuiſſe. Magonem urbem ad orientem ſitam eſſe: Bochartum nomen eius Ebraeum exiſtimare, ſed rectius cenſeri a Magone, Poenorum duce, conditam et appellatam: ſub Romanis municipium fuiſſe, Aediles duumviros, Flamines, et defenſores civitatum habuiſſe, et Iudaeis abundaſſe. Saniſeram ſine dubio mediam fuiſſe inter Iamnonem et Magonem, et eſſe fortaſſe hodiernum oppidum Alaior. Turres, quales

quales hodie in ora maritima viſantur, olim etiam Hiſpaniam habuiſſe: Io. Armſtrong in deſcript. Minoricae ep. 16. commemorare, viſum a ſe eſſe magnum lapidum acervum, in vicinia oppidi Alaior, edito loco forma turris exſtructum, cochlea ab imo ad ſummum circumeunte, qua eſcendi in ipſum culmen queat, collocatumque iuxta haud longo intervallo magnum altare lapideum: hanc molem, Noſter ſe coniicere, ait, fuiſſe monimentum quoddam expeditionis bellicae et victoriae, ad quod deinde mos fuerit publicos populi conventus habere, et ſacrificia ſollemnia celebrare. Caput *quintum* exhibet *hiſtoriam et fata Balearium.* Origines Balearium fabuloſas et obſcuras eſſe, atque varie a variis commemorari. Hiſce igitur miſſis, contexit auctor hiſtoriam inſularum, inde ab antiquiſſimis temporibus uſque ad aetatem Iacobi I. regis Arragonum. Hinc vero excerpere aliquid, omnibus coniunctis inter ſe atque connexis, inutile foret. In capite *ſexto* agit Vir Cl. *de ritibus et moribus Balearium.* Primum igitur copioſe deſcribit fundam, cuius inventionem quidam Balearicis tribuunt, illiusque formam, funiculos, genera fundae, et geſtandi modum, uſum ſparti in funibus conficiendis, et fundas ex cannabi, lino, pilis, ſetis, et nervis, commemorat. Tum pergit ad tela fundis emiſſa, glandes et ſaxa, ad litteras glandibus ſubinde inſcriptas, et ad reliquam armaturam Balearium, ubi inprimis multa dicuntur de Siſyrna, veſte Inſularium. Porro exponit de veterum Balearicorum rudibus et horridis moribus, qui plerumque inter ſaxa et ſcopulos, et ſpecubus in ſubterraneis, vitam egerint. Illuſtratur quoque mos Balearicorum, oleo lentiſcino et adipe ſuillo corpora ſua inungendi. Denique multa monentur de veſtibus, compluribus ex antiquitate repetitis animadverſionibus adſperſis, et variis veterum auctorum locis illuſtratis.

IO. DAN. TITII, MATHEM. INFER. P. P. O. in Acad. Viteberg. Animadverſiones quaedam mathematicae.

I.

Si cuiusque trianguli rectilinei APB baſis ex vertice biſecetur recta PT, erit $\frac{1}{2}PA^2 + \frac{1}{2}PB^2 = \frac{1}{4}AB^2 + PT^2$. *Dem.* Producatur PT (quae, ad perſpiciendam demonſtrationem, ponatur in figura ſequenti cadere in C, et baſin AB exacte biſecare) uſque in O, factisque chordis OB et AO, recta SP ad baſin ita demittatur, ut angulus $APT = SPB$. Hinc per ſimilitudinem triangulorum ATP et OTB; item PTB et ATO, erit $BO = (TB.\ PA) : PT$; $AO = (AT.\ PB) : PT$; $TO = (AT.\ TB) : PT$; conſequenter $PO = PT + TO = (PT^2 + TB.\ AT) : PT$. Et quoniam $\Delta\ SPB$ ſimile $\Delta\ APO$, atque alterum APS ſimile OPB, erunt, factis faciendis, $SB = (PB^2.\ AT) : (PT^2 + TB.\ AT)$, et $AS = (PA^2.\ TB) : (PT^2 + AT.\ TB)$. Cum vero $AB = AS + SB$, his ſubſtitutis valoribus, erit $AB = (PA^2.\ TB + PB^2.\ AT : (PT^2 + AT.\ TB.)$ Quam demonſtrationem, poſteaquam eo prope modo deduxit illuſtris Comes Iul. Carol. di Fagnano (*Produzioni matematiche T. II. p. 203.*) valorem ipſius AB putat adhuc ſubſiſtere, ſi recta PT baſin AB in duas ſecet partes inaequales, ad ſe invicem quamcunque habentes rationem; adeo, ut pro AT ſubſtituere liceat $\frac{1}{2}\ AB$ et pro TB etiam $\frac{1}{2}\ AB$. Quare habebitur $AB = (\frac{1}{2}\ PA^2.\ AB + \frac{1}{2}\ PB^2.\ AB) : (PT^2 + \frac{1}{4}AB^2)$; unde tandem prodit, $PT^2 + \frac{1}{4}\ AB^2 = \frac{1}{2}\ PA^2 + \frac{1}{2}\ PB^2$, ut in propoſ. Quamvis autem hanc ſubſtitutionem illuſtri viro ulterius comprobandam relinquo; tamen



propoſitionem, demonſtrari poteſt, veram non eſſe, niſi in eo caſu, quando recta PT baſin AB in C plane biſecet; cuius rei demonſtrationem iam nunc addam. Ducta PT utcunque, debet eſſe $\frac{1}{2}\ AP^2 + \frac{1}{2}\ PB^2 = \frac{1}{4}\ AB^2 + PT^2$. Demittatur perpendiculum PQ, erit $AP^2 = PQ^2 + AQ^2$; atque $PB^2 = PQ^2 + BQ^2$. Ergo

Digitized by Google

Ergo $AP^2 + PB^2 = 2PQ^2 + AQ^2 + BQ^2 = 2PT^2 - 2TQ^2 + AQ^2 + BQ^2$. Biſecetur AB in C, quo facto reperitur $TQ = \frac{1}{2}AB + CT - AQ$; $BQ = AB - AQ$. Unde $AQ^2 + BQ^2 = 2AQ^2 + AB^2 - 2AB.\ AQ$; Et $-2TQ^2 = -2AQ^2 - \frac{1}{2}AB^2 - 2AB.\ CT - 2CT^2 + 2AB.\ AQ + 4CT.\ AQ$. Quapropter $AQ^2 + BQ^2 - 2TQ^2 = \frac{1}{2}AB^2 + 4CT.\ AQ - 2AB.\ CT - 2CT^2$. Eſt ergo $AP^2 + PB^2 = 2PT^2 + \frac{1}{2}AB^2 (+2AQ - AB - CT)\ 2CT$. Itaque ſi debet eſſe $(2AQ - AB - CT)..CT = 0$; oportet ut ſit vel $CT = 0$, vel $2AQ - AB - CT = 0$, hoc eſt, $AB - 2CQ - AB - CT = 0$, ſeu $-2CQ - CT = 0$, quae poſtrema fieri tamen nequeunt. Ergo remanet, ut ſit $CT = 0$, alias aſſertum verum non eſt. Hinc propoſitio de eo tantum valet caſu, in quo PT biſecet baſin AB in C. Imo generaliter, de qualicunque baſeos ſectione, verum eſſe aſſertum non poſſe hinc quoque patet, quia per $\frac{1}{2}AP^2 + \frac{1}{2}PB^2 - \frac{1}{4}AB^2 = PT^2$, ſiniſtima pars conſtans eſt datis trianguli lateribus; non ergo poteſt illa aequari variabili PT^2, ſi rectam PT utcunque ducere liceat.

II. Parallelogrammum ſuper hypothenuſa trianguli rectanguli aequale eſt ſimilibus cathetorum parallelogrammis. Huius propoſitionis demonſtrationem Cel. Hauſenius (*Element. Geom. Prop. 50. p. 125.*) dedit, ope perpendiculi ex recto ad baſin ducti; quo vero quum opus non ſit, demonſtratio ſic breviter abſolvitur. $IB : DG = AB^2 : BD^2$ (*conf. autoris fig. 105. Tab. VII.*); consequ. $IB + DG : DG = AB^2 + BD^2 : BD^2 = AD^2 : BD^2$; ſed $AF : DG = AD^2 : BD^2$, ergo $IB + DG = AF$. Similem in modum Propoſitionis 72. (*p. 141.*) de maximo circulo per duorum in ſphaera circulorum polos ducto, ſegmenta eorum biſecante, demonſtratio, paulo obſcurior, hac ratione ſuppletur illuſtraturque. Sint nempe AC, EF ſectiones circulorum $ABCD$, $DEBF$, (conf. *aut. p. 141. fig. 150.*) cum circulo $AECF$ maximo, et BD eorundem communis ſectio. Et cum hic per polos A et C circulorum tranſit, vtrumque biſariam ſecat, et ad angulos rectos. Prop. 70. Unde AC,

 EF

EF diametri ſunt circulorum, et ipſi recti eidem *AECF.* Proinde *BD* ipſi *AECF* recta eſt. Prop. 66. Anguli igitur *DGC, CGB, DGE* recti ſunt; unde diametri *EF, CA* chordam *DB* ad rectos ſecant, et hinc bifariam Prop. 23. Ideoque in triangulis *CGD, CGB,* chordae, *CD, CB,* et in triangulis *EGD, EGB,* chordae *ED, EB* aequales ſunt. Pr. 2. Sunt igitur arcus *DC, CB,* nec non *DE, EB* aequales. Cor. 1. Prop. 33. De aliis, quae ad illuſtrandum huncce librum eximium facerent, tum meis, tum aliorum notulis, dicere nunc non attinet.

III. Io. Bernoullii, cum leges liquorum per canales non uniformes fluentium indagaret, directe principiis unice dynamicis uſus, argumentationes ex generatione gurgitis deductas adhibuit. Namque ſtrata liquoris in gurgite ſemper animantur vi liquoris in tubo contenti, quae, tanquam totalis, oritur ex vi partiali omnium ſtratorum per totum tubum expanſorum. Quare, quum Bernoullius vim partialem determinaſſet per differentiale $hudu$, (*conf. Io. Bern. Op. T. IV. p. 400. ibique figuram,*) eius integrale dat vim motricem totalem in omni gurgite diſperſam; id vero cit. loc. a Bernoullio exhibetur $= \frac{1}{2} h \left(vv - \frac{mm}{bb} vv\right)$, ad cuius inventionem rectius perſpiciendam lubet ſequentia adducere. Scilicet quantitas integralis ipſius $hudu = \frac{1}{2} h\ (vv + C)$, hoc eſt, quia $mv : y = v = \frac{1}{2} h\ (mmvv + Cyy) : yy$. Pro toto autem gurgite ponendum $ML = GF$, ſive $y = m$, unde vis ad totum gurgitem requiſita eſt $\frac{1}{2} h\, (vv + C)$. Sed ad conſtantem C determinandam opus eſt, ut poſita $GF = HI$, vel $h = m$, totum integrale evaneſcat; eo enim caſu nulla plane vi opus eſt. Ergo ſi ſcribatur m loco h debebit eſſe $\frac{1}{2} h (vv + C) = o$, et $C = - mmvv : hh$. Hoc tamen ſic clarius: Integralis quantitas formulae $hudv$ in genere eſt $= \frac{1}{2} h\, (mmvv : yy + C)$, quam ita ſumi oportet, ut, poſita $y = m = h$, plane evaneſcat. Iam poſita $y = h$, provenit $\frac{1}{2} h\ (mmvv : hh + C)$; et poſita $h = m$, erit quoque $y = m$, (nullus enim eſt gurges), adeoque debebit eſſe $mmvv : hh$

$+ C = o,$

$+C=o$, ſive $C=-mmvv:hh$. Omnium denique breviſſime id ita oſtenditur. Integrale, de quo quaeritur, generatim eſt $=\frac{1}{2}h(mmvv:yy+C)$. Poſita vero $y=h=HI$, nulla adhuc vi opus eſt; ergo tum integralis $=o$, id quod dat $C=-mmvv:hh$, adeoque quantitas integralis completa $=\frac{1}{2}h(mmvv:yy-mmvv:hh)$ et facta $y=m$, erit vis pro toto gurgite requiſita $=\frac{1}{2}h(vv-mmvv:hh)$ ut in autore exprimitur; quae quidem deſignat vim motricem in tubo requiſitam ad id, ut in gurgite fiat acceleratio neceſſaria ad mutandam velocitatem minorem in maiorem, pro tranſitu liquoris in tubum aliquem anguſtiorem.

IV. Sit fractio aliqua data $\frac{M}{N}$, ſintque factores ſimplices inaequales denominatoris $N=(p-qz)$, S; reſolvenda eſt fractio data in tot alias, quot denominator habet factores ſimplices inaequales, quarumve denominatores ſint factores denominatoris fractionis datae. *Sol.* Sint numeratores quaeſiti A et B; erit ergo $\frac{M}{N}=\frac{A}{(p-qz)}+\frac{B}{S}$; $\frac{M}{(p-qz)S}=\frac{AS+B(p-qz)}{(p-qz)S}$ et $\frac{M-AS}{(p-qz)}=B$. Quoniam igitur B eſt numerus integer, ex hypotheſi, $M-AS$ per $p-qz$ eſt diviſibilis; ponatur ergo $p-qz=o$, fiet $M-AS=o$, et $\frac{M}{S}=A$. Iſta generalis et communis ſolutio, ut ad quandam fractionem applicetur obviam, ſit $\frac{a}{z-z^3}$, cuius denominatoris factores habentur z, $(1-z)$ $1+z$; iam fiat $p-qz=z$, erit $S=(1-z^2)$, et $M=a$; erit itaque $A=\frac{a}{(1-z^2)}$, poſita $z=o=a$. Sit porro $p-z=1+z$, erit $S=z-z^2$, atque reperitur $A=\frac{a}{(z-z^2)}$, poſita $1+z=o$ ſeu $z=-1$, ergo $A=\frac{a}{o}=\infty$

Digitized by Google

A PLAIN METHOD OF DETERMINING THE PArallax of Venus by her Tranſit over the Sun, etc.

i. e.

LUCULENTA METHODUS DETERMINANDI Parallaxin Veneris et eius tranſitum per diſcum ſolarem, indeque per analogiam eruendi Parallaxin et diſtantiam ſolis et reliquorum Planetarum, auctore IOHANNE FERGUSON.

Londini, 1761. plagg. 8. cum tabb. aeneis 4. in 4.

Quem tibi exhibemus libellum, eum et ſingularia ſcriptoris fata, et res tempori maxime conveniens, magnique momenti, in eo pertractata, perquam memorabilem reddunt. Ferguſonium nec parentes opibus ac doctrina ornati, neque ſocii quibuscum primis vitae annis verſabatur, ſed ſola erectioris ingenii vis ad excolendas litteras excitavit. Tantumque abeſt, ut quae ex ore illuſtris Legati Britannici, caſtra Sereniſſimi Regis Bor. ſequentis, qui Ferguſonium intime ſe noſſe perhibebat, relata referimus, ipſius famam minuant, ut eam potius illuſtriorem reddant. Plus ſane quam heroico ſpiritu opus eſt, ut ex ea vitae obſcuritate, in quam Ferguſonium fata detruſerant, quis emergat. Satis enim diu in Scotia, cui noſter natales debet, Paſtorem agere coactus eſt. Excitatioris vero mentis ſuae viribus, ac divino prope impulſu, obſcurum hoc vitae genus reliquit, ac Londinum melioris fortunae ſedem elegit. Primum ibi pictoriae arti exercendae incubuit, in eaque tantum profecit, ut ea ſibi neceſſaria vitae praeſidia parare poſſet. Sed maiori tenebatur gloria, eiusque ſtimulis noctes diesque excitatus, in caſtra Muſarum conceſſit, divinamque in primis Matheſin, in eaque Aſtronomiam, principem eius diſciplinam, excolendam perpoliendamque ſumſit. Quanta ingenii felicitate, quantis vigiliis, in ſubtiliſſima hac ſcientia graſſatus fuerit, declarat luculenter eius Aſtronomia typis expreſſa, documentoque eſt inprimis hicce libellus, in quo non cuivis huius ſcientiae obvia elementa, ſed ſublimes ac maxime reconditas Halleii meditationes explicat atque ſub examen revocat. Nulla in re Aſtronomi, a primis huius ſcientiae initiis ad noſtra uſque tempora, maiores ſentiunt difficultates, quam ubi ſe inveniendae ac certo determinandae Solis diſtantiae a terra, cui palmariae veritates aſtronomicae ſuperſtruuntur, accingunt. Quod ut Lectores ipſi ſentiant, atque inſti-

Digitized by Google

nſtituti Halleiani rationes intimius perſpiciant, Ferguſonius vulgarem inveniendi diſtantias Planetarum a ſole methodum explicat. Quare Artic. I. de diſtantiis planetarum mediis altitudinibus ac diſtantiis corporum coeleſtium, agit. Art. II. et III. enucleatis parallaxeos eiuſque diverſarum ſpecierum notionibus, methodum inveniendi ope eiusdem diſtantias ſolis ac lunae tradit. Omnes deinde in eo conſentiunt Aſtronomi, Parallaxin ſolis horizontalem non minorem 10″ neque maiorem eſſe 12½″. Hinc aſſumta ſolis parallaxi minima 10″ eruitur diſtantia ſolis a terra 66057600. Ex maxima vero parallaxi ſolis 12½ eruitur eadem 82506000. milliarium Anglicanorum. Cum vero Aſtronomorum quiſque ultro concedat, fieri aliter non poſſe, quam ut in dimetiendo tam parvo angulo facile error ad minimum 2″ committatur: Ferguſonius docet, eo errore, qui plane evitari nequit, commiſſo, irrepere errorem in aſſignanda ſolis diſtantia a terra 13751200, milliarium Anglicanorum. Tantum itaque abeſt, ut per artificia, quae ſumma ingenii vi ab Aſtronomis excogitata ſunt, vera ſolis diſtantia certo ſit cognita, ut potius ab ea nimium quantum abſint Aſtronomi, eaque iis maximam adhuc figat crucem. Ecquis itaque mirabitur, ſummis Aſtronomis nihil magis curae cordique eſſe, quam ut methodum novam excogitent, cuius ope in re tanti momenti errores minui, ac, ſi fieri poſſit, diſtantia ſolis a terra certius determinari queat.

De eiuſmodi methodo Aſtronomorum Principi Halleio, prout erat in augenda ac perpolienda Aſtronomia pertinaciter ſedulus, ſollicito, primae ſe cogitationes obtulerunt cum in Inſula S. Helenae degeret, atque in Aſtris Auſtralibus in ordinem redigendis occupatus, etiam ſedulo ac accurate tranſitum Mercurii, qui in id temporis inciderat, in illa inſula obſervaſſet. Conſideratis enim accuratius omnibus huius phaenomeni momentis colligebat, fore, ut ſi Mercurius terrae propior eſſet, maioremque Parallaxin haberet, ope accuratarum Obſervationum, quae in diſſitis longe locis inſtituerentur, ſolis parallaxis determinari poſſit. Quae meditationes ingenium Halleii, rerum novarum excogitandarum feraciſſimum, facile a tranſitu Mercurii ad tranſitum Veneris per diſcum ſolarem, multo tamen rariorem, quique demum anno 1761. inſtaret, ſed inſtituto adeo excelſo longe accommodatiorem, deduxerunt. Hinc enata eſt illa Halleii diſſertatio, quae latine conſcripta, ac epitomis Transact. Anglicanarum a Cl. Motte conſcriptis Volum. I. p. 243. inſerta eſt, quam Ferguſonius in Anglicum ſermonem converſam Articulo VIII. exhibet. Quemadmodum Halleius ea diſſertatione poſteris ſui memoriam maximopere commendavit, quod eos ad tanto accuratius obſervandum illuſtre ac rariſſimum phaenomenon excitavit, cum non ſolum illud aptum ſibi viſum ad determi-

terminandam accuratius diſtantiam ſolis a terra indicaret, ſed iis etiam regulas obſervandi, ipſaque loca, in quibus inſtituendae potiſſimum obſervationes eſſent, ſi eo, quem conſequi ex iis poſſint, fine potiri velint, ſuccincte quidem, ut non niſi a ſummis Aſtronomis intelligi poſſet, praeſcriberet: ita Ferguſonio noſtro maximas deberi gratias omnes fatebuntur, quod meditationes Halleii profundiſſimas, tempore maxime opportuno, paucis ſcilicet menſibus ante, quam iſte tranſitus Veneris per diſcum ſolis expectabatur, omnesque Aſtronomi ad eum obſervandum ſe ſumma cura praeparabant, cum orbe erudito communicavit, easque eminenti commentario illuſtravit.

Argumentis validis inductus Halleius, ſumpta die tranſitus Veneris per diſcum ſolis ipſius ſolis parallaxi 12½″ poſitaque via Veneris non remotiori a centro ſolis quam 4″, quae momenta ac elementa certa locum habitura ex calculis inſtitutis ſuſpicabatur, certos eſſe iubet Aſtronomos, ut, ſi locis ab ipſo deſignatis accuratae obſervationes inſtituantur, poſſit error in aſſignanda horizontali eo uſque minui, ne quadrageſima particulam minuti ſecundi excedat. Quo ipſo obtenturos eſſe docet diſtantiam ſolis a terra, quae uſque ad 164000. milliaria certa, et omnis erroris expers futura. Ut id etiam Lectores, qui nondum ad Aſtronomiae ſecretiores aditus penetrarunt, intelligant, Ferguſonius non ſolum eleganti ſchematiſmo Tab. II. fig. I. et II. ſed etiam luculentis verbis Art. III. et VIII. docuit, quam diverſa futura ſit Parallaxis Veneris ſpectatoribus ac obſervatoribus in diverſis telluris locis conſtitutis, die 6 Iunii, quo per diſcum ſolis tranſibit. Ex quo ſatis patet ratio, cur diverſa Obſervatoribus loca Halleius praeſcripſerit, eaque ad obſervandum ex eius mente aptiſſima. Quemadmodum Ferguſonius his aliis annotationibus lectu digniſſimis adiectis nihil intactum reliquit, ut mens Halleii rite perſpiciatur; ita Articulo VII. inſtituto in Halleii Hypotheſes meditationesque examine, ſpem eam, ad quam animos Aſtronomorum erexerat, nimium quantum ex rationibus aſtronomicis, et Art. VIII. ex proiectione huius tranſitus Veneris per diſcum ſolarem, ope elementorum, ex ipſis tabulis Halleianis deſumptorum facta, minuit. Nullum itaque eſt dubium, fore, ut hoc opere Aſtronomi ad conferendam proiectionem, tabulasque huius tranſitus ab Auctore ſuppeditatas, cum obſervationibus ſummorum Aſtronomorum, excitentur, iisque latiſſimus campus aperiatur examinandi rationes Ferguſonii, quibus inductus, methodum inveniendae ſolis diſtantiae a terra tam accuratae non adeo accommodatam eſſe iudicet, qualem ex obſervationibus huius phaenomeni rite inſtitutis inventuros eſſe Aſtronomos putavit ſummus Halleius.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Martii Anno MDCCLXI.

Pars II.

PINACOTHECA PRINCIPUM AUSTRIAE, IN qua Marchionum, Ducum, Archiducumque Auſtriae, utriusque ſexus, ſimulacra, ſtatuae, anaglypha, ceteraque ſculpta, caelata, pictave monumenta, tabulis aeneis inciſa, referuntur, et commentariis illuſtrantur. Opus in duas partes tributum, quod eſt Monumentorum Aug. Domus Auſtriae TOMUS III. PARS PRIOR, continens, praemiſſa praefatione, Prolegomenis, et Auctario Diplomatum, Tabulas aere expreſſas num. CXIV. Operam et ſtudium conferentibus P. R. P. MARQUARDO HERRGOTT, Ord. S. Bened. Principalis aſceterii ad S. Blaſium Capitul. Reverendiſſ. ac Celſiſſ. S. R. I. Principi San-Blaſiano a Secretis Conſiliis, Vices gerente, et Praepoſito in Crotzingen, nec non S. C. R. Maieſt. Conſiliario et Hiſtoriographo: et M. R. P. RUSTENO HEER, eiusdem Congregationis Capitulari, Bibliothecae San-Blaſianae Praefecto, et Numophylacii Directore.

Permiſſu Superiorum.

Friburgi Briſgoviae, typis Io. Andr. Satron, S. C. et Reg. Apoſt. Mai. Excelſor. Dicaſteriorum Repraeſentationis, Regiminis, et Cameral. Provinc. anterior. Auſtr. ut et Almae Univerſit. Typographi, MDCCLX. Alphab. 2. plag. 16. tab. aen. 13. fol. mai.

Q Solet

Digitized by Google

Solet hoc ſaepe accidere in vita humana, ut ſi nos alicuius artis ſtudio dediti ſimus, eam ut omnibus aliis praeferamus. Id quod et in aliis multis rebus uſu venit, atque etiam in hiſtoria. Sunt enim, qui recentiorum temporum cognitionem hiſtoriae antiquae praeferant, ſunt, qui contra. Ac praeſertim ii, qui ſe litteris humanioribus dederunt, hoc fere proprium habent, ut nihil praeter antiquiſſima tempora cognoſcere aveant. Tota enim illa diſciplina tres in partes dividitur: antiquam, quae multos amatores habet; recentiorem, quae longe plurimos. Sola medii aevi cognitio quaſi in medio poſita ab utrisque deſtituitur. Atque id facile excuſari poteſt. Summa enim ingenia, ſummam doctrinam illa requirit; difficillima enim omnium eſt, cetera genera etiam mediocribus ab ingeniis addiſci poſſunt. Quid enim? Merae ſunt in illo aevo tenebrae, quocunque te vertas, monumenta litterarum aut plane nulla, aut obſcura et ipſa, et obſcurae fidei. Barbara omnia et incomta primum ratione Latinitatis, quae plane alia diſcenda, quam ea quam homines ſapientes loquuntur: verum hoc ferendum tamen eſſet; ſed ipſa ratio dicendi, cogitandi, proponendi res omnes, valde humilis, fere dixerim miſerabilis eſt, res vero ipſae aut non magni pretii, aut tamen e mole inanium commentationum eruendae. In hiſtoria vero ipſa, quae fabulae, quanta ſterilitas, quanta ignorantia bonarum artium, quum nihil praeter nomina, annos, aut quotidianas annotatiunculas, meri annales ſunt, nihil floris, nihil elegantiae, nihil ſapientiae. Haec de ſcriptoribus. Veniamus ad fontem hiſtoriarum, diplomata, quam incerta genuitatis ſigna, quam terribilis Latinitas, quanta in garrulitate infantia, ut de litterarum et orthographiae ignota ratione nihil dicamus. Eadem de inſcriptionibus, ſi quae reliquae ſunt, dicenda puto. Plura poſſem proferre, verum abſtineo lubens. Contemni itaque hiſtoriam medii aevi ab iis, qui elegantiae Graecorum Latinorumque, aut etiam lepori Gallico noſtraeque aetatis adſueti ſunt, non miror. Verum ego neutiquam his adſenſerim. Saepe optima res involucris minime bonis obtegitur, quale

quid

Digitized by Google

quid hic uſu venit. Audacter dicam, maxima pars hominum eruditorum citius, quanquam et hoc aegre, ſed citius tamen veterem ignorare poſſet quam hanc, maxime enim cum noſtris temporibus, noſtris artibus eruditioneque, noſtris rebus publicis eſt connexa. Illa Iureconſulti carere non poſſunt. Medici ſi qui hiſtoriam ſuae artis cognoſcere avent, hanc quaerunt. Philoſophis neceſſaria eſt. Theologi vero ſine ea ſtare adverſus eruditiores adverſarios non poſſunt, ita illa ubique influit. Ac ſi vetus illa veritatis lux ſapientiae alter oculus eſt, media illa non minus eſt. Laudanda itaque vehementer ſunt ſummorum virorum ſtudia, qui ſuperato labore taediiſque, ex his callibus ſylviſque amoena nobis loca et hortos quaſi aliquos conſtituere ſatagunt. Eſt quidem ea res non unius viri, verum ſi, ut feliciter coeptum eſt, ita per unum et alterum ſaeculum pergatur, colligatur quod nunc ſedulo fit materia, olim praeclaris aedificiis inſumenda, et accedat deinde divinum aliquod ingenium, et hanc rudem molem diſpenſet ac componat, habebimus certe aliquando, quod Polybio, Livio, Thuano, opponere audacter poſſimus. Qua in re iure noſtro nos quoque Lipſienſes gloriamur. Fuerunt apud nos Lunigii, Menkenii, Maſcovii, Chriſtii, Haltauſii, plures, qui multam lucem huic ſtudio eorum temporum intulerunt. Nos quibus decoribus, quibus viris ſuperbiamus, quantum ingenioſiſſimus quisque noſtrorum Profeſſorum de optima hac hiſtoria medii aevi meritus ſit, dicerem, niſi eos eorumque merita orbis litterarius noſſet. Non eſt ergo, cur ea tempora ſe praeconibus bonis deſtituta querantur, ſunt enim quam optimi, eruntque quos magiſtrorum virtus et laudes ad virtutem laudemque et ipſos incitabunt.

Laudabilem itaque operam utiliſſimamque nobis omnibus navaverunt Marquardus Hergottus et Ruſtenus Heer, V. Summi, qui conſilium illud quod alter ceperat, hiſtoriam Auſtriacam ſua induſtria monumentorumque omni genere illuſtrandi, iam una exſequuntur feliciter, et continuant conſtanter. His ſane via ad perfectam hiſtoriam, cuius ſpecimina egregia inter prolegomena ſunt, ſternitur. Digni enim ſumus Ger-

 mani,

Digitized by Google

mani, digna patrum noſtrorum praeclara facinora, quae a praeclaris ingeniis illuſtrentur. Verum de utroque viro ſatis nos meminimus ſuperiore Volumine Actorum dicere, quorum ad laudem nihil accedere poteſt, ſumma enim illa eſt; hoc modo dicimus, ſimilia haec quae nunc accepimus prioribus laboribus eſſe. Nam cum illi prioribus duobus voluminibus fontem hiſtoriae non minimum, nummos, et eleganter expreſſos, et commentario egregio illuſtratos, praeſtitiſſent, iam tertio monumenta, imagines principum, et diplomata varia genealogiasque, complectuntur. De altera eius parte non niſi breviter quaedam dicemus, erit enim alio tempore locus uberius diſſerendi: nunc de priore potiſſimum agimus; nam in duas partes illud opus diviſum eſt, de quo nunc loquimur. Verſati iam olim in eodem campo erant *Franciſcus Tertius* Bergomas, qui liberalitatem ducum Auſtriacorum in ſe maximam expertus, ut pro eo beneficio memoriam eius gentis illuſtraret, ſedulo curavit. Ipſe pictor erat, chalcographo uſus eſt Gaſpare Patavino. Opus ipſum Oeniponti editum eſt, coeptum ao. 1569. ad finem perductum 1573. variasque variorum Ducum Auſtriacorum imagines continet, ſplendidiſſimum opus et fidele, niſi in antiquioribus viris pingendis, ubi picturae veteres deerant, quanquam ille ſimulet ſe etiam tunc habuiſſe veteres quas ſecutus ſit, verum ex ingenio illum ſuo tunc pinxiſſe cetera declarant, arma, veſtitus, quae recentiora vetuſtioribus ducibus adſignavit. Alter fuit *Iacobus Schrenckius* a Nozingen, qui varias imagines ligneis formis, ſed eleganter expreſſas Ducum Auſtriacorum ſiſtit in opere, quod Oeniponti 1601. prodiit, ſed aliorum etiam clarorum virorum, ut Auſtriacorum ducum numerus minimus ſit. Baſileae quoque 1491. vernacula lingua liber prodiit, qui *Illuſtriſſimorum Principum ac terrae Auſtriacae origines vitasque* profitetur. Secuti tunc ſunt Poppenheuſer, Gevartii, Scriverius, Nadasdus, Henriquez, Lambecius, qui etiam de maiore opere cogitavit, multaque eum in uſum praeparaverat, ſed morte interceptus eſt. Heraeus quoque idem in animo habuerat. Artifices vero quamplurimi

rimi in eodem argumento laudabilia conſilia bene exſecuti ſunt. Noſtri vero et horum apparatu uſi ſunt, et quod decebat viros in tanto argumento occupatos, itinera varia ſuſceperunt, quo res pingendas deſcribendasque ſi fieri poſſet, ſuis oculis viderent. Optima ſubſidia fuerunt Aula et Bibliotheca Caeſarea, Gaza porro Archiducum, tum ſuburbana palatia, Ebersdorffianum et Belloſontanum, Tabularium Magiſtratus Viennenſis, Sancrucenſe et Neoburgenſe monaſterium, Heraei collectanea, Eugenii ſummi imperatoris quas collegerat picturae, item Comitis a Weiſſenwolf et Ducis Saxo Meinungenſis. Nos vero cum priorem tantum partem nobis nunc commemorandam ſumſerimus, de hac pauca dicemus. Prolegomena primo loco ſunt, referta omni genere eruditionis et optimarum annotationum, quae nobis vere venerationem fecerunt virorum, qui in omni hiſtoria adeo verſati eſſent, eruditionemque tantam declaraſſent. Diplomata ſequuntur, et rara, et digna quae legantur, continent enim multa, quae varia ratione prodeſſe poterunt, quae ut fidem habeant, annum locumque ubi archetypa adſerventur, ad latus habent. Icones ſunt elegantes magnificaeque, et quae nos valde delectaverunt. Nam ſine his univerſa illa hiſtoria quaſi mortua eſt. Nos itaque hoc opus non ſuſtinemus laudare, laudat enim quod aiunt opus et ſeipſum et artificem. Atque ubi virorum ſummorum egregia facta vel narrare tantum, merito pro maximo Panegyrico habetur, ita quoque nos ſatis commendatum hoc opus omnibus fore arbitramur, ſi quae bona inſint, nuda enarratione comprehendamus. Tantum enim opus a paucis poſſidetur, felicitasque bibliothecae eſt, quae multa talia continet. Praefationem ſubſequuntur prolegomena tria, quorum primum haec fere continet. Non ſatis conſtare, quo tempore ars pictoria ac ſtatuaria in Germaniam et Auſtriam pervenerit, niſi forte a Romanis id factum, neque tamen videri Germanos ideo ipſos quoque haec imitatos eſſe. Maxima enim incrementa has artes a rebus ſacris exprimendis capere, quod apud veteres Germanos locum habere non potuerit,

 quod,

quod, Tacito teſte de mor. Germ. c. IX. *nec cohibere parietibus deos, nec in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare* conſuerint. Imagines itaque iacuiſſe, uſque ad Caroli M. tempora, quod incertius fortaſſe eſt. Fortaſſe enim periti harum rerum Germani fuerunt, verum artis ſpecimina antiquitas et inquieta tempora perdidere; ſicuti non argumentari poſſumus, veteres Germanos ſcribere non potuiſſe, quod nulla ſcriptio ſuperſit. Decantatum vero illud Irmenſeul columnam fuiſſe, minime vero ſpeciem viri, quod ipſe Adamus Bremenſis nonniſi truncum id eſt columnam appellet. Eas vero columnas, quae vulgo habeantur, auctor noſter cum Wachtero ſuppoſititias putat. Arbores, quod Claudianus Lucanusque teſtentur, minime vero effigies a Germanis cultas eſſe, quarum cultus ita ſollemnis fuerit, ut tunc etiam, cum chriſtiana religio in his terris invaluerit, tamen haec ſuperſtitio legibus, quae ad noſtram etiam aetatem pervenerint, fuerit coercenda. Helvetia vero, Alſatia, et ceterae regiones trans Rhenum, ſi etiamnum quaedam idola reliqua habeant, ea non videri Germanica eſſe, quanquam nec Romana ſint, ſed Celtica et Gallica potius. Religionem vero chriſtianam, rectius Pontificiam dixerim, imagines et eiusmodi res deſiderare, inde favorem et incrementa quoque eas artes cepiſſe. Ubi vero maxime floruerint, dici non poſſe; adeo barbarorum incurſionibus deleta omnia eſſe, uti et aetate ipſa. Extare peramplum catalogum picturarum, quae ea circum tempora perierint, aſſutum lectionario quod extet in monaſterio Benedictoburano, inſertumque ſit Bern. Pezii theſaur. anecdot. tom. III. part. III. Lectionarium ipſum ſaeculi XII. eſſe. Monaſterium ipſum ſtructum eſſe anno DCCXL. videri; itaque imagines, quae iam tunc inter perditas relatae fuerint, fere ab initio templi ibi fuiſſe, atque adeo antiquiſſimas eſſe. Eandem ferme antiquitatem habere ſtatuas Fuldenſes, a Brovvero in Antiq. Fuldenſ. et Schannato in Dioeceſ. et Hierarch. Fuldenſi, it. hiſtoria Fuldenſi, prolatas, ſatis gravia teſtimonia, eas artes apud Germanos tunc temporis floruiſſe. Extare quoque Turegi et Aquisgrani

ſtatuas

Digitized by Google

ſtatuas Caroli M. et Magdeburgi Ottonis M. quae genuinae ſint. Statuam vero Clodovaei I. regis Francorum, quae ſit Erfordiae, dubiae antiquitatis eſſe. Quin etiam nomina pictorum fictorumque quorundam ad nos perveniſſe. Floruiſſe enim in uno illo monaſterio Sti Galli in Helvetia tres monachos, Immonem pictorem, Tutilonem et ſtatuarium et pictorem bonum, Notkerum et pictorem et medicum, qui deinde antiſtes quoque monaſterii factus ſit. Alia monaſteria aliis artificibus gloriari; ſic Thiemonem Abbatem, poſtea praeſulem Salisburgenſem, ſeculo XI. plurimis artibus liberalibus et inter ceteras pictura quoque inclaruiſſe, cuius etiamnum quaedam ſuperſint. Hartmannum non minus Abbatem Gottvicenſem. Perdidiſſe autem ſpecimina artis, et artem ipſam afflixiſſe Hungarorum excurſiones, qui Pannoniam, Italiam, Boioariam, Auſtriam, peſſime vexaverint, ut brevi nullum templorum aut monaſteriorum veſtigium eſſet, in locis ubi illi fuiſſent Hunni. Regnante Leopoldo S. videri valde tenuem harum rerum ſcientiam fuiſſe, quod ex ſtructura monaſterii Sancrucenſis in Auſtria inferiore appareat. Eſſe enim adeo confuſa omnia, adeo inſcite facta, ut appareat Vitruvios ea aetate non multos fuiſſe, cum tamen exiſtimandum ſit, Leopoldum, cuius beneficio ſtructum ſit, pium principem, hac in re quam optimos architectos adhibuiſſe. Gottvicenſium monachorum ſe nulla opera potuiſſe invenire auctor ait, nam quae invenerit, ea ad ſeriora tempora referenda videri. Poſſe enim difficulter id quidem, ſed poſſe tamen aetates harum rerum probabiliter e generibus veſtimentorum, diadematum, armorum, clypeorum, inſignibus porro gentilitiis, cognoſci. Habendam quoque eſſe rationem crinium, barbarum, rerumque aliarum in ſe ſaepe ſatis minutarum, quae tamen cognitionem aetatum mirifice adiuvent. Quo magis laudandos putamus, qui ingenium excellens et ſtudium in his rebus collocant, neque enim vulgari diligentia aut eruditione opus eſt. Sic ſtatuas e pulvere marmoreo, qualis ſit illa Friderici Bellicoſi in Monaſterio Sancrucenſi, et opere muro adhaerente ſeculi XIII. inventa

eſſe.

eſſe. Manſiſſe tamen nihilo minus lapideas ſtatuas, quales multae paſſim e. g. in templo Stephani Vindobonae et Tulnenſi ſint. Habere non minus Abbatiam Mellicenſem, quae ad antiqua tempora referri poſſint, lanceam S. Mauritii ab Huebero in libro, cui titulus eſt: Auſtria ex Archivo Mellicenſi, exhibitam, quae ab Erneſto Marchione ibi dedicata ſit. Longa eſt, referente auctore, duos pedes; in manubrio fixas habet imagines ducis cuiusdam Auſtriaci, coniugisque, Erneſti fortaſſe illius, et uxoris Schwaenhildis. Auctor, prout ſunt eius religionis aſſeclae, qui his rebus tantum non divinitatem tribuunt, antiquitatem haſtae vehementer defendit, imaginum affixarum negat, inſignia enim adiecta eſſe, quae non videantur ſaeculo XIII. priora eſſe. Fuiſſe autem hoc ſaepius uſurpatum, ut rebus vetuſtioribus aliqua recentioris operis affigerentur. Sic leonis Bohemici ſignum iubente Carolo IV. gladio Caroli M. adiectum eſſe. Signis vero ipſis auctor non Erneſtum, ſed Rudolphum exprimi putat. Ab eodem Rudolpho eſſe epitaphium Sti Colomanni in Abbatia Mellicenſi, gothica ratione factum. Sunt quoque, ut auctor ait, in Praepoſitura Clauſtro Neoburgenſi multa monumenta ducum Auſtriacorum, Babenbergenſium vero Marchionum nullum, quod eorum aetati aequale ſit. Sunt quoque in Xyſto veteres feneſtrae, quarum in ſumma extant imagines conditoris Sti Leopoldi, uxoris Agnetis, filiique maioris natu Adalberti figurae, qualis apud nos monetarum maiorum eſt, medaillons vocant, quae conſecratione Leopoldi antiquiores videntur eſſe, quod ibi Sanctus non vocatur. Haec auctor eleganter accurateque, ut omnia cetera, deſcripſit, inque aes artificioſe incidi curavit. Adalbertus in his advocatus i. e. patronus eccleſiarum vocatur, habuerunt enim hunc titulum principes. Aliae quoque figurae ibidem extant, quae videntur eorundem eſſe, quanquam titulis careant. Sarcophagus Leopoldi ibidem aſſervatur, in quo eius corpus eſt, genuinae pariter arcae ac adulterinae, qualis auctori illa Birckeniana videtur; icones et deſcriptiones additae ſunt, ſimulacrum porro eiusdem Leopoldi a Maximiliano

Digitized by Google

liano III. dedicatum. Caput vero et brachii alterum os ſeparatim in templo populo adorandum proponitur. Ibidem alia eſt picta tabula, quae Leopoldum et Agnetem exhibet. Inter utramque figuram eſt ſambuci arbuſcula, inhaerente ramis flammeola, qua de re vetus traditio ſic habet. Leopoldus et Agnes cum aliquando per feneſtram proſpectarent, contigit ut velum Agnetis vento raperetur, quod nono anno poſt, Leopoldus in venatione a vertagis indagatum, ſambuco cum inhaereret, invenit. Quam hiſtoriolam falſam multi putaverunt; habet enim in ſe aliquid ſubleſti, et ſi maxime ita eſt, nihil miri habet praeter fortunam. Nam neque in diplomate apotheoſeos, bullam canonizationis vocant, mentio fit; neque in litteris, quae ad conſtitutionem Abbatiae pertinent; quin neque in Chronico Neoburgenſi vetuſtiſſimae originis: aliud quoque, quod auctor clariſſimus conſuluit, pariter ea de re ſilet, nec inter reliquias ſanctorum, quae in illo codice recenſentur, huius mentio ulla fit. Neque de ipſo tempore ſatis auctores conveniunt; etſi, quod tantum anno differunt, ferendum hoc eſſet. Maxima dubitatio inde eſt, quod etiam de aliis monaſteriis pariles hiſtoriolae circumferuntur. Auctor noſter, ut defendat eam, auctoritatem actorum canonizationis, itemque ſummarii Ricardi, aequalis his temporibus ſcriptoris, allegat: quae omnia veram eſſe rem fortaſſe demonſtrant; ut plus ſit quam fortuitus caſus, nequaquam. Litterae fundationis quod ea de re nihil habent, auctor modeſtiae Leopoldi tribuit; adde quod nec ipſe fortaſſe Leopoldus ei rei quicquam ſingulare aut divinum ineſſe putavit. Diploma quod ea de re tacet, brevitati referendum auctor putat. Aliae quoque res antiquiſſimae in eo templo reperiuntur, ut ſtatuae Agnetis et Leopoldi, ſed poſterioris aetatis opera, quae, ut auctores loci, ſacri aedificii ſpeciem manibus gerunt. Sunt quoque in feneſtris Sancrucenſibus vitra octo, quae monaſteria Sancrucenſe et Neoburgenſe, Leopoldum cum coniuge et filiis quatuor, non tamen ſervato annorum inter eos ordine, exhibent. Haec e prolegomeno primo excerpere placuit, quod

digna memoratu viſa ſunt; cetera ſi quis cognoſcere avet, apud auctores inveniet. Sequitur ſecundum, quod, ut vere dicamus, non ſolum inſigni cum voluptate, verum etiam admiratione ſumma Hergotti noſtri, legimus; adeo hic vir, quanquam ubique praeclarus eſt, ſeipſum hic vicit. Ineſt enim ſuavitas mirabilis, et ſumma eruditio, et ingenioſa, adeo illae imagines accurate et docte explicatae ſunt. Negat vero auctor, ſe nunc de ſtirpe antiqua illa Babenbergica dicturum, quum non ſatis ſubſidii ad has res ſibi, quae invenerit monumenta, miniſtrent, quapropter curioſiores lectores ad Hanthalerum et Calleſium ablegat. Se enim tabulas genealogicas tantum velle proponere eas, quae in coenobio Neoburgenſi, et in tabulario Vindobonenſi inveniantur. Neque negat recentioris aetatis eſſe, utiliſſimas tamen, ita ut ſunt, putat: partim quod teſtimonio ſint, quid de ſerie ducum ſuorum ea aetas ſtatuerit; partim etiam quod plurimae res ad antiquitatem hiſtoriamque illuſtrandam ex his depromi poſſunt, veluti id res ipſa ſtatim docebit. Tabulae Neoburgenſes duplicis generis ſunt. Alteras Sundhemianas noluit hic commemorare, quod et Baſileae editae ſunt, et Pezii ſcriptoribus rerum Auſtriacarum inſertae: quae etſi valde bonae ſunt, tamen naevos quoque ſuos, id quod ipſe Pezius iam annotavit, habent. Alteras hic videmus elegantes et bonas. Aetas videtur conſecratione Leopoldi poſterior eſſe, quod nimbus eius capiti additus eſt, uti etiam id ratio ſcribendi et genera veſtimentorum docent. Prima effigies Leopoldum illuſtrem, primum de ſtirpe Babenbergenſi Marchionem, exhibet, ita pictum, quaſi in expeditione adverſus Hunnos, contra quos bene rem geſſit, occupatum. Sequitur Henricus filius eius, loricatus, cum ornamentis ducalibus. Inſignibus vero adiectis, quod in univerſum monebimus, fidendum ſemper nequaquam eſt; ſumſit enim haec genealogus e ſuo tempore. In eadem effigie Colomannus additus eſt, pendens ex arbore, propter fidem interfectus; additur vero ideo, quod praecipue Henricus reliquias illius viri colebat. Poppo deinde ſequitur, Leopoldi III. filius tertius, cum

ſacro

ſacro veſtitu, vir, ut hiſtorici perhibent, et corpore et animo venerabilis. Erneſtus ſenior poſt hunc, filius Leopoldi ſecundus, qui pravis conſiliis Henrici Schweinfurtenſis, patruelis, abreptus, adverſus Henricum Sanctum Imperatorem arma ſumſit, captusque, mox liber dimiſſus, ac dux Sueviae conſtitutus eſt. In venatione tandem ab Adalberone Comite imprudente confoſſus, cum in eo ipſo loco moreretur, neque ſacerdos adeſſet, crimina coram ſociis venationis confeſſus, poenitentiae clara ſigna dedit. Erneſtus hunc excipit II. primi filius. Is cum bellum adverſus Conradum Salicum Imp. a quo dux conſtitutus erat, cepiſſet, beneficio privatus, atque in Saxoniam exulatum miſſus eſt. Potuiſſet honorem recuperare, niſi Wehelonem hominem turbulentum nimis pertinaciter amplexus fuiſſet. Iterum itaque proſcriptus, in ſylvis raptu vitam toleravit. Tandem et ipſe, et Wehelo, commiſſo cum Manegoldo Comite proelio, periit. Imago eum exhibet tanquam a ſicariis confoderetur; ſed Wiponis auctoritas, diverſa narrantis, maior nobis eſſe debet. Transferebatur Ducatus in Hermannum, qui cum Conrado Italiam petiit, atque ibi ao. 1308. peſte periit. Pictus eſt in comitatu Caeſaris. E longinquo currus funebris conſpicitur, ſine dubio illius ipſius. Bonae indolis vir, et in rebus bellicis ſtrenuus. Sequitur Adalbertus I. Victorioſus, qui adverſus Hungaros ſecunda proelia fecit, quod ipſa pictura declarat, mortuus 1056. Huius filius Leopoldus II. natus 1022. fortis militis cognomen habuit: caſtra Hungarica obequitans pingitur, ob proelium, quo ſub auſpiciis patris eos vicit. Erneſtus III. ſtrenuus patri Adalberto I. ſucceſſit 1056. Hic multis adverſus Hungaros proeliis clarus, dum in proelio ad Oneſtrum Henrico IV. Imp. fidelem adverſus Saxones operam navat, accepto vulnere poſtridie interiit. Proelium ipſum expreſſum eſt. Leopoldus Pulcer bellicis artibus, proeliisque adverſus Henricum IV. Imp. et Bohemos, clarus fuit. Pictus itaque eſt et Caeſareus et Bohemicus exercitus, veluti id e vexillis apparet. Alius Erneſti Strenui filius Albertus Levis fuit. Is cum fratre Pulcro bellum geſſit,

 tan-

Digitized by Google

tandem ita compoſitum, ut Leopoldus ab eo duodecim vexilla feudi loco acciperet. Ea ipſa res depingitur. Sunt tamen qui dubitent, an ille revera vixerit, aut errori fortaſſe hiſtorico originem debeat. Sequitur Popponis alius imago, quem Leopoldi pulcri filium, epiſcopumque Trevirenſem praedicant, aiuntque, eum fratri Leopoldo Sancto, Azzonem, virum nobilem, cum ala equitum auxilio miſiſſe, cuius forti Leopoldus opera uſus ſit. quae res ibi cernitur expreſſa. Verum cum conſtet, nullum eo tempore Popponem Treviris fuiſſe Archiepiſcopum, Poppo ille e cognomine Leopoldi III. filio videtur ortum traxiſſe, quale quid in obſcuriſſima eorum temporum hiſtoria minime rarum eſt. Leopoldus S. cum filiis, et e longinquo Sancrucenſe et Neoburgenſe monaſterium. Adalbertus poſtea, filius eius natu maximus. Is cum a Boricho, qui Hungaros exciebat, bello peteretur, Adalbertum ſororis ſuae maritum evocavit, fortem militem. Haec pictura exhibet. Leopoldus II. Largus, Sancti filius, qui patri ſucceſſit, et Henrico Saxon. Bavariaeque duce proſcripto Bavariam quoque accepit. Hinc ſcutum tripartitum, cum inſignibus utriſque. Pingitur Ratisbonam, quam obſedit, obequitans, hanc enim bis cepit tumultuantem. Otto deinceps Friſingenſis, tertius Sancti filius, cum inſignibus epiſcopalibus. Oppida et caſtella quae cernuntur, Friſinga et coenobium Morimundenſe, aut etiam Neoburgenſe, cui aliquando praefuit, eſſe videntur. Pius epiſcopus fertur fuiſſe. Quartus ordine naſcendi Henricus eſt, cui tamen in tabella praemittitur frater Conradus, Epiſcopus Salisburgenſis, cum inſignibus dignitatis, et comitatu. Erneſtus IV. iuvenis, quod venator eſſet, exprimitur cervum venabulo traiecturus. Henricus, dictus Iaſomirgott, (quod ſaepe ſi quid affirmaret dicere ſoleret; *Ia ſo mir Gott* ſc. *helffe*, i. e. ita me deus adiuvet,) ducale decus in Auſtriam intulit. Fridericus enim Barbaroſſa, Henricum Leonem ducatu Bavariae privavit, eumque in hunc transtulit. Quae res deinde ſic compoſita eſt, ut uterque aliquid retineret. Is, qui eo iure dux erat, ut poſt Electores primo loco eſſet, Archidux appellatus eſt. Tabula binas

naves

naves habet, quia cum Conrado III. in terram ſanctam navigavit, mortuus ao. 1177. Leopoldus Virtuoſus, cum in obſidione Ptolemaidis ita fortiter dimicaret, ut veſtis alba ſanguine undique ſparſa eſſet, excepto loco quo faſcia militaris pendebat, in memoriam rei faſciam candidam, quae clypeum rubeum interſecaret, a Friderico Imp. accepiſſe dicitur, ut etiam in tabula eſt. Qua in re quid verum ſit, alibi ſe diſputaturum auctor oſtendit. Mortuus eſt 1194. Henricus de Medlico, quod arcem Medlicenſem exſtruxit, Iaſomirgotti filius ſecundus, cum fratre Virtuoſo, adverſus Sobeslaum ducem Bohemiae, vivente adhuc patre bellavit; quod ſatis ſcite, ut cetera omnia, pictura ſignificat. Henricus Medlicenſis iunior, ſenioris filius primus, florente aetate ſine liberis deceſſit. Memorabile nihil cum fecerit, artifex, ut aliquid tamen pingeret, venantem eum exhibuit, ſclopeto, ſatis hoc ridicule, in feram trans fluvium quaſi collimaret. Quod iterum oſtendit, quam ſaepe recentiores res antiquioribus affictae ſint. Ea tabula, in qua Fridericus Catholicus, Virtuoſi filius maior eſt, duo argumenta habet, navigationem primum in terram ſanctam priorem, poſteriorem deinde, in qua cum extinctus ſit, vehiculo quatuor taedis illuſtrato, funebrique, fingitur referri domum. Catholicus, propter ardorem in religione dictus eſt. Leopoldus Glorioſus, Catholici frater, in bello contra Saracenos, praecipue in obſidione Damiatae, egregiam virtutem declaravit. Artifex vero aliud non minus egregium eius facinus ſibi delineandum ſumſit, pacem nimirum, quam ille inter Fridericum II. Imp. et Gregor. IX. Papam reſtituit. Stat inter utrumque medius, manibusque eorum iunctis ſuam adiicit; cui ille negotio ao. 1230. immortuus erat, cum fundamenta gratiae ieciſſet. Natu maximum huius filium, prima in pueritia fatum abſtulit. Nam cum Neoburgi inſtitueretur, praeceptoris incuria arborem adſcendit, atque inde praecipitatus eſt. Exhibetur itaque ipſe et duo magiſtri adſtantes, ab altera vero parte ſocii ſtudiorum duo. Accidit vero hoc 1216. Decennis itaque aut novennis fuit, natus quippe 1206. aut 7. Alter Glorioſi filius, Henricus, Crudelis dictus

Digitized by Google

eſt, quod matrem armis ex oppido Haimburgenſi eiecit, non melior in patrem, quem variis artibus de vita tollere volebat. Pingitur itaque mater eiusque comitatus triſti averſoque vultu, pater vero ut expugnans oppidum, quo ille confugerat, id quod anno 1226. factum eſt. Periit autem duobus annis poſt. Ultimus ſiſtitur Fridericus, Leopoldi filius tertius, Bellicoſus cognomine, ob bella fortiter geſta. Ultimo praelio ad fluvium Leutham cum Belae IV. regis Hungariae exercitu dimicavit, in quo periit ipſe, die natali ſuo anno 1246. quae res ibi ſcite exponitur. His ad latus utrumque in codice, foeminarum nudi icones et nomina, adiecti erant, quos Auctor noſter ſeparatim duabus paginis exhibuit. Quae ſi tamen cui volupe ſit cognoſcere, uti ſunt et haec valde eleganter ac erudite ſcripta, ex ipſo auctore optime cognoſcet, eſſet enim infinita res ea omnia excerpere. Icones certe boni ſunt, praecipue illi priores quos recenſuimus, ſummo artificio et facti et hic expreſſi. Veſtium facierumque muliebrium diverſitates curioſiorem lectorem valde tenebunt, praeſertim ſi hoc velit attendere, veſtimentorum illa genera, quae ibi conſpiciuntur, ſummisque foeminis tunc propria fuerunt, iam ad ruſticas noſtras defluxiſſe; eſſe tamen etiam, quae, paucis immutatis, etiamnum in honore ſint. tanta in his rebus inconſtantia eſt.

Iam vero Prolegomeno III. Auctor de ſtemmate Habsburgico-Auſtriaco agit. Eſt vero eius argumenti tabula in Vindobonenſi tabulario, quod Duces Archiducesque Auſtriacos a Rudolpho I. uſque ad Philippum, Maximiliani I. filium, ſiſtit. Adiecit ille artifex ſchedulas germanice ſcriptas, quae varia memoratu digna de horum nominibus, matrimoniis, obitu, ac aliis rebus narrant. Aliquando tamen in obſcurioribus ſchedulae nullae adiectae ſunt; tanta religio pictori erat, ut nollet imponere lectoribus, incerta aut falſa prodendo, quam optaremus omnes hiſtorici ſervaſſent, minus ſane fabularum haberemus, quae ſaepe ſub ſpecie veritatis latent, ut neque dignoſci poſſint. Auctor harum Stabius putatur, primum

quod

quod conſtat, eum talem tabellam confeciſſe; deinde quod illa non ultra eius tempora progreditur. Factum autem id eſſe videtur ex Maximiliani I. auctoritate, qui genealogica vehementer amaverat. Haec ſi cui non videntur ſatis eſſe, is ſciat, in rebus obſcuris ultra obſcura veritatis indicia adſcendi non poſſe. Primus itaque Rudolphus eſt, cum inſignibus et uxoribus, Anna et Beatrice, harumque inſignibus. Verum hoc tenendum, habitus corporum et inſignia ex ingenio et coniectura eſſe; qua in re bene meritus eſt de lectoribus editor, qui artificem et approbet et refellat rationibus, ubi alterutrum locum habet, atque eo magis laude noſtra dignus ac admiratione eſt. Neque enim ſine accurata et fere infinita eruditione, ſummisque ingenii dotibus, felix hoc negotium eſſe poteſt. Sequuntur Rudolphi filiae: Gutha, quae Wenceslao Ottocari filio nupſit, atque ab eo dilecta maxime anno 1297. obiit, non diu hoc matrimonio gaviſa; Clementia, quae Carolo Martello; Mechtildis, quae Ludovico Severo Bavaro nupſit. nam ille priorem coniugem iratus occiderat. Mechtildi adiungitur Hedwigis, coniux Ottonis Parvi Brandenburgenſis. Qui cum, poſt mortem Ottocari, tutor filii eius Wenceslai eſſet, animique principum alienatiores diuturnum bellum minarentur, ille nuptiis variis partes in gratiam revocavit. Hedwige mortua, vir eius, quae magna laus! ſed raro mulierum eſt, quod tolerare eius deſiderium non poſſet, Ciſtercienſis deſperatione factus eſt. Non ad imitandum! Nomina earum inſigniter apud auctores variant. Catharina, Ottoni Bavariae inferioris duci nupſit. Reſtiterat enim pater illius Henricus Rudolpho, cum per Bavariam in expeditione adverſus Ottocarum ire vellet, ſed ſe poſtea correxerat. Itaque haec quo firmior amicitia eſſet, filio in matrimonium data eſt. Nec ſterile fuit coniugium, ut quidam putaverunt; duo enim filios genuit, cuius rei idonea teſtimonia ſunt. Scuto quod Hungarica inſignia etiam inſunt, inde eſt, quod ille Otto aliquando Rex Hungariae creatus eſt; quod regnum deinde, cum auctoritas eius non magna inter Hungaros eſſet, vitae cum periculo dimiſit.

Agnes

Agnes tandem, ultima Rudolphi filia, Alberti Saxonis uxor. Foecundum etiam hoc matrimonium, filii quinque, filia Eliſabetha. Septimam itaque Euphemiam, monialem, et obſcuram aliam Coletam ſecundum nonnullos, omiſit genealogus, fortaſſe quod minus virginibus profeſſis faveret. Malo plerumque ordine poſitae ſunt, neque id miramur, nam unaquaeque voluit ceteris iunior eſſe, ut ſolent omnino puellae, ſaltem apud nos. Miſer itaque pictor hic facile potuit impingere. Ordinem auctor alium, qualis eſſe debeat, fecit. Filii ſequuntur Rudolphi. Hartmannus ſeu Hermannus, cum ſponſa Iohanna, Eduardi I. Angli filia. Quod negotium varie retardatum, tandem mors Hermanni in Rheno extincti irritum fecit. Signum virginitatis aut coelibatus eius ſertum eſt, ut in aliis quoque imaginibus conſpicitur. Poſt hunc frater Rudolphus eſt. Uxorem duxit Agnetem, Wenceslai ſororem, cui ipſe ſororem ſuam Gutham nuptum dedit; quanquam etiam de hoc ſunt qui ambigant, locupletiores tamen auctores ſunt Horneckius coevus illius temporis ſcriptor, et annales. Rudolphi I. progeniem propagavit Albertus et uxor Eliſabetha. Tabula nona quae ſequitur Alberti liberos complectitur, pro more artificis foeminas primum, deinde maſculos. Anna prima eſt, inter duos maritos poſita, Hermannum Longum, Ottonis Brandenburgici filium, cui nupſit circa annum 1595. (vitium eſt, debet 1294. eſſe), et Henricum VI. Ducem Vratislaviae. Eliſabetha anno 1304. Duci Friderico IV. Lotharingo iuncta. Gutha deinde, quam complectitur maritus, Leopoldus ſenior, comes Ottingenſis, alii Badenſem faciunt. Plures foeminarum imagines ſunt, verum taedet mulierculas illas notare, quae nihil notabile habent, quam quod natae, collocatae in matrimonium, et mortuae ſunt; quanquam neque in viris ſaepe res aliter ſe habet. Rudolphus porro II. de quo altero volumine plura, ſequitur, cum uxoribus Blanca et Eliſabetha, reliquique Alberti I. filii, inter quos ſolus Albertus Sapiens genus propagavit. Inde Fridericus Pulcher, is qui cum Ludovico Bavaro bella ob impera-

Digitized by Google

peratoriam dignitatem geſſit, cum uxore Eliſabetha, proleque Friderico, Anna, et Eliſabetha. Quarum Anna, vidua, ordini monialium St. Clarae adſcripta eſt. Nam cum Ioanni Goritio Comiti nupſiſſet, et ille brevi poſt, id quod ſolum eam rem veriſimilem facit, morbo articulari expiraſſet, e moerore vidua in Viennenſe illud monaſterium, cum famulis ſuis, ſunt qui ſexaginta mulierculas fuiſſe dicant, ſe contulit. Altera Pulcri filia, Eliſabetha, Ioanni Luxenburgico nupſit. Verum illud coniugium diuturnum haud fuit. Quanquam enim videri potuiſſet feliciſſimum fore, tamen diſcordiae interceſſerunt, quoniam maritus magicis ſe artibus effoetum factum eſſe dicebat. Diſſolutum itaque mox eſt, ac tamen ille deinde Beatricem Francicam, Ludovici filiam, duxit, idque Eliſabetha ſuperſtite. De Alberto II. et coniuge negat ſe auctor quicquam, poſt eruditos Steyereri labores, dicere velle. De filio eius altero Volumine dicetur, uti de filiabus quoque Margaritha et Catharina, quae mirae pietatis dicitur fuiſſe. Margaritha bis nupſit, primum Meinhardo Bavaro, qui cum ante ipſas nuptias mortuus eſſet, Iohanni Luxemburgico Caroli IV. fratri collocata eſt. De Rudolpho IV. et uxore Catharina, poſteriore volumine dicetur. Adalbertus cum trica, ut appellatur, duas habuit uxores, Eliſabetham, Caroli IV. et Beatricem, Praefecti ſeu Burggravii Norimbergenſis, filiam. Albertus IV, mirabilia mundi dictus, Iohannam Alberti Hollandici natam. Filium Albertum, filiam Margaritham ſuſcepit, quanquam eius nomen apud auctores variat. Haec Henricum divitem, ducem Bavariae, maritum habuit. natos natasque ex eo peperit. Albertus vero, frater Margarithae, uxorem Eliſabetham habuit. In pectore effigiei muliebris vox ſcripta eſt Annizarta, quod non poteſt explicari. De Gregorio ſeu Georgio, Alberti huius filio natu maximo, proximo Volumine plura. Eliſabetha, una ex Alberti filiabus, Friderico Friderici II. Placidi Saxonis filio ſponſa data eſt, quo ante nuptias mortuo, Caſimiro deinde III. Iagellonis filio tradita; foecunda mulier, uti Capiſtranus monachus vaticinatus erat, magnae auctoritatis eo tempore vir, praecipue

S propter

propter divinationes. Neque illa foecunditas inhonorata fuit. Reges et Caeſares enim illa enixa eſt, ut auctor pluribus diſſerit. Soror eius Anna minus auſpicato coniugio uſa eſt. Wilhelmus enim, Friderici I. Bellicoſi Marchionis Miſnici filius, maritus erat. Nuptiae ipſae male ominatae, quas interventus fratris Wilhelmi, Friderici Placidi cum exercitu, nam diſſidebant fratres illi, turbavit. Nec felicior ipſa coniunctio: nam Wilhelmus eam illiberaliter habere coepit, et concubinam ſuperinduxit. Optimam vero Annam in arce Eccartsberga vinctam detinebat. Aetas numerusque illarum ſororum, ut ſaepe alias, ambigitur. Extremum in tabula locum obtinet Ladislaus Poſthumus, cum Magdalena Caroli VII. Franciae regis filia. Redit iam Genealogus ad Alberti fratrem alterum, Leopoldum, cognomine Probum, qui duarum gentium auctor eſt: Tyrolenſis, per Fridericum cum vacua pera, ut nominabatur; et Auſtriacae, per Wilhelmum. Filia Leopoldi fuit Eliſabetha, de qua plura in altero Tomo. Fridericus cum vacua pera duas inter uxores, Eliſabetha et Anna. Ultimus eius gentis Sigismundus fuit. De Auſtriaca linea pauca dicemus. Wilhelmus, quem diximus, duos procreavit natos, Leopoldum Craſſum, qui cum uxore Catharina Burgundica ſine liberis obiit; et Erneſtum ferreum, qui e duabus uxoribus Erneſtum, Rudolphum, et Leopoldum, natasque Annam et Alexandram ſuſcepit, quae virgines obierunt, Erneſti Ferrei porro liberi erant Fridericus III. Placidus, Imp. Rom. et Albertus Prodigus. Maximilianus Placidi filius denique ſiſtitur, cum duabus uxoribus, altera Burgundica, altera Mediolanenſi. Quod ut ipſe, ita Maria quoque Burgundica, uxor prior, inſignia velleris aurei habent, non eſt mirum, nam aetas illa foeminis etiam hoc decus conceſſit. Haec ſufficient non ad inſtruendum, ſed ad excitandum tamen lectorem, ad opus ipſum conſulendum. Quod ſi illa ultima excerpta tenuiora cuidam videantur, ſciat is brevitatem ſic voluiſſe fieri, neque in rebus genealogicis, veluti illa ſunt, quicquam praeter fidem expectari. Adiecta ſunt, quod vehementer laudandum, ſervari hunc optimum

fontem

Digitized by Google

fontem hiſtoriae, diplomata varia, quae ad Hiſtoriam Auſtriacam pertinent, quorum capita primaria, quantum fieri poterit, paucis ante oculos ponemus. Primum eſt: Litterae Fundationis Monaſterii Sanctimonialium Tulnenſis in Auſtria inferiori. Rudolphus Habſpurgicus auctor eius Monaſterii eſt. Ait ille, quod ſibi Deus de Ottocaro Bohemo dederit victoriam, ſe, ne immemor ſit tanti beneficii, poſt ſummum periculum vitae, Tulnae coenobium ſanctimonialium ſtruxiſſe; huc pertinere domum aliquam, et agros, et quotannis praeterea vini et frumenti copiam.

Alterum eſt, quo Andreas III. rex Hungariae, coniugi ſuae Agneti Auſtriacae, Comitatum Poſonienſem ad dies vitae confert. Quoniam tanta debeat Alberto Duci Auſtriae, ſocero, et eius coniugi, ſe, ut gratus in eos ſit, velle, ut Comitatus Poſonienſis ſe mortuo Agnetis, eorum filiae, uxori ſuae, ſit poſt mortem ſuam, quoad vixerit.

Tertium, quo Fridericus Pulcer conſentire ſe declarat cum reliquis fratribus ſuis, ut dotem conſtituat ſponſae Henricus Placidus ſuae.

Quartum, quo Henricus Placidus Teſtamentum Sororis Agnetis, reginae olim Hungariae, ſuo conſenſu approbat.

Quintum Agnetis eſt, quo pro ſe et Andrea, marito ſuo, quotannis intercedi aliquoties apud deum vult, et in eius rei gratiam monialibus ex ordine S. Clarae Viennenſibus non contemnenda legat.

Sextum, litterae Ottonis Hilaris, quibus monaſterium novi montis in Styria, ordinis Ciſtercienſis, fundat; quod ſe ait facere conſentientibus Friderico Rege Germaniae, Alberto fratre Duce Auſtriae et Styriae, et Eliſabetha coniuge, quorum conſenſus inferius adſcriptus eſt.

Septimum Apocha eſt Mauritii, Abbatis Viennae ad Scotos O. S. B. pro ſacris anniverſariis Henrici Ducis Auſtriae, qua teſtatur ſe accepiſſe legatam pecuniam, ſeque et pro poſteris polliceri, fore ut ea ſacra fideliter ſerventur, pecuniam vero legatam ſe eo deſtinaſſe, ut quotannis ſibi illo die duplex portio carnis, et maior ſcyphus boni vini, apponatur.

Digitized by Google

Octavum, Apocha Wulfingi, Abbatis Canonicorum regularium ad S. Crucem in Auſtria, qua pro Ottone Duce Auſtriae ſacra ſe facturum promittit.

Nonum, eandem ob rem ab Adelheida, Prioriſſa Monialium ad St. Laurentium Viennae.

Decimum, quo Albertus et Leopoldus fratres, Duces Auſtriae, Violantae Ducisſae Mediolanenſi, ac Alberti, ut ſperabatur, futurae coniugi, pignus caſtellum Weitenegg pro certae pecuniae ſumma conſtituunt.

Undecimo, Papa Gregorius IX. Albertum III. ducem Auſtriae a nuptiis cum hac Violancza, Galeazii II. ducis Mediolanenſis filia, deterret. Bonum factum, quod nobis duumviri doctiſſ. monumenta ſaevitiae antichriſti quaſi in manus tradunt. Urget enim Papa, ne uxorem ducat eam Violencam, quod pater Galeazius minus obediens eſſet eccleſiae Romanae, ſola hac de cauſa. Neque enim Albertum ſuam progeniem commixtione talis ſanguinis foedare debere, verba ſunt Pontificis. Albertum quidem optimam ob cauſſam illud facere, nempe ut reducat in concordiam cum eccleſia: ſed poſſe tamen terribiliorem ex hac affinitate Galeacium fieri, qui per dei gratiam, (horrendum!) debilitatus ſit multum, et ſperetur deduci ad infimum poſſe, ut mereatur. Oporteret enim deinde ei auxilium a genero ferri. Galeacium hic Papa proſcindit tanquam viliſſimum e ſordida plebe hominem. Ait deinde, eum ex eccleſiae communione eiectum eſſe, itaque affinitatem iungi cum eo non poſſe, nuptias enim irritas eſſe, quas exſecrabile contubernium vocat. Sin ſecus faxit, excommunicatus et ipſe eſto. Imperat vero ei, ut ſervo, ſine ulla dignitatis reverentia. Tota epiſtola ſcatet barbariſmis: praefatus paſſive dicitur, ſic plura deponentia; ſoloeciſmi totidem fere quot commata, et declarat Gregorius, in ignorantia omnium rerum ſumma, ſummam impudentiam. Et poſſunt principes Chriſtiani etiamnum Epiſcopum Romanum venerari? nam haec in lucem eduntur, tanquam re optime geſta.

Duodecimum eſt, quo Leopoldus Probus Wilhelmum filium

lium Hedwigi; tertium decimum, quo huius pater Ludovicus I. Hungariae rex eam Wilhelmo coniugem promittit; XIV. et XV. quo ordines Auſtriaci et Hungarici hoc ratum habent. Ad ſimiles res pertinent XVI. XVII. XVIII. XIX. et XX: neque XXI. momentum habet: XXII. plura exhibet, continet enim foedus, inter Rupertum Regem Rom. et Leopoldum Craſſum Ducem Auſtriae factum, et ſponſalia inter Fridericum huius fratrem et Eliſabetham, Rom. regis filiam: Leopoldum officia clientis, Rupertum patroni facturum, ſe itaque, ait Imperator, ei omnem ditionem, quam ab imperio Rom. acceperit, ſervare et denuo concedere, velle ſe ei auxilium ferre contra Helvetos. Alia quoque eiusmodi de exercitibus et pecuniis mutuo praeſtandis, ac denique de coniugio illo.

Viceſimum tertium eſt quo Albertus V. Plebanum in Peternell rogat, velit Stephanum quamprimum muneri eccleſiaſtico praeficere. Id ſe pro iure ſuo rogare, habere enim hoc Duces, ut candidatum commendare et ſuadere poſſint.

Viceſimo quarto Sigismundus, Rex tunc Romanus, Albertum V. ducem Auſtriae, poſtea regem Romanum, a tutela exemptum declarat, variasque inter duces Auſtriae cauſſas alias iudicat, quae melius e fontibus haurientur.

Viceſimum quintum infeudationem continet a Sigiſmundo Alberto V. conceſſam: XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. matrimonia, dotes, et eiuſmodi res non ſatis memorabiles, habent.

Triceſimum formulam foederis inter Sigiſmundum ducem Auſtriae, Iacobum regem Scotiae, et Carolum VII. regem Franciae, habet: XXXI. XXXII. XXXIII. matrimonia et dotes.

Triceſimo quarto indicat Sigiſmundus Dux Auſtriae, ſibi dignitatem Archiducis a Friderico Imperatore conceſſam eſſe, polliceturque, ea ſine fraude Caeſaris ſe uſurum.

Triceſimo quinto Medici Maximiliano archiduci felicem Mariae coniugis partum nunciant.

Triceſimo ſexto Iulianus Epiſcopus Oſtienſis, Epiſcopo Brixinenſi indicat, Papam Sixtum IV. conceſſiſſe, ut matri-

Digitized by Google

monium inter Sigiſmundum Auſtriacum, et Catharinam, Alberti Ducis Saxoniae filiam, iniri poſſit; quanquam, magnum impedimentum! quarto conſanguinitatis gradu coniuncti ſint. Hoc ſe ex iuſſu pontificis ei indicare.

Plura ad idem matrimonium pertinentia, XXXVII. XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. habent.

De nuptiis inter Friderici Placidi imp. Rom. filiam Cunegundam, et Albertum ducem Bavariae, contrahendis, operam navante Sigiſmundo Archiduce, matrimonio deinde ac dote, XLII. XLIII. XLIV. et XLV. exponunt.

Quadrageſimo ſexto Sigiſmundus Archidux Maximiliano Rom. Regi Tyrolenſem ditionem, aliasque provincias concedit. Se ait orbum eſſe herede, morbis quoque et aetate confectum, amare tamen cives ſuos, quibus proſpicere nunc velit, ne poſt mortem turbae oriantur. Tradere itaque ſe haec omnia, ſed ea lege, ut ſi adhuc maſculos heredes gignat, his ea reddantur adultis, impuberum curam Sigiſmundus Rex Romanus, eiusque heredes ſe mortuo gerant. Si filias, eas Maximilianus dotatas collocet ex dignitate. Sin etiam Maximilianus ante ſe moriatur, omnia ad ſe redeant. Forma vero regiminis, quae nunc ſit, immutata ſervetur, et aes alienum ſi quod contractum ſit a Maximiliano diſſolvatur, coniugi Sigiſmundi reditus conſtituat, et ſi qua alia ſunt: verum haec potiora exiſtimavimus.

Quadrageſimo ſeptimo Cunegundis, quam diximus, iuri hereditario in paterna et materna bona renunciat.

Varia, quae ad coniugium Blancae Mariae, Ioannis Galeatii Ducis Mediolanenſis filiae, et Maximiliani Regis Rom. ineundum pertinent, continet XLVIII. XLIX. L. LI. LII. LIII. LIV.

Quinquageſimo quinto Ludovicus Maria Sfortia Vicecomes, pro infeudatione ducatus Mediolanenſis, aliarumque terrarum, centum millia aureorum ſe ſoluturum ſpondet. Alia, quae ad nuptias Blancae Mariae et Maximiliani referuntur, exhibet LVI. LVII. LVIII. LIX. LX. LXI. LXII. uti etiam transactiones de dote, et rebus ſimilibus.

Sexa-

Digitized by Google

Sexageſimo tertio. Maximilianus ſe eam pecuniam, quam Ludovicus ante promiſerat, accepiſſe teſtatur.

Sexageſimum quartum ſequitur, quod inter Maximilianum Ericumque ducem Brunſvicenſem, de dote Catharinae, uxoris Erici, viduae Sigiſmundi ducis Auſtriae, tranſigit.

Sexageſimo quinto Ferdinandus frater Caroli V. in matrimonium cum Anna regina Hungariae, legesque matrimonii, conſentit.

Sigiſmundus, Sigiſmundi I. regis Poloniarum filius, Eliſabetham, Ferdinandi huius filiam, duxit uxorem. Quae ad hanc rem attinent, LXVI. LXVII. LXVIII. continentur.

Catharinae, Ferdinandi huius filiae, pacta matrimonialia cum Franciſco Gonzaga Duce Mantuae, ceterarumque eiusdem filiarum, Annae cum Alberto V. duce Bavariae, Mariae cum Wilhelmo Duce Iuliae Cliviae Montium, ſunt in LXIX. LXX. LXXI. LXXII. LXXIII.

Septuageſimum quartum, pacta inter Maximilianum II. Archiducem Auſtriae ac Regem Romanum, et Mariam, Caroli V. Imp. filiam, continet: quintum vero pacta, quae inter Sigiſmundum Auguſtum Regem Poloniarum, et Catharinam, Ferdinandi I. filiam, interceſſerunt.

Septuageſimum ſextum index eſt earum rerum ſatis pretioſarum, quae iſta Catharina ſecum in Poloniam attulerat.

Eliſabetha, Regina Franciae, Caroli IX. vidua, Maximilianique II. filia, monaſterium, quod Stae Clarae dicatum eſt, Vindobonae exſtruxit. Hoc narrat LXXVII.

Videtur Maria Chriſtierna, Caroli Graecenſis Archiducis filia, quae Sigiſmundo Bathorio, Tranſylvaniae duci, nupſerat, praecipua pietate in templis ſtruendis dotandisque uſa eſſe, ut LXXVIII. LXXIX. et LXXX. teſtantur.

Octogeſimo primo Gregorius XV. Papa vehementer laudat Margaritham, Maximiliani II. filiam, quod ſe veſtalem Mariae dedicaverit, eamque praecipue colat. Non quidem ſatis conſtare inter Theologos, an illa ſine peccato concepta ſit, neque adhuc Sp. S. hoc eccleſiae patefeciſſe. Videtur itaque tunc Spiritui Sancto minus conveniſſe cum vicario

Chriſti.

Chriſti. (Quid hoc ſit neſcio. Nos, non niſi Spir. S. praeeunte, aeternitatis volumen in chriſtianae ſapientiae cathedra legere debemus. Haec vero ita ſcripta ſunt, ut ſuſpicio ſit, Spir. S. ſuae beatitati latinitatem bonam et ſenſum communem non magis pateteciſſe, quam immaculatam conceptionem Mariae. Priſciano certe multum iuris in haec verba eſt.) Non tamen recedendum eſſe a priorum Pontificum ſententiis, ait; quae eorum ſententiae fuerint non dicit, fortaſſe ipſe ignorabat; de quibus ſi conſtat, ſi immaculatam quam aiunt conceptionem defenderunt, ſatis de hac patefecit Spir. S. qui ex ſententia Pontificiorum ſemper cum cathedra Petri coniunctus eſt. Scilicet. Nae valde ridiculus ſanctiſſimus iſte pater eſt.

Urbanus VIII. ad eandem eadem haec, quod ultimum libri eſt. Se eam vehementer amare, quod voluptates et gloriam mundi in ſolitudine contemnat. Benedictionem papalem, et munuſculum neſcio quod, (fortaſſe aliquid de pueris Bethlehemiticis, aut aliud tale clenodium,) cui tamen pretium faciat caeleſtis indulgentiae theſaurus, quo illud locupletaverit. Commendat eius precibus legationem papalem, et praecipue concordiam chriſtianam. Urbanus ſane Papa ille ſemper, praecipue in foeminas, fuit.

ELEMENTA PHYSIOLOGIAE CORPORIS HUMANI, Auctore ALBERTO de HALLER, Praeſide Societatis Reg. Scientiarum Goetting. rel. TOMUS SECUNDUS. Sanguis. Eius motus.

Lauſannae, ſumptibus Sigiſmundi d' Arnay, 1760.
Alph. 2. plagg. 16. in 4.

Tomi primi ſummam non ſine laudis praefamine percenſuimus. Iam etiam hoc Tomo ſecundo contenta, quam breviter poterimus, enarrabimus. In praefatione Vir Illuſtris reſpondet ad ea, quae Illuſtris *Albinus Hallero*, diſcipulo ſuo, oppoſuerat Libro quarto Annotationum. In ipſius operis Sectione prima copiam ſanguinis corpore humano

humano contenti hactenus non accurate definitam eſſe, neque prorſus certo definiri poſſe, neque ſanguinem arterioſum a venoſo differre, docetur; recenſenturque opiniones eorum, qui differre ſcripſerant. Poſtea cruorem, tum extra vaſa miſſum, tum in iis ipſis facile coire, atque ea ipſa coagula nomine polyporum venire, polypos ipſos in dubium vocari non poſſe, oſtenditur. Sectione ſecunda de elementis ſanguinis diſſeritur, colorque eius prolixe ſimul et accurate definitur. Ubi quidem Ill. Auctor obſervat, verum haud eſſe, quod a nonnullis dictum fuit, homines nimirum in aere, cuius calor calorem ſanguinis ſuperet, vivere non poſſe: nunquam enim ſanguinis calorem, ad normam thermometri Fahrenheitiani examinatum, excedere gradum 113 mum huius thermometri; cum tamen aer nonnunquam ita incaleſcat, ut idem hoc inſtrumentum gradum caloris 126tum indicet. Idemque magis etiam patere ex gradu caloris piſcium animaliumque, quibus ſanguis frigidus attribui ſolet. Poſteaquam de ſanguinis halitu, de pondere partis rubrae ſeu cruoris, deque huius proclivitate ad coeundum, varia diſputavit: id demum agit A. ut globulos illos, quos nonnulli clari viri in dubium vocarunt, ſanguini vindicet. Videntur omnino rotundi, non oblongi, in medio opaci, igitur ſolidae ac verae ſphaerulae eſſe; quarum tamen color, pro animalium conditione et habitu, variat, ſic ut modo rubrae, modo purpureae, modo luteae appareant, etiamſi ſingulae oculis ſubiiciantur. In alios minores globulos diſſiluiſſe non vidit Auctor; neque ſatis certus eſt, poſſint ne, an minus, in vaſculis minimis figuram aliam induere. Fibras, quas in ſanguine viventis animalis reperiri aliqui putant, prorſus improbat; negat etiam, ſalina ſanguinis ſpicula oculis percipi poſſe. Deinde mutationes ſanguinis a variis ſalibus inductae percenſentur. Salia alcalina fixa, non vero volatilia, rubicundum colorem cruori conciliant. Tum ſanguinem a motu muſculorum et febrili aeſtu agitatum, putredinem concipere aſſeritur; ſimul tamen ſatis conſpicuum acorem eidem ineſſe probatur. Sanguinis reſolutionem igne perficien-

ciendam non uſquequaque probat quidem, nihilo minus tamen aliorum experimenta enarrat, atque inter ſe confert, et inprimis ferreas particulas ſanguini non exigua copia inesſe docet. His de elementis cruoris dilucide et prolixe diſputatis, in Sectione tertia ſerum, quod ſanguinis altera pars eſt, examini ſubiicitur. In quo quidem Auctor partem gelatinoſam, igne, liquoribus acidis, et vini ſpiritu coagulabilem, diſcernit a parte mucilaginoſa, enumeratque experimenta de utraque parte a doctis viris capta. Sect. quarta in temperamentorum originem et fontes inquirit, eademque primo a globulorum rubicundorum abundantia, a particularum ad urinoſam naturam tendentium ubertate, a nimia aquae copia, derivat. Non poteſt tamen non fateri, veram ac genuinam temperamentorum differentiam inde primitus deducendam eſſe, quod ſolidae corporis partes aliter aliterque conſtitutae ſint. Verſus finem huius libri quinti tandem ſingularem utilitatem cuiusque elementi ſanguinis proponit. Libro ſexto arteriarum et venarum officia proponuntur. Igitur Sectione prima diſſeritur de ſanguinis motu, qui axin arteriae ſequitur: hic ſermo primum eſt de ſinu aortae maximo, eiusdem vaſis arcu, ramisque principibus. Poſt haec praemiſſa, agitur de acceleratione et retardatione iſtius motus. Et quia de utraque Iatro-mathematici potiſſimum expoſuerunt, rationes ab iis ſubductae expenduntur. Ex numero cauſarum, retardationem motus progreſſivi praeſtantium, expungitur pondus incumbentis atmoſphaerae, itemque pondus partium humani corporis arteriis incumbentium, nec non vis contractilis arteriae ipſius. Verae cauſae retardationis, in motu ſanguinis progreſſivo ſubnaſcentis, dicuntur mutatio figurae arteriarum; dilatatio tubi arterioſi; frictionis vis, tum a vaſis longitudine, tum ab anguſtiis tuborum profecta; arteriarum plicae et anguli; reſiſtentia, quam ſanguis in ramis experitur ab anaſtomoſibus, et ſanguinis viſcore. At quanquam ſanguinis per arterias motum retardari A. non negat; non tamen audet eam ipſam retardationem definire. Dicit enim, minime negligendas

eſſe

eſſe cauſas eas, quae ipſam rurſus minuant retardationem; easque etiam expendit, ita quidem, ut pondus ſanguinis, nervorum vim in ſano et quieto homine, nervorumque laqueos a ſe olim laudatos, nihil eo conferre putet, eamque provinciam relinquat arteriarum contractioni, et derivationis vi, quam nuper luculentioribus experimentis evicit et demonſtravit, denique et motui muſculorum. Sectionem hanc ita finit, ut phaenomena motus progreſſivi turbati et languentis in animalibus aegrotantibus et morituris, cauſasque motus a morte ſuperſtitis, enumeret. Quae quidem cauſae dicuntur ponderis vis, frigoris externi facultas contrahens, vis attractionis, poteſtas aeris evoluti. Sect. ſecunda exponitur de preſſione laterali et pulſu, cuius explicatio his fere abſolvitur: Arteriae ſemper plenae ſunt, ſanguis ab unda inſequente velociusque progrediente impellitur, igitur arteria in longitudinem exporrigitur, arteriarum membranae denſantur, arteriae ipſae dilatantur; et haec ipſa dilatatio menſuram preſſionis lateralis exhibet. His ita plenius expoſitis, de antiquitate pulſus, de ſede pulſus arterioſi, huiusque frequentia et celeritate, raritate et tarditate, robore vario, omniumque horum cauſis, diſputatur. Pulſuum numerum definit ex experimentis, cum ſuis, tum *Iohannis Floyeri*. Cauſae variantis huius numeri repetuntur a diverſitate aetatum, ſexus, temperamentorum, a ſomno, a vigilia, a paſtu, a motu, a caeli varietate, a morbis denique. Sect. tertia recenſentur effectus ſanguinis per arterias propulſi, qui quidem ſunt primo frictio, tum ea, quae fit a ſanguine parietes vaſis ſtringente; tum altera, quae inter ipſas ſanguinis particulas exercetur. Deinde minimorum vaſculorum anguſtia increſcens, retium multitudo, motum ſanguinis retardant. Porro in vaſculis minimis, unius tantummodo globuli capacibus, atque cylindricis, naſcitur ipſorum globulorum menſura. Retardationis effectus autem eſt auctus niſus attrahendi; unde ſanguinearum particularum concretio, etc. A cauſis illis omnibus ſanguis mutatur. Et a motu quidem generatim intellecto, fluiditas ſanguini conciliatur, itemque

 calor.

calor. Quo quidem loco aliae caloris cauſae, verbi gratia ignis innatus, fervor, putredo, valere iubentur. Praeterea ſanguinis motus impedit putredinem; quamvis certa quaedam ad acrimoniam et urinoſam indolem proclivitas in humoribus animalibus negari non poſſit. Et globuli a motu ſanguinis efformantur. Quae ad ruborem pertinet opinionum varietas recenſetur, oſtenditurque, eum neque a figura globoſa, neque a denſitate, neque a pulmonis actione, multo minus a nitro aereo, aut a variis aliis chemicis, ſed a ferri copia, in ſolis fere globulis rubris reperti, effici. Tandem denſitas quoque a motu naſcitur. Quae quidem eſt duplex: alia totius maſſae, alia globulorum. Illa continetur globulorum numero maiori. Haec ab actione viſcerum caeterarumque ſolidarum partium, minimas moleculas ad propiorem arctioremque contactum cogente, proficiſcitur. Additur, ſanguinem venoſum arterioſo eſſe craſſiorem, quia ab hoc multa decedant, quae deſideres in venarum principiis. Quo pertinent adeps, lympha, vapor exhalabilis varius, ſaliva, urina, ſudor, ſevum, ſuccus nerveus, aliaque plura. Sect. quarta ſermo eſt de motu ſanguinis per venas reducis. De hoc pauciora hactenus tradiderunt Phyſiologiae doctores. Tanto igitur diligentius Illuſtris *Hallerus* eam partem phyſiologiae excoluit. Reperit autem, motum eum in minimis venulis tardiſſimum minimumque eſſe, velociorem vero maioremque evadere in venis maioribus. Cuius quidem accelerationis cauſas Celeberrimus Auctor invenit in figura conica venarum, cum nempe trunculus venae maioris ſemper minor ſit, quam rami ſimul ſumti. Deinde in muſculorum actione, in vi derivationis. Has cauſas ſequuntur eae, quae motum ſanguinis venoſi ita mutant, ut eum partim adiuvent, partim morentur. Quo refert Cel. Auctor reſpirationem, pulſumque venoſum, qui a reſpiratione fit, bene explicat; itemque venae cavae contractionem, et refluxum inde exiſtentem; porro anaſtomoſium effectus luculenter demonſtrat. Sed ſunt etiam aliae quaedam cauſae, quae ſanguinem venoſum retardent. In quibus

bus frictio primum locum tenet; ſecundo loco eſt ſanguinis pondus. Celeritatis, qua ſanguis per venas redit, menſuram aeſtimantem, ſe reperiſſe A. dicit, in ſodalibus arteriarum venis ſanguinem in ea fere ratione lentius fluere, quae inverſa eſt luminum, paulo minor nempe quam ſubdupla. Liber ſeptimus complectitur doctrinam de ſecretionibus, difficilem illam, multisque modis impeditam. Ac ſectione prima quidem humorum genera enumerantur, cum alii ſint humores aquei, alii mucoſi, alii gelatinoſi, alii oleoſi, alii miſcellanei, quos omnes iam in ipſa ſanguinis maſſa ſatis perfectos contineri Cel. Auctor exiſtimat. Sect. ſecunda organorum ſecretionis, ſive colorum fabrica, deſcribitur, eorumque varia genera diſtinguuntur, ſic ut aquoſus humor per vaſcula arteriis continuata, per glandulas ſecerni dicatur. Quo loco fabrica glandularum, et quaecunque ad eas pertinent, latius accuratiusque explicantur, et nobilis illa quaeſtio, num glandulae compoſitae ex ſimplicibus conſtent, ita proponitur, ut Illuſtris Auctor fere *Ruyſchii* ſententiae ſubſcribat. Sequitur de muci colis, quae ſunt vaſa exhalantia, glandula ſimplex, glandula membranacea, glandulae ex ſimplicibus compoſitae, ſinus mucoſi. Humorum vero gelatinoſorum organa ſecretoria ſunt vaſcula exhalantia, glandulae conglomeratae, quae ſigillatim enumerantur, porro glandulae minores. Viae autem, quibus humores oleoſi de ſanguine ſeparantur, ſunt partim glanduloſae, partim arterioſae. Nam lac mammarum ſeparatur partim in glandula conglomerata, partim in celluloſa tela; bilis in viſcere paratur, cuius acini ex vaſculis componuntur. Atque haec quidem Sectio, maximam partem anatomica complectens, excipitur a Sectione tertia, quae inveſtigationes habet cauſarum, quae faciunt ut in definitae fabricae organo ſuus conſtanter humor de ſanguine ſeparetur. Hanc difficilem quaeſtionem Cel. Auctor ita explicat. Fieri poteſt, ut ſanguis is, qui ad organon ſecretorium quoddam defertur, partes eas, quae humorem ſecernendum conſtituunt, maiori copia contineat; ut ſanguis ipſe modo velocius, modo tardius eo compellatur; ut arte-

 riola-

riolarum in organo habitus varius ſit; ut orificia finium arterioſorum diverſa ſint; ut diameter vaſculi recipientis diverſus ſit: quo loco ad obiectiones, tum alias, tum inprimis *Martinii*, reſpondetur. Porro fieri poteſt, ut oſtiolorum ſecretoriorum denſitates diverſae ſint; ut irritabilis vis ductuum excretoriorum maior ſit minorque; ut ductus excretorius naſcens, aut rectus, aut curvus, longior breviorque ſit. Effectus ab his diverſis cauſis dati augentur a receptaculis et folliculis, qui retinent humorem ſecretum; in iis enim retentus humor ſpiſſatur, pars tenuior humoris reſorbetur, humores in folliculis depurantur, commiſtio diverſorum humorum fit, acrimonia naſcitur. Alia folliculorum utilitas eſt, ut humores ſuis aptisque temporibus effundantur, et folliculus evacuetur. Cui officio famulatur muſculoſa fabrica vel ſenſibus patens, vel ab iis remotior. Fieri tandem etiam poteſt, ut cauſis diverſis illis, de quibus hactenus, aliquando plures conveniant. Quod exemplo bilis, humoris aquei in oculo, et urinae, illuſtratur. Iisque omnibus ſubiunctum eſt examen opinionum, a celeberrimis aliis phyſiologiae doctoribus propoſitarum.

OBERTI GIFANII, IURECONSULTI CELEBERRImi, Obſervationes ſingulares, maiorem partem emendandis Auctoribus cenſentur. Augebat, reique criticae item ſubinde ſpecimina dabat, ENOCUS CHRISTIANUS AUG. OTHO, A. M. Molitropio Nariſcus.

Altenburgi, ſumtum fecit, machinis transſcripſit, Paullus Emanuel Richter, A. C. N. 1762. 36 plag. in 8.

Habes indicem libelli iam ſatis noti, ſed nunc inſigniter aucti, et nova plane veſte induti. Quis eſt enim qui ignoret Gifanium, et quantum huic bonae literae debeant; qui in unum, quem in Lucretium confecit, indicem, tantam eruditionem congeſſit, ut Scioppius, ingratus ſaepe alias, profitea-

fiteatur, ſe ex hoc uno indice omnem ſuam hauſiſſe latinae linguae cognitionem. Hunc vero egregium plane libellum, non ubivis obvium, iam Cl. Otho denuo in lucem produxit, multisque elegantibus et exquiſitis obſervationibus auxit. Multa inſimul in auctoribus claſſicis loca feliciter, partim ex MSS. Codd. partim ex ingenio reſtituit. Nos itaque, quos inter et Cl. auctorem ſtudiorum non ſolum coniunctio eſt, ſed et vera atque ingenua amicitia, luſtrabimus libelli additamenta: de ipſo Giſanii enim labore, non eſt quod multis dicamus, quem nemo, harum literarum non plane expers, ignorare poteſt. Othonis itaque, quae ſunt, opes tantum ſpectabimus, et nunc quaedam monere, nunc alia laudare, quae nobis recta videntur, animus eſt. Sed antequam ipſum opus aggredimur, monendus eſt Lector, Othoni V. Cl. non animum fuiſſe addere Giſanio plane nulli eruditorum adhuc obſervata: ſed, cum tironibus etiam huius libelli uſum eſſe voluerit, ea quoque adieciſſe, quae eruditos inter iam nota, aliisque iam notata ſunt. Ad quod genus prima ſtatim, quae ipſum auctorem agnoſcit, ſane pertinet obſervatio. Pag. 1. indicem habet: *A vel Ab cum caſu ſuo, pro patrio caſu ponitur.* Exponit hanc Latinorum dicendi rationem iam *Burmannus ad Petronium cap. 38.* vel ſi cui Burmannus non ſufficiat, quod omnia, quae congeſſit loca, per adiectiva explicari poſſunt, is adeat ſummum *Ioh. Fr. Gronovium, ad Liv. lib. 27. cap. 5. §. 6.* ubi plura, et plane ad rem quae faciunt, inveniet. Quae ſequitur Othonis obſervatio omnino nova, nobis ſaltem, videtur. *Ab* ſcil. pro *ante* dici. Provocat ad Nepotis Hannib. c. 12. ubi eſt *puer ab ianua proſpiciens,* quod interpretatur, *puer ante ianuam proſpiciens:* quod tamen latine ne quidem dici poteſt in hoc ſenſu; *proſpicere* enim *ante ianuam* eſſet, *antequam inimus aedes, proſpicere.* Sed nihilominus videtur commoda huius loci haec eſſe interpretatio; et de qua vix dubitare poſſis, cum ſequantur verba: *imperavit ei, ut omnes fores aedificii circumiret, ac propere ſibi renunciaret, num eodem modo undique obſideretur.* Alter, quem ad demonſtrandum hunc addit ſignificatum, Plauti

eſt

Digitized by Google

eſt locus: *Nam hinc ab oſtio iacentem ſuſtuli.* Nobis tamen haec duo loca nondum perſuadent, τὸ *ab* ſignificatum τȣ *ante* ſic ſatis vindicatum eſſe. Quid enim ſi dicamus, Nepotem interpretandum eſſe: *ab ianua proſpiciens*, i. e. *deſuper a ianua proſpiciens. Proſpicere* enim eſt ex alto videre, ut iam docuit Cl. *Schefferus ad Phaedr. I, 17.* Et ſic Virgilius Aen. 6, 356.

Proſpexi Italiam ſumma ſublimis ab unda.

idem Aen. 4, 410.

— — *cum littora fervere late*
Proſpiceres ex arce ſumma.

Claudianus in Conſulat. Prob. et Olyb. v. 330.

Hic ſtetit et ſubitum proſpexit ab aggere votum

Idem Prolog. in Lib. 2. in Eutrop. v. 65.

Proſpectant Paphiae celſa de rupe puellae.

Ovidius Metam. 8, 237.

— — *proſpexit ab ilice perdix.*

Vide, ſi vis, Burmannum ad Ovid. Heroid. 5, 63. et Drakenborchium ad Livium lib. 22. c. 6. §. 8. ubi plura loca habes collecta. Apud Nepotem igitur erit *ab ianua proſpiciens*, vel e feneſtra, quae erat ſuper ianua, proſpicere, vel ex alio ſuperiore loco domus. Quae ſequuntur autem verba: *ut omnes fores aedificii circumiret*, intelligenda putamus de circuitu intra domum, non extra eam: cum enim domus ab hoſtibus obſeſſa eſt, tunc non tutum eſt fores aperire, et exire. In Plauti autem loco, *ab oſtio iacentem* ſine dubio eſt *ad oſtium iacentem:* et ſic praepoſitio *ab* ſaepe occurrit. Ita Lucan. 8, 204.

— — *primusque ab littore Lesbi*
Occurrit Natus.

ubi ab littore, eſt occurrit ad littus.

Idem lib. 7, 692.

— — *Pharioque a gurgite clades;*

ad quem locum vide Burmannum.

Ovid. Metam. 15, 829.

Quid

Digitized by Google

Quid tibi barbariem, gentes ab utroque iacentes
Oceano numerem? — —

quare Cel. Burmannus bene fecit, qui

— — *ab aris alius accendit faces*

apud Petron. cap. 89. v. 64. edidit, cum plurimi Codd. MSS. aut integram hanc lectionem exhibeant, aut ſaltem corruptam. Pag. 3. *ab ſe* pro *ſponte ſua* itidem tironum cauſa additum eſt, cum iam Taubmannus ſic interpretetur ad locum Plauti noſtro laudatum. Eadem Pag. diſtinguit *abdomen inter et ſumen,* quorum illud in ventre marium quadrupedium, hoc in feminis ſibi inveniſſe videtur. de quo obſervationum genere, auctoriſque conſilio, in univerſum notandum duximus, quod ille in praefatione non omnino ſilentio praeterire debebat; ſe nimirum ad hunc libellum ſuppleſſe, quae in Auſonii Popmae de differentiis vocum opere deeſſe videbantur; quae admonitus Lector, excuſabit noſtrum, multa ſatis nota obſervantem. Sed valde difficile eſt, et multa obſervatio longaque cura requiritur, ad differentias has vocum rite conſtituendas, ne, quae tibi ex uno alterove loco collegiſſe videris, ſtatim pro lege accipias. Si quis enim Popmae libros cum cura excutere velit, magnam earum differentiarum partem deſtrui poſſe, et loca in contrarium adferri intelliget: Abdomen autem et ſumen an ſic differant, ſaltem ex Plinio intelligi poſſe, nobis non videtur. Pag. 7. *abſque te abſque illo eſſet:* quae ad hanc dicendi rationem adnotat auctor, bono animo omittere poterat, iam obſervata Schwartzio, vel ut ipſe mavult Suartio, ad Horatium Turſellinum, quo libello nemo tironum facile careat. Pag. 9. *accerſere* et *arceſſere,* ex autoris ſententia, differunt: quod an recte ſe habeat, ipſe viderit; nam doctis ſaltem ut placet, *accerſere* eſt vox a librariis conficta. vid. Graev. ad Sueton. Tiber. c. 53. et ad Caligul. c. 35. Cortius ad Salluſt. Catil. c. 40. et quos ibi laudat, Drakenborch. ad Livium 2, 19. *Arceſſere* autem idem ſignificare quod vetare, ut noſter vult, nemo unus eruditorum huc uſque propugnavit. Pag. 10. *accidit* ſaepe in *accedit* a librariis mutatum, iam, ut noſter

 rite

rite monet, obſervatum eſt Giſanio in Coniectan. ad Lucret. et poſt eum Bulaeo ad Valer. Flacc. 4, 580. item Heinſio, Burmanno, aliisque. Ead. Pag. *accipere* et *recipere beneficia*: conſtituit Cl. Otho inter has loquendi formas differentiam aliquam, quam tamen non firmo talo niti mox probatum dabimus. Obſervandum autem eſt, primum *recipere* ſaepe eſſe idem, quod *accipere*, apud bonos auctores, ut docet Drakenborch. ad Livium 23, 44, 3. et ad 39, 23, 11. iam etiam ſimiles dicendi formulas dabimus, in quibus recipere ponitur pro accipere: ſic apud Caeſ. de B. Civ. 3, 9, 8. multi Codd. MSS. et Edd. et perantiquus optimae notae codex MS. ad quem nos exemplum Caeſaris collatum poſſidemus, habent, *detrimentis receptis*, quod Scaliger, et reliqui eum ſecuti editores, mutarunt in *acceptis*; apud Suetonium Ner. 50. *honorem recipere* eſt accipere honorem. Idem in Caligula 42. *collationes in alimoniam atque dotem puellae recepit*. *Edixit et, ſtrenas ineunte anno ſe recepturum*: ubi bis *recipere* invenis pro *accipere* poſitum. Et ſic ſatis probatum dedimus, nullam eſſe inter *accipere* et *recipere beneficium* differentiam, quae alias et in his dicendi modis obſervari debuiſſet, quos attulimus. Pag. 12. diſtinguit auctor inter *ad ſummam* et *ad ſummum*, quae eius differentia tam firma nititur lege, ut nos dubitemus, an aliquis vel tiro in his literis contra hanc legem unquam peccarit; igitur non tanti erat, ut inter alias frugi obſervationes ſibi locum vindicaret. Aliam Pag. 14. profert differentiam inter *adducere* et *adferre*, quorum illud de hominibus aut animalibus, quae ipſa incedant, hoc autem de rebus inanimatis, vel perſonis quae non ipſae eunt, antiquis dictum putat. Locus Plauti ipſi laudatus omnino quidem hanc obſervationem confirmare videtur: ſunt enim Plauti verba: *attuli hunc* Pſ. *Quid? attuliſti?* La. *adduxi volui dicere*. Sed quis non videt, h. l. Plautum ludere in verbis, quod antiquis Comicis ſat frequens; ſed talia loca nihil faciunt ad leges latinae linguae inde conſtituendas. Sunt certe in promtu loca bonorum auctorum, quae aliud docent. Sic Liv. 44, 26, 10. *ecquid aurum, quod in ſingulos pedites equitesque divi-*

Digitized by Google

dividendum eſſet, ſecum adduxiſſet? ubi I. Fr. Gronovius contra Codd. emendare vult *advexiſſet*, quam eius emendationem iam reiecit Douiatius. Aurel. Victor de Viris illuſtr. c. 46. *ſimulacrum Matris Deum adduxit.* *Adferre* contra de perſonis quae ipſae eunt, eſt apud Virgil. Aen. 3, 345. ſequ.

— — quum ſeſe a moenibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus adfert.

et Aen. 8, 477.

— — fatis huc te poſcentibus adfers.

Aurelius Victor Epit. 45. Valentinianus, ait, — e propinquo ubi cum matre fuerat, allatus, creatus eſt Imperator. Et ſignificare has voces plane idem, clarum eſt ex Senecae epiſt. 58, cum dicit: Plato ipſe ad ſenectutem ſe diligentia pertulit; et mox: diligens ſui tutela perduxit illum ad ſenectutem. Vbi vides, haec verba permutari invicem. Servius tamen ad Virgil. Aen. 9, 626. videtur eadem ſentire, quae Noſter. Sequitur alia differentia, inter *adeſt* et *praeſens eſt*; quorum hoc plus ſignificare vult, quam illud: *adeſt* enim ei quis, cum prope eſt, *praeſens* ubi cum aliquo verſatur. Locus e Cicerone de Offic. 1, 4: *bellua ad id ſolum quod adeſt, quodque praeſens eſt, ſe accommodat*, minime probat, quod inde colligere Ed. vult. Sed ante explicabimus quid ſit proprie *adeſſe*. Burmannus ad Valer. Flaccum lib. 1, v. 100. adnotat: *hoc verbo utuntur de illis, qui ſubito adveniunt;* ubi vide loca plura congeſta. Ex quibus, quid praeſens ſit, confeſtim intelliges. Sed habet τὸ *praeſens* ſaepe alios quoque ſignificatus. Sic enim eſt *certum, magnum, manifeſtum, conſpicuum,* ut docet Erneſtus in Clave Cic. ſaepe quoque eſt *praeſtans, adiuvans;* vid. Cortius ad Salluſt. Catil. 51, 19. Drakenb. ad Liv. 1, 12, 6. Praeſentes autem dii ſunt propitii, faventes: vid. Drakenb. ad Liv. 10, 40, 14. Duker. ad Flor. 4, 7, 9. Et ita quoque interpretandus videtur locus Ovidii Heroïd. 20, 19.

Adfuit et praeſens, ut erant tua verba notavit:

i. e. dea ex inopinato aderat, audiebat tua vota, et quia praeſentem ſe exhibebat, notabat tua verba: *praeſentem* au-

tem h. l. non ſignificare propitiam, ut aliis in locis, quod ſupra admonuimus, patet ex ſequenti verſu 211.

Quod quia ſit lectum ſancta praeſente Diana.

His praenotatis, locum Ciceronis ſupra laudatum quivis intelliget: Bellua accommodat ſe ad id ſolum, quod ipſi forte obvenit, et quod conſpicuum eſt et manifeſtum. Igitur differentia, ab Othone V. Cl. prolata, hinc nullum praeſidium accipit. Pag. 16. alia eſt differentia, quae nobis itidem diſplicet: *adficere* eſt (inquit V. Cl.) paene ad finem perducere; *efficere* eſt finem faciendo conſequi; *perficere* ab initio uſque ad finem facere. Deſideramus in hoc loco, quod ſaepe deſiderandum eſt in noſtro, eum ſaepe non attuliſſe loca ex auctoribus, quibus ſua niteretur ſententia. Iam nos docebimus veram vim harum vocum. *Adficere* non eſt rem ad finem paene perducere, ut ille vult, ſed *inchoare*. Sic Cicero de Prov. Conſul. 8. bellum adfectum videmus, et vere ut dicam paene confectum: hic adfectum Ciceroni aliud quid ſignificat, quam paene confectum. Ibid. c. 12. Nam ipſe Caeſar, quid eſt cur in provincia commorari velit, niſi ut ea, quae per eam adfecta ſunt, perfecta reipublicae tradantur? *Efficere* autem eſt ſimpliciter facere: ut Lucan. 1, 140.

— — *trunco non frondibus efficit umbram.*

et Sueton. Aug. c. 16. portum Iulium effecit. *Perficere* denique eſt opus inchoatum ad finem perducere. Ita Ovid. Nuc. 182.

— — *ſic coeptum perficiatis iter*

Faſtor. 4, 16.

— — *et coeptum perfice dixit opus*

Item Livius 45, 39. Ad hoc fecimus conſulem, ut bellum, per quadriennium ingenti etiam pudore noſtro tractum, perficeret. vid. I. Fr. Gronovius ad Liv. 22, 38, 7. plura loca exhibentem. Pag. 16. *adiicere* et *iacere telum:* quid ſit adiicere telum, explicavit iam Cel. Lamb. Bos in Animadv. ad Caeſ. c. 3. p. 15. ex quo Oudendorp. ad Caeſ. p. n. 113. Pag. 17. quod ſtatuit Editor inter *adire* et *viſere* diſcrimen, omnino

nino nihili habendum ducimus. Ita enim Ovid. 1. Triſt. 8, 12.

Adſtrictumne fuit tantus adire pudor?

et mox v. 18.

Quid fuit ingenti proſtratum mole ſodalem
Viſere — —

Sed ſi qua debet eſſe, quae tamen non ubique obſervatur, harum vocum differentia, *adire* dicimur eos, qui ſupra nos, e. g. deos, uti docet Heinſius ad Ovid. ubi plura loca collecta invenies; et de regibus ſaepe legimus, eos aditu faciles vel difficiles fuiſſe, omnibus vel paucis ipſos adire licuiſſe; atque in his dicendi formis *adire* indicat ſemper inſimul aliquam reverentiam in eos, quos adimus. quod obſervantibus facile erit explicare, cur Ovidius, qui ſaepiſſime dicit adire deos; ut lib. 3. Artis 389. et 393. viſere ſacrata Palatia Phaebo; et viſere aras; quia ſcil. vult puellas haec loca ſacra non adire debere reverentiam in deos teſtandi cauſſa, ſed propter amores ibi inveniendos. *Viſere* autem de aegrotis ſaepiſſime dicitur, quos adimus: quam plurima, ubi viſere ſic legitur, loca protulit Heinſius ad Ovid. 2. Amor. 2, 21. Igitur diſcrimen Cl. Othonis ex parte ſaltem mutandum eſt: nunquam enim adimus deos, eorum animos percontandi cauſſa, ergo eius ſententia his verbis potius debuiſſet efferri: *adimus* aliquem, cum reverentia, qui ſupra nos; *viſimus* aegrotos vel amicos. quanquam et ne hoc quidem in univerſum valet, quia loca in contrarium invenies, et ut iam monuimus, non bene factum nobis videtur, latinae linguae tam arctos conſtituere limites. Huc uſque nullam omiſimus earum, quas Cl. Otho addidit Giſanio, obſervationum, ut iudicare poſſis Lector b. quantum pretium eius labori conſtituendum ſit; iam nonniſi monebimus quaedam, ut ſe offerent. Pag. 22. *aegritudo*, *metus*, *moleſtia*, differunt: laudare debuiſſet ad hunc locum Vir Cl. Ciceronem, ex quo haec omnia ſunt: *aegritudinem* deſcribit ille Tuſcul. Quaeſt. 3, 25. iisdem verbis ac noſter; *metum* Tuſc. Qu. 4, 30. *moleſtiam* denique ib. 4, 8.

Ead. Pag. *aequus, bonus:* apud Salluſt. in partes doct. Cortii abimus, et legimus ius bonumque, et cum noſtris interpretamur *Recht und Billigkeit*, quanquam copulam Codd. nonnulli omittant, quam et noſter deleri vult. Pag. 27. *Alius ſuper alium:* omnibus quoque notum eſt ex Horat. Turſell. p. 122, quare omittendum omnino fuerat. Quae ſequitur *alterum* inter et *ſecundum* differentia, non in univerſum valet; nam alter de pluribus dicitur nonnunquam: vid. Horat. Turſell. p. 134. Pag. 28. *amare* pro *orare* in tironum uſum monetur a Noſtro: nam reliquis iam notum eſt, ex omnibus Plauti commentatoribus. Pag. 29. *amicus* et *amator* quod differant, ſane non tanti erat ut Popmae adderetur. Pag. 52. *Campi* pro *arvis* recentiorum ſcriptorum eſſe V. Cl. putat; ſed fallitur. Ovid. Met. 7, 119.

— — *inſuetum ferro proſcindere campum*

idem Heroid. 12, 199.

— — *campo numeravimus illo*
Qui tibi laturo vellus arandus erat.

Quae loca docent, non Plinii demum aetatem dixiſſe: campi quos nonniſi fortiſſima aratra perfringunt. Sed quid? Noſter non meminit loci Varronis de Re Ruſt. 1, 29, 1. ubi dicitur: arvum, quod aratum, nec dum ſatum eſt. Pag. 56. perantiqua ſine dubio Ciceronis editione utitur Noſter, qui pro Rabir. c. 14. emendare vult Cataplus; quae lectio iam ante ſeculum recepta, quare non in cenſum venit haec emendatio. Pag. 60. Locus Senecae in Gronoviana legitur: Sic itaque habe, iſtam vim dicendi rapidam atque abundantem, aptiorem circulanti, quam agenti rem magnam ac feriam, docentique. Gronoviana itaque non habet *το ut*, nec *το iudices;* locus tamen apte cohaeret, igitur *τω* puto, quod noſter intrudere vult, non opus eſt. Pag. 64. locum Hygini noſter feliciter reſtituit, forte in antiquo ſcriptum fuit codice *immaturas*, per compendium ſcripturae antiquis uſitatum, unde librariorum oſcitantia fecit errori locum. Pag. 67. parum abeſt quin in emendando Flori loco Othonis in partes abeamus. Pag. 84. bene adnotat,

conſi-

confligere pro comparare dici, ſed laudare debuerat, qui haec iam docuit, Erneſtium, in Clave Cicer. Pag. 108. in loco Ciceronis Verrin. 3, 19. antiqua ſequimur, neque cum noſtro emendamus *populo ac coronae*, quanquam ſic nonnulli Codd. legant, ſed ex ignorantia et ſtupiditate librariorum; ignorantes enim iſti homines, quid ſit populo ad coronam ſedare, legebant pro ea, quam ſibi vindicabant, libertate, *populo ac coronae*. Sed ſic Cicero idem bis dicit, et ſecundum ſatis notum Criticorum canonem, plerumque ea praeferenda eſt lectio, quae ſenſum non tam facilem reddit. Pag. 115. *Curam* dici pro *carmine*, iam docuit Fabricius ad Ovid. ex Ponto 2, 4, 15. Sed plures eiuſmodi Obſervationum iam ſatis notarum videntur nobis prolatae a noſtro, ut occaſionem haberet varia emendandi auctorum loca, quod eius conſilium non omnino vituperandum ducimus. Pag. 132. *denique*, ait noſter, habet tunc quoque uſum, cum comprehendere velim omnia, quae ſingulatim expoſui antea: bene, ſed ſuperfluum, tironibus quippe iam notum ex Clave Ciceroniana, quo libro an tironum quis aequo animo carere queat, multi dubitant. Pag. 218. itidem emendationis gratia, qua noſter curat locum Terentii, eum obſervaſſe arbitramur *hominem* pro ſervo dici, quod eſt ſatis notum. vid. Burmann. ad Petron. p. n. 416. Drakenb. ad Liv. Tom. V. pag. 227. Obſervamus, Cl. auctorem ſuam emendationem ipſum mutaſſe in ſuo quod praemiſit Praeloquio, quod nobis etiam probatur. Pag. 241. miramur noſtrum nihil addidiſſe ad Giſan. Obſ. de *Inveſtimento*, qui locus Livii ſane eſt vexatiſſimus, et crux Criticorum. Felicibus, quas auctor habet, emendationibus adnumerandae ſunt, quae eſt ſub voce *maneo*, ſub *medito, os ſuum, Parricida;* ſed omnium, ut nobis videtur, feliciſſima, ſub indice *memoria*. Pag. 267. Manus dici pro opere manu facto, iam docuit Cerda ad Virgilium, Barthius ad Statium, Interpr. ad Petron. Pag. 309. *occulta poteſtas*, titulus emendationis in gratiam factus: interpungit ſcil. noſter in Panegyr. Plin. 1: *Principem tamen noſtrum liqueret divinitus conſtitutum; non enim occulta poteſtate*

fato-

fatorum, ſed ab Iove ipſo coram ac palam. repertus electusque eſt quippe inter aras etc. Suartius autem interpungit demum poſt *repertus eſt*. Et recte quidem. Si enim quisque doctorum hominum ſuo ſenſu velit interpungere, veremur ut multa clariſſima veterum loca, obſcurentur data opera. Eſt hoc Criticum agere, ubi profecto non eſt opus. Quod excogitat qui ingenio valet, non propterea verum eſt: neque certe hic locus medica critici manu indiget. Pag. 310. cum in loco Cicer. ep. 3, 10. optimi Codd. legant *iuvat*, hanc lectionem praeferendam arbitramur. Pag. 321. *Opimum* de veſtibus dici, nobis ſaltem non innotuit, id ſi docuiſſet noſter, omnino eum in emendando Nepote, Datam. c. 3. ſequeremur; nam *opimum* et *optimum* permutari a librariis docet Drakenborch. ad Livium. Pag. 326. ex *ornativa* apud Donat. ad Terent. Andr. 3, 2, 6. facit noſter *conceptiva*. vehemens medela. Pag. 397. in Suet. Caeſ. legere vult ex codice quodam *prorogaretur*, quam lectionem iam habent omnes paene MSS. et Edd. apud Burmannum; quare non erat pro nova venditanda haec emendatio. Pag. 406. emendatione noſtri non eget locus Chariſii Inſtit. Gramm. lib. 1. *Quando particulam pro quum poni Formianus et Fundanius et Varro* (ſcil. docent, quae vox a Grammaticis quam ſaepiſſime omittitur) *aliique multi faciunt etc.* Pag. 483. in loco Terent. Scauri de Orthographia, ubi noſter legit: *Qui transſcribunt tabulas, non deſcribunt, id eſt diſtribuunt:* quid ſignificet vox diſtribuunt, quam hic intrudit, non intelligimus. Pag. 490. Gellii emendatio et pag. 505. Plauti, noſtrum nonnunquam audacem eſſe criticum, docent. Iam multi eſſe deberemus in laudando V. Cl. ſed cum noſtra laus forte ſubleſtae fidei eſſe videri poſſit, nosque ipſi veremur, ne erudito lectori de libello tam parvae molis nimia iam dixiſſe putemur, ceſſamus.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Aprilis Anno MDCCLXI.

CICERONIS (VEL INCERTI AUCTORIS) RHETOricorum ad Herennium L. IV. et de Inventione L. II. cum notis integris Lambini, Urſini, I. Gruteri, Iac. Gronovii, et excerptis aliorum, Lect. Mſſ. et ineditis animadverſionibus IO. GEORGII GRAEVII, additis ſub finem Io. Mich. Bruti, et ineditis notis Fr. Oudendorpii, curante Petro Burmanno Secundo.

Lugd. Bat. 1761. apud Luchtmannos, Alph. 2. pl. 2. in 4.

Ecce aliud donum literarium, quo Cel. Burmannus Ciceronis amantes, et Graevianae inprimis eruditionis fautores, ſibi obſtrinxit. Nam cum felici quodam caſu incideꝛit in ſchedas Graevianas, quibus notae in Libros ad *Herennium*, et partem L. I. *de Inv.* continerentur abſolutae et ad prelum paratae, faciendum ſibi putavit, ut ceteris Graevianae editionis Tomis, protractum e tenebris et ſordibus veluti fratrem adiungeret. In quo dolituri profecto ſunt, cum eum parum integrum videbunt, ſive quod truncatus eſt, avulſis aliquo caſu quibusdam, ſive imperfectus a patre relictus, quod propius fidem eſt. Nam praefatio Graeviana ad ſolos libros ad Herennium pertinet, et fortaſſe tantum fragmentum eſt praefationis, initii forma arguente, et fine. Noſtrum eſt, breviter de Graevianis dicere, deinde de curis Burmannianis, quibus imperfectum opus abſolvere tentavit.

In libris his *Graevius* ſex Mſſ. in his Erfurtenſi, ſe uſum profitetur, et praeter ceteras, editione antiquiſſima a. 1478.

De criſi in textu conſtituendo nihil attinet dicere, cum ſatis nota ſit eius modeſtia, diligentia et elegantia. Delectum notarum alienarum fecit eodem, quo in aliis Tomis, modo. Textus formatus eſt, pariter ut in aliis partibus, maxime ad Victorianum exemplum a. 1571. Nam et hic ab eo interdum diſcedere conſultum duxit, Erfurtenſis inprimis Codicis ductu. Notas dedit, ut in aliis, non nimis multas, nec verboſas, aut lectionis copiam oſtentantes, neceſſitatem et utilitatem magis ſpectans, quam ambitionem parum opportunam emtoribus et lectoribus. Nec profecto in his libris multa eſt bonis notis materia, aut digna, in qua quis conſumat doctrinam, lectores haud facile habituram. Addere deſtinarat Manutianos Commentarios ex editione Aldina maiori, non ſuo, ſed librarii arbitrio obſequens, qui Manutianos Commentarios omnes deſiderabat. Etenim, ut bene monet, ſicut Comm. *Aldi* iun. in libros de Off. ex *H. Wolfii* et *Xyſti Betuleii* notis ſunt compilati, ſic hi toti ſunt *Mich. Toxitae*, ſed ita vitioſe et parum integre expreſſi, ut ſaepe ſenſus nullus appareat. Itaque Cel. *Burmannus*, cuius in hac re liberum erat arbitrium, eos plane removit, contentus aliquot ex iis notulas ſub *Toxitae* nomine addidiſſe. Notarum Graevianarum Specimina haec ſunto.

L. I. c. 3. Definitio *Exordii*, quae ſic edebatur: *per quod animus auditoris vel iudicis conſtituitur vel apparatur ad audiendum*, e Mſ. Duisb. ſic bene editur, ut *vel iudicis*, et *vel apparatur*, omittantur. In poſteriori gloſſema animadverterat per coniecturam *Guilielmius*. Firmat Mſ. Leid. ab *Oudendorpio* inſpectus. Non erat hic alienum, verbum *conſtituitur* illuſtrari, quod gloſſema peperit. Infra c. 4. dixit *idoneum reddere:* hoc eſt elegantius, *conſtituere*. Paullo poſt, pro: *quibus de rebus ſimus dicturi*, reponit *acturi*, e Mſſ. tribus, quod et *Guilielmio* in libris inventum placuerat. Non repugnamus. Sed rationem reddit non optime. *Agere de re aliqua*, inquit, ſive in foro, ſive in ſenatu, ſive in ſchola, eſt dicere, diſſerere de re aliqua. Nam in ſchola non *agimus*, aut cum diſſerimus de capite doctrinae; ſed in foro, aut ſenatu.

Digitized by Google

natu. Unde *Actiones* dicuntur tales orationes. Vulgo tamen, inſcitia latinitatis, ſic recentiores loquuntur, et *agunt* etiam de ſignificatione verbi, aut aliqua parte antiquitatis, et ſimilibus, a quibus agendi verbum eſt alienum. Immo ratio ſic reddenda erat: nam in orationibus civilibus, quarum praecepta ſunt in hoc libro, c. 2. init. *agere* eſt verbum proprium: quamquam et *dicere* uſurpatur, etiam in his libris, centies: nec res erat tanti. Cap. 5. ubi docet Auctor, quomodo benevolentia contrahi poſſit a noſtra perſona, commemorando officio noſtro, *Lambinus* ex aliquot Mſſ. ut ait, edidit: *aut in remp. quales fuerimus, aut in parentes, aut in amicos, aut in eos ipſos qui audiunt, vel omnes, vel aliquos, referemus:* idque ſecutus eſt *Gruterus*, quamquam nec ipſe, nec *Guilielmius*, ſic in libro ullo repererant. Itaque cum nec in ſuis invenerit *Graevius*, delevit addita a *Lambino*, et reſtituit: *aut in eos, qui audiunt, aliquid referemus:* quod totidem literis eſt etiam in Mſ. bibliothecae noſtrae Paulinae. Recte. Verba, *vel in omnes, vel aliquos*, interpretationem ſapiunt. Atque etiam *aliquid referemus* perincommodum eſt, meliusque abeſſet. — Libri hi, quia ſaepiſſime deſcripti ſunt, quod totius artis perſpicuam expoſitionem habent, ſaepius etiam ſunt interpolati, ut ſaepe, tum ſuperiores editores, tum *Graevius*, docuere. Ex quo genere eſt, quod bene docet c. 6. in verbis *collatione, abiectione, adiectione, literarum mutatione*, media *abi. adi.* eſſe eiicienda. Nam ſunt interpretationes mutationis literarum ſ. *παρονομασίας*, abſuntque a Mſ. bonis, vel ambae, vel ſingulae, in his a Mſ. Bibl. Paulinae. Cap. 9. in praeceptis dilucidae narrationis eſt: *ne quid contorte, ne quid ambigue, ne quid nove dicamus.* Toxita *contorte* de hyperbatis, *nove* de verbis novis interpretatur. *Graevius* autem, negans hic de verbis eſſe ſermonem, ſed de rebus, illud de confuſione, hoc de inuſitatis rebus, quae in talibus cauſis non accidant. Quo loco vellemus demonſtratum eſſet, quomodo ergo *contorte* differat a *perturbate*, idque ſic uſpiam dici; quod non eſt: deinde nove uſpiam aliter, quam de verbis dici, de quibus profecto et *ambigue* capiendum.

 Con-

Contorte profecto eſt obſcure, ſed ab affectatione alicuius exquiſiti artificii. Cap. 11. edi voluit *Graevius*, *noſter doctor Hermes*. Nam *Hermagoras* meram coniecturam *Lambini* eſſe, et *Hermeſtes* vel *Ermetes*, quod in libris multis eſt, non eſſe uſitatae formae nomen. Ceterum maluiſſet totum nomen deleri, cum ab Mſ. Erf. Mediceo et R. Steph. ed. abſit. Quae ſententia firmatur Mſſ. Leid. ſex, qui nominis huius nullum veſtigium habent. — II. 4. in verbis: *num, qui eſt paſſus, perſpectus aut exauditus eſſe poſſit*, ſuſpecta eſt Graevio latinitas in verbis *qui eſt paſſus*, pro infeſtatus, aut occiſus; quippe aliena a priſco Latio, et e Chriſtianorum libris petita. Itaque negat hanc eſſe veram lectionem, nec tamen ſe ſcire, quid ſit reponendum. Nobis quidem ea lectio defendi poſſe videtur intellectu verbi *vim*, vel *iniuriam*. II, 11. ubi vulgo editur *in praeſentiarum*, retinuit quidem hanc ſcripturam, quam in omnibus Mſ. ſuis reperit; ceterum *in praeſenti* ſcribendum non dubitat, quod habet ed. Mediol. antiquiſſima, non multum diſcedentibus qui exhibent *in praeſentia*, ut *Aſcenſ. Cratand. Iunt. Manut. Steph.* Plane autem damnat *in praeſentiarum*. Sed illa tota ſententia exhibetur ita: *In praeſ. hoc interdicere non alienum fuit, ut huius infantiae garrulam diſciplinam contemneremus*. Offendit lectores τὸ *interdicere*, pro *interponere*: (nam *interferere* non eſt e libris, quod edd. ante *Gruterum* multae habent.) *Graevio* placet lectio ed. *Cratandr*. *haec interim dicere non alienum fuit*: quam et in libro ſuo *Cauchius* reperiſſe videatur, cum in ed. *Cratandr*. margine nihil varietatis e libro ſuo notarit. *Ibid.* 12. ubi agitur de modo definiendi, exemplum ponitur huiusmodi: *Maieſtatem is minuit, qui ea tollit, ex quibus civitatis amplitudo conſtat. quae ſunt ea? quae capiunt ſuffragia populi, et magiſtratus conſilia.* In his ſpuria putat *ea? quae capiunt*. Fatendum eſt, locum non eſſe integrum. Sed *ea?* genuinum credimus. Nempe exempla praeceptorum ab auctore allata ſunt formata ita, ut eſſe poſſint in oratione. In oratione ipſa autem cum res agitur, languidum ſane foret: *quae ſunt ſuffragia* etc. nervoſius: *quae ſunt ea? ſuffragia populi* etc.

Digitized by Google

etc. Bene autem c. 16. in verbis: *ſatisne imprudentia praeſidii debeat eſſe, cum factum eſſe conſtet imprudenter*, delendum cenſet τὸ *inprudenter*, quod ex uno Mſ. venit. Nos etiam *praeſidio* ſcribendum cenſemus. Aliter eſſet, ſi ſic ſcriberetur, *ſatisne in inprudentia praeſidii debeat eſſe. Ibid.* 22. e Mſ. *Pithoei*, reſcripſit: *Utinam ne hera errans mea domo efferret pedem. Medea amore ſaucia. Ibid.* 25. in verbis: *iracundia inductus peccavit*, e Mſſ. Erf. et Cauchiano reponi iubet *deductus*, i. e. ablatus: quo ſenſu id verbum occurrit aliquoties apud Ciceronem, ut in Tuſc. II. *cum a Zenone didiciſſet fortiſſimus eſſe, a dolore deductus eſt. Ibid.* 26. in loco Poetae, pro verbis, *quae*, ſc. arma, *ego profiteor eſſe mea, me aequum eſt frui* etc. e Mſ. Erf. qui habet perbene: *quem ego me profiteor eſſe*, ſic conſtituit verſum: *quem ego profiteor eſſe me. Me, me aequum eſt frui. Ibid.* 30. ubi pro *ficta oratio* edi iuſſit *facta et dedita opera comparata oratio videbitur eſſe* etc. bene docet, *factam orationem* eſſe exquiſita arte elaboratam: quo ſenſu et in *Bruto* occurrit *c. 8.* idque vel ex unius auctoritate Mſ. Duisburgenſis praeferendum lectioni vulgatae *ficta*, quam contextus non fert. Etiam *c. 30.* pro *imperantem ſuperbiam*, receptam a *Grutero*, reſtituit *intemperantem ſuperbiam*, beneque intemperantiam refert ad ſtuprum, ſuperbiam ad ingenuitatem feminae, cui vis facta. III, 2. ubi de vi agitur, neſcimus, quare haeſerit in genere eo, quod vocat Auctor *evocationes hominum*, cum eae ſane pertineant ad ſeditiones, ut cum *ſervi evocantur* ad pileum, cum veteranos *evocabat* Antonius, i. e. ad ſe allicere et congregare tentabat, ut iis uti contra remp. poſſet. Sed haec ſufficient ad docendum, bene conſultum eſſe his libris, et corrigendo, et explicando, per notas Graevianas. Illud unum adhuc monendum de his, additas eſſe etiam a Cel. *Burmanno* Lectiones Mſ. Traiectini.

Sed eiusdem generis ſunt Graevianae notae in principium *L. I. de Inv.* Ceterum, quod *Graevius* perficere non potuit, id damnum editor Cl. reparare tentavit, primum addendis notis *Bruti*, ex ed. *Gryphiana*, deinde *Oudendorpii*, nuper

bonis literis erepti. De ipſo *Bruto* lectu digna ſunt, quae in praefatione, ex epiſtolis eius maxime, commemorat; in quibus ſunt quaedam praetermiſſa ab *Neocoro* et *Sikio*, in *Bibl. Nov. Libr. T. III.* p. 559. et *Baelio* in *Lexico:* qui de vita eius et ſcriptis tradidere. Quo loco (p. 41.) etiam defendit *Brutum*, maligne tractatum, ab *Gebhardo* maxime, notasque ipſas merito laudat, temere contemtas, et dignas, quae locum habeant inter Lambinianas et Gruterianas in editione Gronoviana et Graeviana. Nam in contextu conſtituendo tribus antiquis Mſſ. et antiquis edd. uſus eſt. Sed praeſtantiſſima acceſſio eſt in notis Oudendorpianis in libros ad *Herenn.* et *de Inventione* univerſos. Uſus eſt vir doctiſſimus in Libris *ad Her.* ſeptem Codd. ſcriptis Leidenſibus, ed. Mediol. a. 1474. et *Omniboni* a. 1476. in Libris autem *de Inv.* ſex Mſſ. et ed. *Omniboni.* In priori parte notarum ſaepe firmatur iudicium *Graevii:* in poſteriori notae etiam ipſae ſunt ſucci pleniores, quod in iis Graevianae deſiderantur. Ex quo genere non alienum erit, quaedam proferre. I, 23. ad verba: *narrat primum gnati vitam:* ait, ſaepe ſe miratum, cur viri docti, qui *natum* ſive *gnatum* ſubſtantive dictum a proſaicis aurei ſeculi ſcriptoribus, inprimis Cicerone, contendant, non uſi ſint hoc loco, qui certior ſit: cum cetera tria *Planc. 23. Divin. I, 20. Lael. 8.* nihil proſint, quod in iis vel ſpuria ſit vox *gnatus*, vel e poeta ſumta, vel participialiter dicta. Quamquam et hic aliquid dubitationis reſtat, quod Codd. quidam habent *filii vitam:* atque etiam, ut nobis videtur, *Cicero* hic potuit *nati vitam* dixiſſe, ut *Terentii* verba repeteret. Ex I, 26. *Priſcianus* p. 595. laudat *menſurni* pro *menſtrui*, idque praeter alios Mſſ. tres Leid. exhibent. Sed cum in optimo Mſ. Mediceo ſit *menſurni, veſpertini, nocturni*, omiſſa voce *diurni*, ſuſpicatus eſt vir doctiſſimus, hanc lectionem ortam e conflatis verbis *menſtrui, diurni:* quod ſane admodum probabile eſt. *Ibid.* in verbis: *iam in ſ. numerum reponantur*, monet, tres Leid. habere *numero*, (qui tamen c. 51. cum ceteris in eadem phraſi habent *numerum,*) idque favere *Wopkenſio*, qui in *Lect. Tull.* II. 16. *numero* in hac phraſi

phraſi probabat; in quam partem et ipſe inclinat, exiſtimans ſextum caſum praeferendum eſſe, cum *reponere* pro ſimplici *ponere* dicatur. Nobis utrumque rectum videtur. *Ibid.* 29. pro *poenas eſſe praeparatas*, trium Mſſ. lectionem, *paratas*, bene praefert. *Praeparatae poenae* ſane ſapiunt librarium Chriſtianum, et *προητοιμασμένας* N. T. *Ibid.* 36. pro *absque adprobatione*, quo quis uti poſſit, et *Cellarius* in *Cur. poſter. c. 5.* uſus eſt, ut defenderet, *absque* pro *ſine* Ciceroniano aevo uſitatum fuiſſe, docet, omnes Mſſ. Leid. cum ed. *omnib.* habere *ſine:* nec dubitat, in ceteris locis viros doctos ſic inventuros fuiſſe, ſi ſatis attendiſſent. Et huius generis ſunt plura. Itaque bene de *Cicerone* meritus eſt Cel. editor, cum ab amico ſibi viro impetravit, ut has ſibi notas ad ornandum hoc Volumen concederet.

In praefatione, quam bene longam praepoſuit huic Volumini Cel. *Burmannus*, luculenter agitur de auctore Librorum ad *Herennium*, de quo omni tempore diſſenſere viri doctiſſimi. Longum foret commemorare ſeriem univerſae diſputationis, quam totam legi cupimus, nec legiſſe poenitebit. Commemorat non modo ſententias varias doctorum virorum, cum ſuis cuiusque rationibus: ſed etiam argumenta ipſa diligenter excutit, et commemorandis rationibus ſuis diiudicat; in quo multa erudite de rebus et verbis diſputantur, a quibus argumenta cuiusque ducta ſunt. Habebunt hic ſtudioſi ſpecimen egregium talis argumenti recte, erudite, et copioſe tractandi. Ad extremum fatetur, nihil certi de auctore pronunciari poſſe: illud certum eſſe, *Ciceroni* tribui non poſſe, etſi non nimis diu poſt eius mortem ſcriptos eſſe perſpicuum ſit ex iis, quae diſputaverit. Utinam Vir doctiſſimus, et de literis bene merendi cupidiſſimus, ſibi perſuaderi pateretur, ut ceteros oratorios *Ciceronis* libros, ad Codd. Mſſ. et edd. veteres caſtigatos, eadem forma et lege ederet, et copiis doctrinae ſuae ornaret.

DE

Digitized by Google

DE SOLIS AC LUNAE DEFECTIBUS LIBRI V. P. ROGERII IOSEPHI BOSCOWICH, Societatis Ieſu, ad regiam Societatem Londinenſem: ibidem autem et Aſtronomiae ſynopſis, et Theoria luminis Newtoniana, et alia multa ad Phyſicam pertinentia, verſibus pertractantur, cum eiusdem Auctoris annotationibus.

Londini 1760. ap. Andream Millar, in the Strand et R. et I. Dodsleios in Pallmall. 1. Alphab. 9. plag. in 4to.

Saepe ſolet id quaeri, cur in tanta ingeniorum optimorum copia, hacque temporum noſtrorum luce, tam paucos Cicerones, adeo nullos fere Marones habeamus. Cuius rei etſi permultae ſunt cauſſae, ut adeo non ſit vehementer mirandum, ſi inter plures fortaſſe, qui idem ad faſtigium eloquentiae poeticesque tendant, his plurimis maximisque difficultatibus intercepti deterritique deſiſtant, unus tantum et alter ex omnibus enitatur; plures itaque cum ſint cauſſae, non leviſſima videtur eſſe contemptus utriusque facultatis, quam non pauci eruditorum, hominibus iſtis otioſis et umbratilibus, quos Humaniſtas vocant, relinquendam putant, ſibi vero de realitatibus proſpiciunt, cetera omnia verba eſſe rentur. Iam ſi quis eos interroget, quid, tu eloquentiam neceſſariam eſſe negas? illi aut vim eloquentiae in eo ponunt, ut de ſua arte loqui poſſint; quaſi vero ſutor non etiam de ſua queat: aut ad neſcio quam eloquentiam naturalem, vulgaris ut opinor dici iure poſſet, omnia revocant; contra ſi quis logicam, mathematicam, muſicam naturalem extollat, actum illi de imperio Teutonico clamant, quaſi vero eloquentia ſine praeceptis aut exercitatione melius addiſci, quam ceterae artes, posſit. Unde fit, ut multi, qui obſcuriores illas ſubtilioresque, quae vitam communem non intrant, artes excoluere, ceteris neglectis, ſi alia de re, quam de arte ſua, verba facienda ſint, illi, quaſi extra ſe ipſos rapti, fari nihil poſſint, non magis quam ſi quis noſtrum repentino turbine inter Iapanas et Indos collocetur. Utun-

Digitized by Google

Utuntur itaque hoc artificio, quod non videtur nimis ingenioſum eſſe. Si eſt oratio habenda ſollemnis, victoria inſignis concelebranda, pax indicenda, ſi princeps laudandus, ſi mors viri eruditi deploranda, illi auditoribus, qui maximam ſaepe partem nihil de tota arte illa intelligunt, aliqua ſuarum obſervationum communicant, quae in arte ſua extricaverunt, obſcureque et horrendis verbis illa proponunt, atque ita clepſydram exhauriunt. De ea re, propter quam conventum eſt, ne verbulum quidem, ſed quidvis potius aliud. Iam cum ultimae quinque aut ſex ſabuli reliquiae in vitro ſuperant, tunc: ſed quare conventum eſt? nempe ut etc. Iam tribus aut quatuor periodis res iſta nude indicatur, bona vota fiunt, et ſic auditores dimittuntur. Auditores vero ipſi infortunium hoc optime ferunt; nam cum nullo pacto credere poſſint, ad ſe dici iſta ſpinoſa, aut dormiunt, aut confabulantur, aut confertim abeunt. Aiunt, hominem non nimis ingenioſum, orationibus ſacris indormire ſolitum eſſe, vicinum vero rogaſſe vehementer, ut cum uſus conſolatorius proponeretur, tunc ſe excitaret ſomno. Idem nos fortaſſe adſeſſores illos rogare poſſemus, antequam nos ſuaviter ſomno daremus, ut ubi orator de ea re diceret, de qua conveneramus, aut cum diceret quae intelligi humano ab ingenio poſſint, tunc nos expergefacerent. Unde vero illud malum? nempe ex eo, quod ingenium humanum, ſuae tantum arti plerumque intentum, cetera omnia magnifice contemnit, praecipue ſi ſubtiliora conſectetur, quae lucem et vitam communem neſcio quomodo fugiunt. Atque hoc ſane de omni re valet, multa ei ineſſe quae vulgarem cognitionem infinitis modis ſuperent; nihilo minus tamen populare quiddam ineſſe debet, quod, eloquentia et ſuavitate adiutum illuſtratumque, ab omnibus intelligatur, omnes delectet. Qua in re mirati ſaepe ſumus ſumma Academiae noſtrae lumina, cum ſaepe orationibus et elegantiſſimis, et quam maxime popularibus, artem ſuam coronae commendarunt, resque interdum obſcuriores ita clare, ita diſerte expoſuerunt, ut unusquisque, prae ſumma audiendi voluptate, cetera

Digitized by Google

tera alia negotia libenter in aliud tempus reiiceret. Poſſemus eos indicare, niſi adulatorium eſſet, quod fugiendum maxime exiſtimamus. Sic et inſtituto, propter quod conventum erat, ſatis fit, et auditores praeterea quoque praecepta optimarum rerum cum voluptate domum referunt. Neque enim hoc eſt poſtulandum, ut de re inani, natali principis, morte hominis obſcuri, laude candidati, quem vocant, et ſimilibus rebus, integras horas loquamur; eſſet enim hoc illudere et noſtro ingenio, et auditorum auribus: ſed ut hanc occaſionem laeti arripiamus, qua ſtudia noſtra coronae commendare queamus, oratorie et ornate de re aliqua, quae eo pertineat dicentes. Unde vero mira illa facultas in ſummis illis viris eſt? Unde enim? nempe quod ceterae eruditioni, quam ſummam in iis deprehendimus, eloquentiam adiunxere. Poeſis vero eloquentiam miris modis adiuvat, quod et rationibus et exemplis conſtat. Namque ea eſt natura utriusque diſciplinae, regnant ubique, atque imperio animos humanos tenent, lucem affundunt obſcuris, ubertatem aridis, florem flacceſcentibus rebus.

Talium virorum ferax ſemper Lipſia noſtra fuit, qua de re vere poſſumus gloriari; verum ea de re nunc nihil dicamus, nota cum ſit etiam exteris, et invidioſum fortaſſe, quod noſtras laudes dicimus. Iam ut priſca aetas Lucretios et Manilios habuit, ita quoque noſtra, quos cum his conferre poſſit.

Quorum ad numerum nuper acceſſit *Rogerius Ioſephus Boſcowich*, cuius nomen cum inter mathematicos clariſſimum ſit, effecit ille hoc libro, de quo iam dicemus, ut inter poetas non minus clarum eſſet. Tractavit ille rem aſperam conatu, et in qua vel ſumma ingenia deficerent, ita feliciter, ita apte, ut nihil addi poſſit. Habet enim liber quo et ſe, et artem quam tractat, commendet, ubertatem, leporem, diligentiam, ſuavitatem. Agit vero de ſolis ac lunae defectibus, ſterili argumento ut videri poſſet, ſteriliori etiam, ſi plus quam vulgaria continere debeat.

Verum

Digitized by Google

Verum auctor noſter ſubtilitatem cum poeſi coniunxit ita, ut ſaepe ante oculos picta, etiam quae difficillima ſint, videantur. Enarrat numeros ſiderum et rationes, quid obſcurius? ſed quanta in luce omnia ponuntur: cauſas modumque defectuum, ardua res et taedii plena, ſed quam nihil taedii canente poeta reſidet. Tenue carmen eſt, ubi res tenue carmen requirit; ſurgit ad ornatum, cum ornatui locus eſt; ſaepe etiam in ſublime evehitur, et ad ſidera quae canit ipſe poeta tollitur. Coniuncta eſt poeſis antiqua cum matheſi noſtrae aetatis, tota materia ita formata, ita elaborata, ut amorem ſui etiam alienioribus a toto negotio facere poſſit. Atque etiam illud nobis placet, quod mythologia veterum retenta eſt, cui cum aſſueti ſimus, quotquot noſtrum haec ſtudia amamus, mirifica ſaepe delectatio animos legentium mulcet, et, ſi quid ſpinoſius canebatur, reficit. Effecit poeta, ut id, quod demonſtrationes mathematicas vocant, vere demonſtrationes dici iam poſſint, ut, ſi digitis, quod aiunt, indicentur, clarius apparere haud queant. Sunt quoque excurſiones et epiſodia elegantiſſima, quod in tali argumento vehementer neceſſarium eſt, ne lector obruatur rebus difficilibus, defatigetur meditando. Totus liber, ut breviter dicamus, is eſt, qui ſaeculi Auguſtei videri poſſit, niſi tam accuratae perfectaeque phyſeos et matheſeos eſſet; noſtrae, niſi tam antique, id eſt quam optime ſcriptus eſſet. Suavitas auctoris quo magis appareat, ex libro V. laudem Newtoni adſcribemus.

Nunc age cur multo turpatos ſanguine vultus
Inficiat, triſtem dum Cynthia permeat umbram;
Quid radios fuco ſaturet, lucemque coloret
Aëriis deflexam auris, et fila retexat,
Iam canere, atque operi ſupremam impendere curam
Aggredior. Non hic Pindi pater, atque ſororum
Docta cohors, non Pegaſus aliger, et mendacis
Numina Parnaſſi veniant in carmina. Grande
Tu decus Angligenum, atque humanae gloria gentis,
Tu maius mihi numen eris, Newtone, *repoſtos*

Cui primo penetrare aditus, penituſque latentes
Sponte dedit vires Natura, arcanaque iura
Diſcere, et attonitum late vulgare per Orbem.
Tu vacuas noſti primus qua lege per auras
Attracta arcano ſe foedere ſydera ducant,
Inflectantque viam, mediumque immobile circum
Aeternos renovent gyros, per inane Cometae
Quo fugiant, longo donec poſt tempore triſtem
Reſtituant terris vultum, crineſque cruentos.
Noſti etiam, Coeli cum parte feruntur eadem
Iupiter, et multo genitor iam tardus ab aevo,
Cur turbent motuſque ſuos, comitumque catervas:
Non illi irarum memores, ſed amore novato,
Quo rurſum amplexus, rurſum oſcula mutua poſcunt.
Fata vetant conferre globos, iubet ire per auras
Impetus, et rurſum oppoſitas diſcedere ad oras,
Dum ſe iterum iuncti quatuor poſt luſtra reviſant.
Nequidquam incertos dubiis erroribus orbes
Implicuit, curaſque diu deluſit inanes
Cynthia: tu retegis, tu certis legibus arctas.
Quid memorem alternos motus, quibus alta tumenti
Obiicibus ruptis conſurgunt aequora fluctu,
Tum redeunt retro, rurſumque in ſe ipſa reſidunt?
Quid preſſam Terrae formam, circum undique dorſo
Quae tumet in medio, atque polo ſubſidit utroque?
Diverſis diverſa locis quid pondera? vel quid
Vim cuncta Eoas urgentem ſydera in oras,
Annuaque imbriferi celerantem exordia veris?
Omnibus haec ignota olim mortalibus, acri
Vidiſti ingenio primus: nunc te duce molles
Iam pueri in ludis, primoque docentur ab aevo.
Nec minus illa quidem vel quondam incognita, vel nunc
Per te iam pueris, teneris et nota puellis,
Aeternum peperere tibi nomenque decuſque.
Scilicet in prima naſcentis origine Mundi
Quae niveis Charites digitis tenuiſſima lucis

Fila

Digitized by Google

Fila colorato duxerunt ſtamine, et aureo
Texuerunt fulvam nectentes pectine telam,
Inſpiciens oculo diſpeſcis primus acuto,
Filaque diſſocias, atque acri ſingula ſiſtis
Obtutu contemplanda, et quem quodque colorem
Exhibeat, quantumque, doces, de tramite recto
Intortum deflectat iter, vel quanta requirat
Intervalla viae, ut certa vice, ſi nova ſeſe
Corporis obiiciat facies, aut pergere porro,
Aptius, aut retro fiat reſilire repulſum.
Tum ſi plura ſimul coeant, quem mixta colorem
Component, vel quo percellent lumina viſu, etc.

Atque haec ſpeciminis loco adſcripta ſunto: iam de ipſo ordine atque oeconomia libri paucula.

Diviſum eſt opus totum in libros quinque. Primus Aſtronomiam omnem quaſi in compendio exhibet; neque enim ſine cognitione naturae aſtrorum, quantum a ſe diſtent invicem, quomodo moveantur, cetera intelligi potuiſſent, praecipue ab iis, qui minus harum rerum ſtudioſi eſſent, quales multi ſunt. His transactis, alter liber de ipſis defectibus et Solis et Lunae, quo ordine, quibus temporum intervallis fiant, agit. Tertius phaenomena explicat, quae in defectu Solis animadverſa ſunt, praecipue lumen, quod, ubi totus Sol obſcuratur, circa Solis locum extat; plura quoque eiusmodi, ſive totus ſol, ſive pars eius, oculis noſtris ſubtrahatur, animadverſa. Quartus dein et quintus de eclipſibus Lunae, de penumbra, quam dicunt, de colore rubro deficientis Lunae, et pluribus aliis praeterea rebus huc pertinentibus, exponit. Subiectae ſunt textui notae uberiores, quae res habent eas, quae in carmine exponi propter naturam ſuam haud poterant, quas neque eos, qui maximos profectus in his rebus fecerunt, legere poenitebit.

Optamus ſane vehementer, ut Boſcowichius Vir Celeb. qui aetatis florem in his duabus excellentibus artibus collocavit, ea, quae pro alacritate ingenii praeclara meditatur, efficere queat: iturus enim eſt Conſtantinopolim, aut ivit iam, et in

urbe maxima, et ad obſervandum coelum aptisſima, perget in eo ſtudio quod hactenus tanta cum laude cucurrit. Haec itaque habuimus, quae de egregio opere diceremus, quod Lipſiae non eſt, niſi in noſtra Bibliotheca, adeo rarum eſt. Vellemus itaque vehementer, ut aliquis harum rerum peritus, apud nos imprimi typis curaret; facile enim emtores eſſet liber, propter praeſtantiam ſuam inventurus, neque bibliopolam, ut multi alii libri, falleret.

EPITOME RERUM GERMANICARUM AB ANNO Chr. MDCXVII. ad an. MDCXLIII. Recenſuit, et adnotationes adſperſit, IO. GOTTLOB BOEHMIUS, Hiſtoriographus Regius, Hiſt. P. P. O. Coll. mai. Princ. Soc. et Acad. t. t. Rector.

Lipſiae 1759. in Officina Fritſchia, pl. 23. in 12.

Ab ipſa Gratiarum manu accipere nobis viſi ſumus opuſculum elegantiſſimum, in quo motus ingentes Germaniae ſuperiori ſaeculo ineunte tam graviter, et tam illuſtri brevitate, a ſcriptore prudentiſſimo atque reip. peritiſſimo, quisquis ille fuerit, enarrantur, miſſum ad nos his diebus ab editore, Viro ampliſſimo humaniſſimoque. Dicere vix poſſumus, quo deſiderio libelli adfecti fuerimus, quum ante paucos annos in nonnullis *C. S. Schurtzfleiſchii* ſchedis tantas ei laudes tribui videremus; donec tandem in ſectione librorum publica ſatis care redemtum exemplar, quod A. C. cIↄIↄCLIX. ſine mentione loci prodiit, avide devoravimus. Mirati ſumus ſcriptoris ſubtilitatem, facundiam, candorem, atque fidem, et multa ex eo didicimus, quae in grandibus aliorum voluminibus non repereramus. Felicitas imitationis, qua nemo pulcrius Taciti virtutes expreſſerit, et narrationum velocitas, ſic nos ceperat, ut in aetatem maiorum noſtrorum tota mente redierimus, et, quaſi illorum coetibus inſerti, cauſſas et momenta maximarum rerum taciti verſantes, ipſam prope diſceptationem iuris et utilitatis publicae nec opinantibus nobis offerri putaremus.

Unum

Digitized by Google

Unum ſaepius nos in iucundiſſima meditatione turbabat, quoties menda manifeſta ſenſum ſcriptoris coniecturis inveſtigare cogebant; quod quidem non tam difficile, quam ingratum erat, quia voluptatem lectionis iucundiſſimae morabatur. Inde non optare ſolum novam et emendatiorem editionem coepimus, ſed ipſi iam cogitavimus de requirendo librario, cui tale conſilium perſuaderemus. In eo quum eſſemus prope iam occupati, menda certe quaedam libelli coniectando ſuſtuliſſemus, nuntiatur Lipſia, *Boehmium*, V. Cl., et cui, fatis nuper functo *Maſcovio*, bona pars elegantiorum litterarum veluti fiduciae quodam mandato commiſſa iure creditur, praeveniſſe vota noſtra, et novo ornatu, quantus optari poterat, inſtruxiſſe libellum, qui librorum, etiam non inutilium in eo argumento, laudes obſcuret, ſi in peritos aeſtimatores incidat. Quo magis rem gratam lectoribus facturos nos putamus, ſi guſtum eorum, quae *Boehmius* tam venuſto cinno conficiendo, e fertilibus hiſtoriae patriae campis, delicata manu collegit, dederimus. Inſcripſit vero opuſculum arbitro talium rerum maxime idoneo, *Ioſepho Barrio*, Viro Cel. rerum Germanicarum ſcriptori florentiſſimo, et quod rarum, media in Gallia veri et iuſti circa imperii noſtri aeſtimationem amantiſſimo. Rationem huius inſtituti reddit a praeſtantia opuſculi, cuius notitiam ſcholis hiſtoricis Maſcovii, cuius iudicio nihil acrius, nihil ſcriptis limatius, quondam debuit, utilitatem autem crebra demum lectione, et inter docendum denique retractatione, penitiſſime introſpexit: unde non ingratum tanto viro munuſculum fore confidit. Adfert hominum quorundam eruditiſſimorum, Forſtneri puta, Conringii, Placcii, Deckherri, Gryphii, Buderi, iudicia, quibus ſuam ſententiam conſiliumque defendat. Schurtzfleiſchii in ſchedis, quarum meminimus, eam mentem fuiſſe recordamur, vix recte iudicium cuiusquam de ſtatu Germaniae ante foedus Monaſterienſe et Oſnabrugenſe informari poſſe, niſi hoc auctore adhibito. Nobis fides etiam narratorum exactiſſima nonnullis experimentis domeſticis conſtitit. Unum exempli loco

Digitized by Google

loco proferre iuverit. Patris mei, qui haec ſcribo, Cruſii, prima uxor, neptis Holcquii, ducis olim Caeſarei, quum fuerit, in pueritia adhucdum notitias quasdam de eius rebus, vulgaribus hiſtoriis accuratiores, accepi, et in patria, circa opidulum Adorſum, ipſa veſtigia illarum ſaepiſſime calcavi. Comperi ergo, huius epitomes ſcriptorem unum de illo recta et vera prodidiſſe, (niſi quod de loco mortis ambiguo enuntiato deceptus, quod in diſceſſu a Lipſia contigit, viciniae eius tribuit;) quod nobis magno argumento, niſi amor rerum domeſticarum blanditiis fefellerit, ſufficere viſum, quam conſtans hic in vero contra rumores tuendo fuerit. Eo etiam impenſius doctus Boehmii adſenſus nos delectavit. Foeda illa, quae *Puſendorſius*, aut exacerbatae plebeculae convitiis, aut Suecorum livori debita, licentius refert, etiam peſtis vocabulo nequius in luem Veneream detorto, tam huius ſcriptoris, quam *Schneideri*, rerum Lipſienſium optimi auctoris, illorumque temporum aequalis, locupletiſſimis teſtimoniis refelluntur. Nam vera peſtilentia aeris, qua abſumtus Holcquius, copias invaſerat; nec ille pellicem, ſed iuſtam uxorem, feminam nobiliſſimam et piam, pluriumque liberorum matrem, circumducebat. Ipſe ſemper Lutheri doctrinae faverat, nec ſacerdotes unquam fugaverat; ſed hos militum, tam in imperatorio, quam Suecico exercitu, inſolentiae, diu ante in fugam egerant, quam is Miſniam attigiſſet. *Mollerus* quoque, *Schmidius*, et *Fidlerus*, qui rebus his, ut domeſtici, et tunc viventes, maiorem fidem praeſtant, pluribus locis produnt, qua ſemper reverentia ſacra et eorum miniſtros Holcquius habuerit, et de peſtilentia idem, quod Schneiderus, tradunt. Contigit huic, quod Attilae, Petro I. Ruſſiae Imp., multisque aliis, ut ſeveritas diſciplinae, et audaciora opera, ex invidiae ingenio inter vitia relata ſint, quum pauciſſimorum virtutes cum illis conferri mereantur. Sed quod auctor epitomes addit de Holcquio: *incertum, ſi ſupervixiſſet, Caeſari, an Waldſteino, magis fidus*, latentiorem intellectum habet, pro cautione et gravitate acutiſſimi hiſtorici.

Digitized by Google

ſtorici. Reſpicitur enim omnino ad religionem. Poſſumus et hic parum comperta multis indicare, quae hauſimus tam ex publicatis monumentis probioris monetae, quam ex commentariis necdum editis, quos legimus, et poſſidet quidam amicus noſter, conſcriptos tunc in Luſatia, a variis auctoribus, qui vivebant, a nobis aere ſuo redemtos; quod et iuribus amicitiae, et publicae utilitati dederamus, quia natione Luſatus, et rerum patriae ſtudioſiſſimus, totus in eo eſt talia ut conquirat. Wallenſtenius, inde ab incunabulis Lutheranus, licet Italiae in academiis, poſtea in aula, in Europae denique totius luce publica, Ariſtippeam quodammodo perſonam induerit, poſtremum tamen, poſtquam ſatisfactum ambitioni et vaſto ingenio, palam ſtudium partium harum profeſſus, non operam tantum ſuam in his ſuo loco reſtituendis venditaverat, ſed multa paſſim etiam privato auſu in inſtituendis conventibus, quibus nomen pacis praetexebat, molitus, ut auctori felicitatis ſuae, et huius amicis atque ſociis, ſuſpectus fieret, effecerat. Paullo ante ruinam, ante tamen quam imperio rurſus privaretur, in Luſatiam e Bohemia advolarat, et cum Arnhemio, duce exercitus Saxonici, et adminiſtris IO. GEORGII I., Principis ſuo merito MAXIMI, colloquium habuit, ſpondens et in ſeſe recipiens, Ferdinandum Imperatorem in ſua poteſtate futurum; ſacricolas e Germania pellendos, aut ad inſtituta certe monaſtica reducendos, ne ad altiora adſpirent; Bavarum autem, Germaniae turbatorem, (ſic enim adpellaſſe proditur,) non in ordinem modo redigendum, ſed terris etiam Palatinatus ſuperioris, quem ſic vulgo dicunt, privandum, quae melius de rep. meritis diſtribuantur. Addiderat de potentia ſua; de peſſimis principum conſiliariis; de exitio patriae, ni caveatur, proximo; de ſtultitia aliquid e rep. ob controverſias religionum gratificandi; de vera religione non ex opinionibus ſacerdotum conſtituenda. Inconſiderate nimis, et leviter; minime certe e re publica! Perculit ſapientiorum Saxoniae ibi praeſentium procerum tanta audacia animum, praeſertim qui mandati imperatorii abeſſe

Z aucto-

Digitized by Google

auctoritatem intellexiſſent, ut, more humaniores inter gentes uſitato, ſe principis ſui mandata exſpectaturos dicerent, et inſtitutis conviviis, variisque commentis voluptatum et officiorum ingeniis, hominem fervidum, et ad lubrica iam progreſſum, delinirent, donec propriae neceſſitates in caſtra revocarent. Eos ſermones incautius adhibiti ſatellites Monachium prius, inde et Viennam quoque, perſcripſiſſe perhibentur. Quia autem Holcquio, manu ſemper promto, et circa diſciplinam et uſum rei militaris per omnia inexorabili, plurimum confiderat, fieri non poterat, quin et hic easdem ſuſpiciones incurreret. Hinc dici vix poteſt, ut habet ſane tantarum cogitatio rerum divinum aliquid, et cum vulgi deliciis nunquam comparandum! quantum gaudii ex aequitate ſcriptoris epitomes diſertiſſimi, ex iudicio Boehmii commentatoris elegantiſſimi, ceperimus; quorum uterque facile adſentiatur, Wallenſteinium virum magnum, Holcquium fortem dicenti, et quorum magna vitia multis tamen virtutibus penſentur. Sed e diverticulo redeundum in viam eſt. In praefatione iſta tam concinna, tam venuſta, tam erudita, Boehmius argumentis indubitatis contra alios evincit, auctorem epitomes, qui rara felicitate nomen in hunc diem occulere potuit, non Pappum eſſe poſſe; non anonymum Suecum, aulae Sigismundi R. Pol. adſeclam; non Salvium; non ipſum adeo Forſtnerum, quod aliquando ſuſpicatus auſpicatiſſimus editor hic fuerat: ſed nec tamen certum definire audens idem, veluti intra velum tutum, aliquid de *Nic. Burgundo*, rarisſimae eruditionis et facundiae ſcriptore, purgatis auribus inſerit; quod et ipſi tueremur, niſi obſtaret temporum ratio. Recenſet inde diligenter repetitas editiones, aliosque, idem conatos, varie corrigit; ſed tam modeſte et humaniter, ut Boehmio a Chariſin, fidis et propitiis numinibus, nectar et ambroſiam miniſtrari intelligas. De ea, cuius exemplum nobis nanciſci licuit, id pronuntiare habemus, negligentisſime fuiſſe curatam. Subiicit de inficeta interpretatione Teutonica. O ſi quis melior deus hodieque bibliopolas, ad omne Germaniae oppro-

Digitized by Google

opprobrium in hoc certe pronos, ab inauſpicato inſtituto, quo hiſtoricos alieno ore loqui cogunt, deterreret! Utinam id operam darent, ut optimum quemque ſcriptorem, non contaminatum, ſed ſuo genio ſuaeque linguae relictum, Germaniae munde et nitide, et paullo aequiore pretio, vel Fritſchiae, feminae clarisſimae, in hac epitome exemplo, repraeſentarent! Sequuntur pauca de rationibus, quas in edendo ſecutus eſt, qui hanc nobis lauream, quam anxie anhelaveramus, tam feliciter praeripuit *Boehmius*.

Collatis exemplis, abſterſis mendis, monitis certe lectoribus, ubi aliquid ſcrupuli ſupereſt, adnotationes adſperſit, tanta modeſtiae ſpecie, quam profunda ſubeſt paucisſimis verſibus, quibus abſolvuntur, eruditio. Sunt vero diverſi plane generis, paucae licet, et, mirum, quanta brevitate et doctrina conceptae. Unum genus occupatur in exemplis felicis imitationis, prolatis locis veterum ſcriptorum, quae homini politisſimo, quum iſta commentaretur, mente obverſabantur. Argumentum ingens prudentiae et recti iudicii. Nam ſi tanquam in ſpeculo cernere imaginem noſtrorum cupias temporum, legas, oportet, veteres, qui nihil harum rerum ignorarunt, quas hodie vulgus novas putat; unde et nulli facilius intelliguntur, quam qui ſtilum veterum auctorum, et iſtam nativam cogitationum pulcritudinem, quanti meretur, aeſtimant. Praeterea Salluſtium, Livium, Tacitum intelligere, recte circa remp. ſapiendi magnum adiumentum, et magnae ſcholae inſtar eſt. Quo magis laudandum eſt Boehmii conſilium, lectores elegantiae et prudentiae ſubinde tempeſtive admonentis. Alterum genus ad res ipſas refertur, cuius nonnulla exempla dabimus. Ita recte notat auctorem, qui pacem Paſſavienſem in dubium vocavit, quum ea ſancita fuerit ſollemniter ab iis, penes quos rei ſumma erat. Ibidem quum Calviniani ea pace excepti ſcribantur, recte et vere Boehmius docet, diſertis quidem verbis nullam in foederis tabulis eorum mentionem eſſe factam, ſed utrum nomine Auguſtanae confesſioni addictorum comprehenſi fuerint, magno animorum motu in comitiis Auguſtae Vindel.

A. C. cIↃIↃLXVI. habitis diſceptatum, nihil tamen definitum fuiſſe. Quia vero disſidia religionum in Bohemia facem haud dubie civili Germaniae bello ſubdiderunt, cuius cauſſas graviter aperit epitomes auctor, hic non omittemus, poſſidere nos libellum parvae molis, ſed magni pretii, cui titulus: *hiſtorica narratio de rebus in Bohemia inter proxima comitia in negotio religionis geſtis A. cIↃIↃ CIX.*, conſcriptum a quodam qui ipſis comitiis interfuit. In eo, excuſato Rudolpho Imp., omnis culpa turbatarum iam dum rerum in Popelium, Boh. Cancellarium, confertur. Quantum vero ad inſtrumenta ceſsionis, Ferdinando factae, attinet, quae ex Khevenhilleri ſplendido opere Boehmius laudat, nos iunctim publicata Pragis anno ſup. ſaec. XVII. ad manum habemus, hoc indice: *Pactorum de perpetua ſucceſſione in regnis Hungariae et Bohemiae, ac Provinciarum ad ea pertinentium, inſtrumenta VI. et XV. Menſis Iunii Anno M. DC. XVII. Pragae confecta.* Praeterea, quae in alio volumine actorum iſtius temporis noſtro, bonae frugis plenisſimo, continetur: *Informatio fundamentalis ſuper hodierno Bohemiae ſtatu: ubi et ſucceſſionis iura liquide deducuntur et ad oculum deſcribuntur, quae Inv. et Gl. Imp. Ferdinandus II. et Ser. Domus Auſtriaca in dicto regno habent; Daniae et Norwagiae etc. Regi Chriſtiano IV. nec non in ſuperiori et inferiori Circulo Saxonico Statibus Imperii communicata a S. C. M. Legatis D. D. Henrico Iulio, Sax. Angar. Weſtphal. Duce, Cubic. et milit. Praeſ. Caeſ. et Hieron. von Eluern, Conſ. Imp. Aul. Frcf. 1620.* lectu eſt dignisſima, et aulis exempli cauſſa commendanda. Delectavit vero nos, ut multa alia, quod necdum ab aliis, et ne a *Ludewigio* quidem animadverti, aut ab *Hertio* vidimus, et quod apud plures aliquamdiu in controverſia fuiſſe recordamur, ipſum Ferdinandum multis argumentis contendere p. 8., regnum plane Bohemiae eſſe feudum imperii, non vero adnexas dignitates tantum, et eam in rem perpetua inde a Ferdinando I. archetypa inveſtiturarum, quas vocant, exſtare, quibus id confirmetur. Leguntur ibi et alia multa, notitia dignisſima, quae paucis, et ne *Glaſeyo* qui-

Digitized by Google

quidem, notum fuiſſe opuſculum arguant, cuius Elverus auctor videtur. Ad An. XVIII. iure laudat Boehmius *Bougantium* et *Barrium*, nobilisſimos noſtra aetate ſcriptores, qui nullo miraculo adminiſtros Imperatoris ab arce Pragenſi deiectos ſervatos fuiſſe credunt, *Habernfeldio* adſenſi, quia cumuli chartarum, feneſtris ſubiecti, molliter cadentes exceperant. Ad An. XIX. notat, in ſocietatem ſuae coniurationis adſciviſſe Bohemos Hungarorum rebus novandis promtiores; et laudat narrationem de legatione Io. Ieſenii, qui interpres fuerat, quam raram, tam neceſſariam cognoſcendis his rerum converſionibus. *Koeleri* valde bono ſucco abundantem de Friderico V., infelici Bohemiae rege I., diſſertationem proxime laudaverat. Eſt ea, ut omnia Koeleri. Utinam tandem Germania bona ſua noſſe inciperet, ut aliquis omnia viri in tota hiſtoria conſummatisſimi opuſcula collecta ederet. Nos certe miro deſiderio eorum, quibus caremus, cruciamur. Notat inde, tam vere in epitome ſcribi, haud unquam res Ferdinandi propius ſummum diſcrimen fuiſſe, ut vix Vienna, teſte *Caraffa*, ſatis certae fidei in partibus manſerit. Acute mox obſervat Friderici Palatini aſtum, quo aemulum ex propinquis Ferdinando obiicere voluerat, Maximilianum Bavarum in electionis comitiis commendans. Recte p. 16. abſolvit Chriſtianum Aſcanium crimine, ab *Habernfeldio* obiecto, uſus *Becmanni* auctoritate, et documentis. Nec ad peſſundandum Fridericum alia re periti arbitri opus fuiſſe ſtatuerint, quam ipſius levitate ſine conſilio, et conſiliariorum eius conſilio ſine adparatibus. De causſis, ob quas Saxo pronior in Auſtriacos fuerit, bene retundit *Pufendorfii* aculeos. Sed quis unquam hunc Sueciae patronum, vel minima etiam in re, aequa largiri Saxoniae cognovit? Concedit quidem facilius aliquid de cauſſa Iuliacenſi et Lutheranorum contra Calvinianos ſtimulis. Sed ſi vera fateamur et amemus, Saxonis moderationi et prudentiae cum ferocia et ingentibus vanorum deſtinatorum Palatini, novam iam formam imperii animo turbido deſcribentis, minis, convenire quomodo potuiſſet? Docent hoc nos acta et com-

Digitized by Google

mentarii interiores, quorum bonam copiam ſervamus. Addit, ad ſuſpicionem ab auctore memoratam, (plura auro, quam ferro, in occupandis Palatinis terris a Spinola adminiſtrata fuiſſe,) *Rusdorfii* de Erneſto Brandenburgico querelas. Nobis, lectitatis Palatinis defenſoribus, compertum eſt explorato, ipſos cadentibus aliter ac ſperaverant rebus, coelum terramque accuſare nunquam dubitaſſe, modo temeritatis et ſtultitiae, quarum graves poenas dare neceſſe erat, opinionem, ab interiore ſui principis conſilio amolirentur. Spinolae, modeſtiam, et exercitatam arduis in rebus virtutem, poliorcetae novi cognomen peperiſſe, percurrentibus res, quarum ſummam ſcriptor vitae eius *Caſonus* litteris mandavit, patebit. De ambigua victoriae Pragenſis inter Bavarum et Bucquoium palma, ad An. XX. laudat contendentes ſcriptores Boehmius; nec noſtrum fuerit, tantas componere lites. Forte uterque iuſte gloriam, diverſis, licet, ut ſaepe, viis, adſecutus erat. De hiſtoria motuum ob Vallem Tellinam, praeter *Sprecheri* librum, commendat Duc. *Rohanii*, cuius virtus illo bello eminuit, commentarios, tres ante annos, e bibliotheca regia Pariſienſi, a *Zurlaubenio* Coloniae Allobr. editos. Ad An. XXI. adnotat in auctore prolepſin, qua iam memorat, Chriſtianum Anhaltinum a proſcriptione abſolutum, quod biennio demum poſt contigiſſe e Becmanno docet, filium tamen eius hoc anno e captivitate, in quam inter pugnam Pragenſem inciderat, dimiſſum obſervat. Ad res Bucquoii, ductoris fortisſimi, res noſcendas, pertinere monet laudem eius poſtumam, a *Nic. Vernulaeo* celebratam. De Chriſtiano Brunſuicenſi, Ep. Halberſt., e *Brachelio* adfert aliquid de ſingulari eius voto, quo ſe Eliſabetae, Palatini coniugi, obſtrinxerit. *Caraſſae* obſervatio eſt, indignatum eum, quod Imperator electionem probare, et iura, quae dicuntur, regalia, impertire recuſarit, ultionem paraſſe. Ad An. XXII. repetere e *Brachelio* ſingulares caſus iubet, quos incurrit Fridericus Palatinus, e Belgio ad ſua revertens. Dextrum, an ſiniſtrum brachium, ex vulnere Chriſtianus Brunſuic. amiſerit, diſquirit. Illud prodidit epitomes auctor; at in

hoc

Digitized by Google

hoc conſentiunt *Caraffa*, *Khevenhiller*, *Piaſecius*, et *Brachelius*. Nos ſcriptoris Belgae, locis et temporibus proximi, cuiusque ut in multis, ita et in Floreacenſis pugnae deſcriptione, fidem et diligentiam perſpeximus, in *continuata Meterani hiſtoria* auctoritas movet, ut non aliud credamus. De Saxonis, Ioannis Georgii, ſumma aequitate, per omnia inter iſtas Europae procellas proram a ſcopulis avertentis, deprecatione pia et ſapiente pro ſacerdotibus noſtrae profesſionis, qui tunc e Bohemia proſcribebantur, Boehmius conſuli *Brachelium* iubet, ſummam concinne referentem, et ipſas litteras ad Lichtenſteinium datas, exhiberi a *Khevenhillero* monet. Quia autem Khevenhilleri nimis pretioſo opere forte plures carent, easdem litteras, ut et ad ipſum Ferdinandum datas, conſilii ſalubrioris plenisſimas, legi in eadem *Meterani hiſtoria continuata*, indicamus. Elegantisſime vero epitomes ſcriptor, quamvis Romanis ſacris addictus, ut pernicioſum exemplum notaret, allegatam á deprecatore cauſſam refert, *ne victoriae praemium fieret religio*. Sapiens monitum, quod qui capient, praepoſteris conſiliis ſuos ipſi ſucceſſus non impedient. Ad An. XXIII. a Boehmio corrigitur Brachelius, qui eodem die, quo quondam Mauritium Saxonem, Maximilianum Bavarum inauguratum tradiderat, et ſollemnium deſcriptio e *Khevenhillero* indicatur. Controverſias in diſceptata transferendi iuris in electione Imperatoris cauſſa, ex *Actis Lundorpianis* cognoſcere ſuadet adnotator doctisſimus. Poſſidemus et nos aliqua eodem pertinentia, et in eo *Adelzreiteri* defenſionem, quae ſuſpicionem validisſime auget, hunc virum alienis calamis commiſiſſe, quae ſuo nomine publicanda curaret; adeo diverſitas ingenii atque ſtili inter Annales Boiorum et hoc opus adparet. Nobis in mentem hic etiam venit lepidum conſilium, a *Mich. Lonigo* ſuggeſtum Gregorio XV., quod Arcenni cIɔ Iɔ CXXIII. typis mandatum noſtra ſupellex habet, ubi in fine ratiocinator infelix Bavarum neceſſario rurſus cedere nova dignitate heredibus Palatini, ubi primum ad Pontificis auctoritatem confugerint, coactum iri vaticinatur, niſi confirmationem Romae in tempore petierit.

Digitized by Google

rit. Tam ſubtiles nimirum Italo ſub coelo ſenſus! Melior deus ipſi Pontifici, an Bavaro, aliam mentem dediſſe intelligitur. Monet inde Boehmius, et Saxonis et Brandenburgici adſenſum anno inſequente Schleuſingae acceſſiſſe; quod bono reip. omine factum, ſepultis hodie certaminum reliquiis, nemo dubitat. Statlohenſis cladis, a Chriſtiano Brunſuicenſi acceptae, magnitudinem, praeter *Brachelii* brevem deſcriptionem, e *P. Schonaei* peculiari libello, indice Boehmio, noſcemus. *Abelius*, in Epiſcopatus Halberſt. hiſtoria, tantum fuiſſe, ſed ſine teſte, refert, ut ex equitum millibus quinque nongentis, tria millia, ex XVI. millium peditatu CCC. fuga ſibi conſuluiſſe velit. Ad An. XXV. occurrit elegans obſervatio de morte Oberntrautii, et ſymbolo Friderici Altenburgici, *hin iſt hin*, ex autographo penes Boehmium. Ad An. XXVII. de Anglis, claſſe inſulam Rhedenſem invadentibus, partae a Gallis victoriae, narratio *Grammondi* laudatur; cui adiungi meretur *Domini a S. Lazaro* exacta deſcriptio, in libro, quem adnotationum hiſtoricarum titulo, actorum prope diurnorum ad inſtar conſcripſit, et quem ad cognoſcendas res Galliae perquam utilem deprehendimus, h. an. d. XXX. Iul. ſeq. Docta eſt ad An. XXVIII. de interioribus Auſtriaci conſilii circa maris Balthici imperium rationibus, obſervatio. Sed acceſſerat etiam neceſſitas, ut tempore necdum maturo captatio aliorum anteverteretur. Rusdorfius in Anglia, deſperatis Iacobi auxiliis, novam factionem civitatum, mari adſitarum, moliebatur magno niſu: quod ex epiſtolis eius, a *Miegio* in monumentis virorum in rep. civili et litteraria illuſtrium publicatis, didicimus. Et ſane dici non poteſt, quantum etiam lumen rebus eius aetatis, adiuncta in fine libro parum obvio, et forte ob titulum neglecto, documenta inſerant. Sequitur ibidem egregia animadverſio de praefectura maris, antiquis temporibus in imperio non inaudita. De occupatione Rupellae, opere quam arduo, tam poſterorum memoria digno, laudatis a Boehmio praecipuis ſcriptoribus liceat rurſum *Dominum de S. Lazaro* adiungere, qui ab aliis omiſſa quaedam prodit. Ad An. XXIX. acre iudicium Boehmii

agno-

Digitized by Google

agnoſcimus, quod tam a *ſcriptore epitomes*, quam ab *Ogerio*, ut iam alibi oſtenderat, diſſentit circa cauſſas, ob quas Imperatoris legati Suecicos oratores ad conventum Lubecae pacis ineundae nomine inſtitutum admittere noluerint. Longe acutius coniicit ipſe, Wallenſteinium fuiſſe veritum, ne rex Guſtavus deprecatorem pro Mecklenburgicis ducibus ageret. Diceres forte, ut plura ſaepe momenta una in re valent, Poloni id amicitiae datum, ne ſuſpicio oriretur, et exterorum arbitria inteſtinis in diſſidiis recuſata, quia Danus et Hiſpanus pro obſtrictis ad fidem titulo poſſeſſionum intra imperium habebantur. Ad obſervationem de Gabriele Bethlenio adiicimus, quaedam haud vulgaris notae reperiri in copiis *Miegianis*, quas paullo ante laudabamus, et in rariſſimo, quem poſſidemus, libello, *Dorothei Ploſcrii* oratione apologetica pro Sereniſſ. Gabriele Bethlenio, ſumtibus *Nic. Eſterhàzii* Poſonii A. C. cIↄIↄCXXIV. excuſa. Ad An. XXX, iuſtisſimum praeconium monumentorum Wurtenbergenſium *Beſoldi*, nobis ingens deſiderium operis, diu fruſtra quaeſiti, rurſus excitavit; quod utinam Boehmius, aut aliquis eius ſimilium, luci publicae redonaret. De ſcriptoribus rerum Richelii optime iudicat obſervator doctisſimus: nos meminimus legere dictum nonneminis de eo, vixiſſe Galliae amicisſimum, humani generis inimicisſimum. Ad ea, quae de Comitiis Ratisbonae eo anno habitis ſequuntur, notamus, potitos nos eſſe libello, in quo et Imperatoris propoſitio, et perſcripta decreta, ſed cum proteſtatione ipſi titulo inſerta, continentur; ſignum tamen aquilae bicipitis praepoſitum, Moguntinam officinam arguit, an mentitur? Eruditiores videant. Ad An. XXXI. occurrit indicium ſylloges Calviſianae ſcriptorum de iſto Magdeburgi excidio, quam nondum vidimus. In noſtris voluminibus actorum iſtius aevi, ſub indice Magdeburgi redivivi, continetur libellus hoc ipſo anno ibi editus, in quo acerrimam confutationem, admixtis non parce convitiis, cuiusdam ſacerdotis religionis Romanae, concionem funebrem urbi poſt expugnationem habere auſi, inſtituit auctor, qui ſe inſcripſit *Theoph. Lampertum*,

Digitized by Google

pertum, Theologum Magdeburgenſem. Nihil vidimus, quod exacerbationem animorum apertius proderet. Ad An. XXXII. veriſsima admonet Boehmius, conditionibus iis, quas *Brachelius* retulit, longe graviores alias Imperatori Wallenſteinium, antequam imperium exercitus rurſus ſuſciperet, extorſiſſe, auctore *Khevenhillero*. Eſt nobis libellus, hoc eodem anno publicatus, in quo oratio regis Guſtavi ante Norimbergenſem pugnam habita, conditiones ab eodem Bavaro et ſociis oblatae, ſi nullis partibus addicti haberi vellent, et conditiones conceſsi Wallenſteinio imperii, comprehenduntur. In his una eſt, ut Imperator huic e terris Auſtriacis portionem pro praemio ordinario tribuat; alia, ut e provinciis in poteſtatem redigendis, ea, quae ſummam in imperio dignitatem et iura eximiora habeat, eidem extra ordinem pro mercede navatae operae cedat; alia, ut publicare quorumvis bona queat, neque tamen rationem ullam ſupremis imperii iudiciis reddere cogatur; alia, ut tam proſcriptio, quam veniae conceſsio, Imperatore, utpote nimis leni, excluſo, in unius Wallenſteinii poteſtate ſint. Et quis non videat, quousque ea pertigerint? Docta atque prudens eſt Boehmii p. 122. dubitatio, cuius facinore rex Guſtavus ceciderit? Bibulas aures vulgo commodent, qui voluerint; nobis Sueci, natalibus et dignitate clari, qui ſuos maiores in eadem acie ſtetiſſe memorabant, Guſtavum per nebulam via deerraſſe, et propinquae ſtationis hoſtilis ictus incurriſſe, aliosque e comitatu ſimul vulneratos fuiſſe, confirmarunt. Ad An. XXXIX. ubi de morte Bernhardi Vinarienſis erudite Boehmius, adhiberi rurſus poteſt *Dominus de S. Lazaro*, qui invidendas prorſus laudes in eum congerit, quo ipſo ſuſpicio de Richelii ſcelere, ad cuius ſenſus pleraque hic ſcriptor compoſuit, tolli videtur. Inter epitaphia, quae illic leguntur, unum vitam Caeſaris, mortem Alexandri ipſi tribuit, quod ambiguum erit, ad venenumne, an ad intemperantiam reſpiciat? Sed illud inſulſum, quod poetaſter epigramma clauſit: quamvis Germanus fuerit, animum tamen habuiſſe Francicum. Longe melius alter: ſublatum eſſe Dei

manu,

Digitized by Google

manu, quia dextris hominum cadere non potuerit. Ad An. XL. aliquid notatur de exercitus imperatorii et Suecici ad Salfeldiam caſtris. Nos *Caſp. Sagittarii* Chronicon Salfeldenſe necdum publicatum poſſidemus, in quo a VI. Kal. Mai. usque ad VIII. Id. Iun., quo ante triduum digreſſos Suecos Auſtriaci inſecuti, acta cuiusque diei magna cura conſignata ſunt. Ceterum editor ubique id egit, ut quam emendatiſſimum prodiret opuſculum, reſtitutae verae lectionis redderetur ratio, et optima quaeque monumenta indicarentur, e quibus fides rerum geſtarum liquido conſtaret. Praeclaro etiam conſilio Forſtneri epiſtolam de electoralibus comitiis, Ratisbonae A. C. cIↃIↃCXXX. habitis, editam olim a Berneggero, ſub ficto Theodoſii Berenici nomine, in fine ſubiecit, indicemque valde commodum adiunxit. De illis comitiis quum accuratiſſime retulerit et iudicaverit Forſtnerus, et epitomes auctor, iucundiſſimum nobis fuit inter libellos noſtros numerari ipſa plena acta A. C. cIↃIↃCXXXI. ſingulatim publicata; quae licet poſtea a Lundorpio denuo exhibeantur, eo integriori teſtimonio erunt, quod inſigne Moguntinae typographiae, ſine alia loci mentione, in fronte praeferunt.

Gratulamur ergo rerum communis patriae ſtudioſis hoc munus, quod Boehmius, V. Ampliſſ. eo ipſo tempore, quod purpura Academiae noſtrae negotioſum et curis plenum fecerat, poſteritati conſecravit, optamusque, iisdem auſpiciis, plura aeque illuſtria monumenta nomini Germano erigenda.

NOVA ACTA PHYSICO-MEDICA ACADEMIAE Caeſareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curioſorum, exhibentia ephemerides ſive Obſervationes, Hiſtorias, et experimenta, a Celeberrimis Germaniae et exterarum Regionum Viris habita et communicata, ſingularique ſtudio collecta. TOMUS SECUNDUS. Accedunt Appendix et Tabb. aen. XI.

Norimbergae 1761. impenſis Wolfgangi Schwarzkopfii.

Tot pulcris utiliſſimarum obſervationum collectionibus, quas Illuſtris Naturae Curioſorum Academia a prima ſua origine ad hunc usque diem publici iuris fecit, cum res phyſica et medica aegre caruiſſet, novum hunc Tomum non ſine grati animi ſignificatione excipient Medici et rerum phyſicarum amatores. Ipſa rerum tractatuumque hoc Tomo comprehenſorum copia facit, ut praeter obſervationum diſſertationumque inſcriptiones nihil his noſtris Actis inſerere posſimus. Conſtat autem hoc Volumen ex ipſo Tomo, eique annexa appendice. Exhibentur igitur hic: 1) *Obſerv. Ioſeph. Benvenuti* de Aſthmate gravisſimo, ex irregulari et intercepto podagrae hereditariae decurſu oborto, in lethalem hydropem aſcitem tranſeunte. *Obſ. 2. Gottwald Schuſteri* de certis praeſidiis in affectibus pectoris tusſiculoſis. *Obſ.* 3. *Eiusdem* de certis in aſthmate cachectico praeſidiis. *Obſ.* 4. *Eiusdem* de certis pro obtinenda haemorrhoidum reſeratione et diſcusſione praeſidiis. *Obſ.* 5. *Eiusd.* de certis praeſidiis in affectibus hypochondriaco-flatulentis. *Obſ. 6. Eiusd.* de certis praeſidiis in puerperarum doloribus et diarrhoea. *Obſ.* 7. *Eiusd.* de certis in diarrhoea bilioſa et dyſenteria praeſidiis. *Obſ.* 8. *Eiusd.* de certo praeſidio in periculoſo variolarum ſtatu, morbisque ex lymphae vitio prognatis. *Obſ.* 9. *Eiusd.* de certis praeſidiis in praecavendis variolis et morbillis. *Obſ.* 10. *Franc. Ant. Cohauſen* de epilepſia uſu ſaponis Veneti curata. *Obſ.* 11. *Henr. Ioſ. Cohauſen* de fluxu coeliaco cum diabete complicato, feliciter tandem ſanato. *Obſ.* 12. *Rud. Chriſt. Pfaffii* de inteſtini colo a copioſis ceraſorum nucleis, poſt herniae incarceratae repoſitionem deglutitis, in ſcroto perforato, feliciterque iterum conſolidato. *Obſ.* 13. *Car. Aug. a Bergen* de ſpecie quadam Piſtaciae. *Obſ.* 14. *Eiusd.* de cardiaca Gigantea. *Obſ.* 15. *Eiusd.* de Laburno. *Obſ.* 16. *Eiusd.* de Rhamno quodam exotico. *Obſ.* 17. *Eiusd.* de Euphorbio cerei effigie. *Obſ.* 18. *Io. Wolfg. Fr. Boenneken* leucophlegmatiam, ex febre quartana perverſe curata obortam, feliciter tandem ſublatam narrat. *Obſ.* 19. *Idem* febrem quotidianam intermittentem, cum tumore

more crurum oedematoſo coniunctam, tandemque mutatam in febrem quartanam, cortice Peruviano feliciter curatam eſſe docet. *Obſ.* 20. *Idem* de Cortice Simarubae, eiusque ſaluberrimis effectibus in dyſenteria. *Obſ.* 21. *Idem* de fluxu hepatico chronico, cortice Simarubae curato. *Obſ.* 22. *Idem* de lienteria chronica, cortice Simarubae curata. *Obſ.* 23. *Io. Guil. Widmann* de largiori haemorrhagia, octavo demum poſt dentis evulſionem die exorta. *Obſ.* 24. *Wolfg. Thom. Rau* de pluvia purpurea Ulmenſi, quae d. XV. Novemb. MDCCLV. ibidem cecidit. *Obſ.* 25. *Idem* continuat obſervationem XLVtam, in Actor. Academiae Volum. X. contentam, de fiſtula dorſali, ſeu potius intercoſtali rebelli, tandem conſolidata. *Obſ.* 26. *Idem* de lapide Malachite. *Obſ.* 27. *Matth. Georg. Pfann* de perniciosiſſimo prunarum vapore. *Obſ.* 28. *Io. Gottl. Schaeffer* tradit hiſtoriam ſectionis obeſi iuvenis, ex pinguedine nimia mortui. *Obſ.* 29. *Io. Chriſt. Hennicke* de hernia incarcerata cum ſphacelato ex contuſione teſticulo, et inteſtini per lumbricos egreſſos perforatione. *Obſ.* 30. *Iac. Chriſt. Schaeffer* de virgine articulate et diſtinctim canente, ſermonis autem uſu deſtituta. *Obſ.* 31. *Crat. Godofr. Hennicke* de inſectis volitantibus ab infante anniculo per os et alvum redditis. *Obſ.* 32. *Idem* de medicamento euporiſto contra vitiligines. *Obſ.* 33. *Idem* de morte inopinata puerperae ex rupto clandeſtino apoſtemate. *Obſ.* 34. *Idem* de graviditate et partu feliciter ſuccedente, praeſentibus licet praegrandibus meſenterii atheromatibus. *Obſ.* 35. *Ioſ. Benvenuti* de reſectione molis cuiusdam carnoſae e vagina prolapſae, et utero ſimillimae, deque obſervatis in eiusdem mulieris cadavere. *Obſ.* 36. *Idem* de viribus aceti vini egregiis. *Obſ.* 37. *Wolfg. Iac. Müllneri* de uteri procidentia vera et ſpuria, ſeorſim de ſarcomate. *Obſ.* 38. *C. A. a Bergen* de Microcoſmo, bellua marina omnium vaſtiſſima. *Obſ.* 39. *Idem* de rectificatione Characheris Aloidis. *Obſ.* 40. *Eiusdem* relatio de ſtatu meteorologico - epidemico, Francofurti ad Viadrum praeterlapſa hyeme obſervato. *Obſ.* 41. *Idem* de morbo truculento infantum, illo anno Franco-

 furti

Digitized by Google

furti et in vicinia graſſante. *Obſ.* 42. *Idem* de perſeverantia virtutis electricae in corpore electricitatis derivativae. *Obſ.* 43. *Rud. Frid. Ovelguen* habet varias obſervationes de ganglio, eiusque cita ſubitaque curatione duplici. *Obſ.* 44. *Idem* de Trifolio acetoſo enterocceles remedio, variaque alia de hac herbula, et nonnulla de eius ſale eſſentiali. *Obſ.* 45. *Idem* de Carlina ſilveſtri ardoris ventriculi ſeu Sodae remedio, cui praemiſſa eſt rarioris repertae ſpeciei deſcriptio, quae forte multicaulis, vel multiflora dicenda. *Obſ.* 46. *Idem* de cariei dentium cauſa, a multis minus hactenus obſervata, dataque per hanc occaſione opportuna, deque nonnullis circa uſum et abuſum potus herbae Thee et Caffee. *Obſ.* 47. *Idem* de Odontolgiae ſcorbuticae curatione. *Obſ.* 48. *Idem* de Odontolgiae catarrhalis remedio. *Obſ.* 49. *Idem* de Odontolgiis aliis, ad quae adnexae ſunt obſervationes circa peti uſum et abuſum. *Obſ.* 50. *Io. Burmannus* de charactere Wachendorfiae Thyrſiflorae. *Obſ.* 51. *Idem* de charactere Wachendorfiae paniculatae. *Obſ.* 52. *Idem* de charactere Ferrariae. *Obſ.* 53. *Io. Chriſt. Hennicke* de lactis aſinini uſu. *Obſ.* 54. *Idem* de variolarum, nec contagioſarum, nec epidemicarum, diverſa, eadem in domo, indole. *Obſ.* 55. *Io. Bernh. de Fiſcher* de naevo monſtroſo in cane ex imaginatione matris. *Obſ.* 56. *Idem* de lethali obſtructione alvi. *Obſ.* 57. *Idem* de paſſione hyſterica cum pulſu epigaſtrico. *Obſ.* 58. *Crat. Godofr. Hennicke* de ſemiparalyſi linguae cum ſyndrome aliorum malorum. *Obſ.* 59. *Idem* de viribus ſingularibus ſimplicium. *Obſ.* 60. *I. F. C. Klimm* de ſymptomatis gravisſimis, fere lethalibus, obortis a ſeminibus deglutitis belladonnae viroſae. *Obſ.* 61. *Zach. Vogel* de calculo ex veſica fellea methodo nova exſecto. *Obſ.* 62. *Idem* de carcinomatis occulti generatione, eiusque curandi methodo plane ſingulari et nova. *Obſ.* 63. *Idem* de cancro ſiniſtrae mammae a cauſis internis orto, et in ſuppurationem deducto, feliciter quidem curato, at poſtea in genitalibus lethali reddito. *Obſ.* 64. *Idem* de maxilla inferiori retrorſum luxata, et ſingulari quadam methodo reſtituta.

Obſ

Digitized by Google

Obſ. 65. *Io. Chr. Iacobi* de cerae flavae uſu interno valde proficuo. *Obſ.* 66. *Eiusdem* tentamina ad ſolutionem ſuccini ſpectantia. *Obſ.* 67. *Eiusdem* experimenta chymica quaedam. *Obſ.* 68. *Wolfg. Iac. Müllner* de abſceſſu hepatis per ſectionem ſanato, una cum cholelithis tam arte extractis, quam per alvum excretis. *Obſ.* 69. *Chriſt. Fr. Kühn* de viribus acidularum Ruhlanarum. *Obſ.* 70. *Eiusdem* enumeratio potiorum circa Iſenacum occurrentium plantarum. *Obſ.* 71. *Eiusdem* hiſtoria morborum epidemicorum, qui cives Iſenacenſes durantibus belli calamitatibus afflixerunt. *Obſ.* 72. *Idem* de ſingularibus quibusdam feminae, manibus pedibusque deſtitutae, ex morbo praegreſſo. *Obſ.* 73. *Io. Seb. Albrecht* de foetu humano bicipiti, et corpore ad pectora connato. *Obſ.* 74. *Idem* de gemellis, quarum altera praegrandi hernia umbilicali nata, altera ſalva. *Obſ.* 75. *Idem* de lue boum non contagioſa, nec proinde epidemica, ſed tantum endemia. *Obſ.* 76. *Ferd. Iac. Baier* de verrucis poſt veſicatorium recens applicatum ſubortis. *Obſ.* 77. *Idem* de angina maligna in plures linguae abſceſſus ſalutariter degenerante. *Obſ.* 78. *Ioſ. Benvenuti* de Sale thermarum Lucenſium. *Obſ.* 79. *Henr. Frid. Deſius* de naevis vere maternis. *Obſ.* 80. *Idem* de haemorrhagia narium, ſtudio ac iure meritoque ſuppreſſa. *Obſ.* 81. *Idem* de convulſione ſalutari. *Obſ.* 82. *Georg. Dion. Ehret* de Arboribus Saſſafras dictis, et Londini cultis, earumque floris charactere. In *Appendice* reperiuntur: 1) *Car. Aug. a Bergen* Claſſes conchyliorum. Eſt tractatus iuſti Voluminis. 2) *Franciſci Comitis Roncalli*, Parolini, epiſtola ad *Sylveſtrum Antonium Ponticelli* data, de variolarum inſitione. Quae eſt ea ipſa diſſertatio, de qua nos pridem iudicium tulimus. 3) *Io. Frid. Hoffmannus* de generatione lapidum, praecipue globoſorum. 4) *Gottwald Schuſteri* obſervationes medicae circa ſecuritatem et certitudinem remediorum in ſingularibus quibusdam morbis. 5) *Io. Petri Eberhardi* Commentatio de colore aeris. 6) *Chriſtoph. Iac. Trew*, Illuſtris Directoris Academiae, brevis hiſtoria naturalis arboris Saſſafras dictae, Lauri ſpeciei, et

et quaedam de Lauri ſpeciebus in genere, occaſione obſervationis LXXII. huic Volumini inſertae.

IO. DANIELIS TITII
Mathem. Prof. Witeberg.

Supplementum ad animadverſiones ſuas mathematicas, Actis Eruditor. *P. I. Menſis Martii h. a. p. 114. ſeqq. inſertas.*

Cum nuper obſervationes quaedam mathematicae, ex ſchedis meis depromtae, Actis Eruditorum (cit. loco) insererentur, factum eſt ut nonnulla, ad pleniorem Problematis N. IV. propoſiti ſolutionem quae facere quidquam poſſe poſtea perſpexi, ibi ſint omiſſa, quae nunc paulo latius repetere libet. Scilicet p. 117. lin. ult. legendum eſt $A = \frac{a}{2} = \frac{1}{2}a$. Poſt illa haec addantur:

Quoniam autem denominator in tres factores inaequales dividi poteſt, nempe in z et $1-z$ et $1+z$, exemplum propoſitum, monente cl. Kühnio, Prof. Math. Ged. Praeceptore olim meo, eodemque fautore, in tres fractiones partiales diſſolvere, atque ex functionum doctrina, ductu ill. Euleri *(Introd. in analyſ. infin. §. 41.)* ex quo fractio praeſens depromta eſt, tractare licet; cuius ſecundum regulas ſequens iam prodibit calculus. Dicantur Numeratores, ut antea, A, B et C; itaque $\frac{M}{N} = \frac{A}{p-qz} + \frac{P}{S}$ *(conf. Eul. c. l.)* adeoque $\frac{M}{(p-qz)\,S} = \frac{AS+P(p-qz)}{(p-qz)\,S}$, et $\frac{M-AS}{(p-qz)} = P$. Sed per hypotheſin P eſt fractio integra, et $M-AS$ per $p-qz$ plane dividitur. Poſito ergo $p-qz=0$ (id, quod per naturam quantitatis variabilis ab Eulero §. 3. c. l. deſcriptam ponere licet); ob $1 : P = (p-qz) : (M-AS)$, habebitur $(M-AS) = \frac{(p-qz).\ P}{1} = \frac{0.\ P}{1} = 0$; et

hinc

hinc $M = AS$, tandemque $\frac{M}{S} = A$. Quodſi ergo ex ſingulis denominatoris N factoribus ſimplicibus, dummodo ſint inter ſe inaequales, eadem methodo, huiusmodi fractiones ſimplices $\frac{A}{p-qz}$ formentur, harum functionum ſimplicium omnium ſumma erit aequalis functioni propoſitae $\frac{M}{N}$. Ea univerſalis methodus, ut ad functionem quandam adcommodetur fractam, ſumamus fractionem antea poſitam $\frac{M}{N} = \frac{a}{z-z^3}$, cuius denominatoris factores habentur z, $1-z$ et $1+z$, adeoque tres fractiones quaeſitae partiales ſunt ſequentes $\frac{A}{z} + \frac{B}{1-z} + \frac{C}{1+z}$. Ad numeratores incognitos determinandos, fiat 1) $\frac{M}{N} = \frac{M}{(p-qz)S} = \frac{a}{z(1-z^2)}$, erit $A = \frac{M}{S} = \frac{a}{1-z^2}$, poſito $p-qz = 0$, ſeu $z = 0$, hoc eſt, erit $A = \frac{a}{1-0} = a$. 2) $\frac{M}{N} = \frac{M}{(p-qz)S} = \frac{a}{(1-z)(z+z^2)}$; erit $B = \frac{M}{S} = \frac{a}{z+z^2}$, poſito $p-qz = 0$, ſeu $1-z = 0$ ſeu $z = 1$; adeoque $B = \frac{a}{1+1} = \frac{a}{2} = \frac{1}{2}a$. 3) $\frac{M}{N} = \frac{M}{(p-qz)S} = \frac{a}{(1+z)(z-z^2)}$; erit $C = \frac{M}{S} = \frac{a}{z-z^2}$, poſito $p-qz = 0$, ſeu $1+z = 0$, ſeu $z = -1$; conſequenter $C = \frac{a}{-1-1} = \frac{a}{-2} = -\frac{1}{2}a$. Sunt ergo tres fractiones partiales quaeſitae $\frac{a}{z} + \frac{\frac{1}{2}a}{1-z} - \frac{\frac{1}{2}a}{1+z}$; quae ſi actu addantur, erit ſum-

Digitized by Google

$$ma = \frac{a(1-z^2)+\frac{1}{2}a(z+z^2)-\frac{1}{2}a(z-z^2)}{z-z^3} = \frac{a - az^2+\frac{1}{2}az+\frac{1}{2}az^2-\frac{1}{2}az+\frac{1}{2}az^2}{z-z^3} = \frac{a}{z-z^3}$$ = functioni ad ſolvendum propoſitae.

FRIDERICI WILHELMI SARTORII, DANTISCANI, SS. Theol. Doctoris, Inferioris Luſatiae Superintend. Generalis, Conſiſtorii Regio-Elector. Aſſeſſoris, Paſtoris Lubbenenſis Primarii, Eccleſiarum Scholarumque Luſat. Inſpectoris, rel. Commentatio Critica ſacra de Metempſychoſi Pythagorica, a diſcipulis Chriſti et gente Iudaica ante excidium Hieroſolymitanum ſecundum non recepta. Ad illuſtranda loca Matth. XIV, 2. XVI, 14. Ioh. IX, 2. et Libri Sapient. VIII, 19. 20.

Lubbenae Luſatorum, apud Io. Ioach. Ahlfeldium, Vitembergae, et Io. Mich. Driemelium, Lubbenae, MDCCLX. 11. plag. in 4.

Valde nos delectavit doctus hic et elegans libellus Ven. *Sartorii*, Viri doctiſſ. qui, etſi eum labores pro Eccleſia Chriſti ſuſcepti facile ab omnibus reliquis negotiis excuſarent, tamen, pro ſummo ſuo in optima quaeque ſtudia, has quoque nobis otii ſui, ſi quod relinqueretur, rationes reddere voluit. Nam cum recepta a plurimis ſit ſententia, Metempſychoſin Pythagoream, quae in Aegypto nata, Graecos apud et Romanos, nec minus inter Chriſtianos quoque et Iudaeorum nonnullos recentiores habuerit amatores, hanc a diſcipulis quoque Chriſti vetuſtioribus fuiſſe creditam; Noſter, quod nihil inveniret, cur hoc exiſtimaret ita eſſe, maluit difficilior in affirmanda hac re eſſe. Quamquam etiam videret, illius ſententiae principes noſtra aetate, *Heumannum* et *Bruckerum*, ſummos viros, extitiſſe: auctoritatem tamen minus

minus apud ſe, plurimum rationes valere debere exiſtimavit. Metempſychoſis vero ipſa duplex eſt: alia, qua protinus animi e corpore in aliud corpus tranſeunt; alia, qua ſuo tempore, poſt longa demum intervalla, denuo in corpora dimittuntur. Priorem rationem proprie μετεμψύχωσιν, alteram μετενσωμάτωσιν dicunt; quae, quamquam interdum etiam veteribus ipſis confunduntur, tamen ſubtilius diſputanti ſeiungenda ſunt, extitit enim utraque opinio. Aegyptii vero, cum docere vellent, immortales eſſe animos, ſumebant id, quod difficilis eſt affirmationis, animos ante corpora diu extitiſſe. Iudaei quoque, ſed noſtri, non illi veteres, mira quaedam habent commenta. Aiunt enim, corpori naſcenti adiici animum, qui corpus gubernet, patiatur, et extinguatur etiam cum ipſo, idque *Gilgul* vocant. Aliud eſt commentum, quod *Ibbur* appellant. Accedere enim aiunt iſti animo, qui iam plures annos in corpore commoratus fuerit, alium, qui genii aut magiſtri loco ſit, et grandior natu atque adeo ſapientior, regereque illum priorem. Id cum neque vetuſtiſſimi Iudaeorum crediderint unquam, neque veſtigia eius rei ulla, etiam ceteros inter Iudaeos, qui ſint antiquiores melioresque, extent; recte negantur diſcipuli Chriſti his infecti erroribus fuiſſe, qui, etiamſi a nonnullis mitius explicentur, tamen et carent rationibus, et repugnant rationi, ut nihil de Theologia dicamus. Ille vero locus Io. IX, 2. ubi diſcipuli Chriſtum rogant, quisnam peccaverit, illene ipſe qui coecus natus erat, an potius eius parentes? hic igitur locus videri poſſet alicui id innuere, diſcipulos tale quid ſtatuiſſe; neque enim peccato potuiſſet demereri, ut coecus naſceretur, niſi anima eius revera ante quoque extitiſſet. Adiungunt deinde illa Matth. XIV, 2. et XVI, 14. De quibus omnibus nunc videamus. Ven. Sartorius adverſus duumviros illos nobiles, Heumannum et Bruckerum, diſputat. Verſatur autem tota res in eo, ut demonſtretur primum, floruiſſe Metempſychoſin tunc inter Iudaeos; quod ſi certum eſſet, facilior tranſi-

tus eſſet ad alterum, diſcipulos quoque Chriſti id Io. IX, 2. in animo habere: nam reliqua duo loca nihil fere probant, ut inſpicienti facile patet. Utuntur itaque, qui vetuſtatem eius ſententiae Iudaicae aſſerunt, Ioſephi auctoritate, de bello Iudaico II. c. 8. §. 14. edit. Haverc. Verba ſunt: ψυχὴν πᾶσαν μὲν ἄφθαρτον, καταβαίνειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα, τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνην, τὴν δὲ τῶν φαύλων ἀιδίῳ τιμωρίᾳ κολάζεσθαι. Maldonatus et Camero, ut effugerent haec, ingenioſa interpretatione uſi ſunt: εἰς ἕτερον σῶμα καταβαίνειν aiunt eſſe, ſuum corpus, ſed ἕτερον, id eſt longe aliud ac olim fuit, melioris praeſtantiorisque conditionis, recuperare: quod ſi hoc eſſet, duriuſcule quidem, ut arbitror, locutus eſſet Ioſephus, ſed non inuſitate tamen graecis, apud quos dicendi rationes ſimiles ſaepe occurrunt. Nam, quae ſententia Moshemii eſt, Ioſephum, quae ipſe, aut pauci praeterea alii exiſtimaſſent, ea omnibus Phariſaeis, qui valde inter ſe pugnaverint, tribuiſſe, id nobis tamen non eximit hoc, fuiſſe tum inter Iudaeos illam fabulam, ſive iam inter hos, ſive illos fuerit. Dignus tamen locus eſt, qui excutiatur a viro docto aliquo uberius, valde enim favet antiquitati illius ſententiae Pythagoreae, ut videtur. Alter Ioſephi locus eſt in Archaeolog. l. XVIII. c. 1. §. 3. Haverc. Ἀθάνατόν τε ἰσχὺν ταῖς ψυχαῖς πίστις Φαρισαίοις εἶναι, καὶ ὑπὸ χθονὸς δικαιώσεις τε καὶ τιμὰς, οἷς ἀρετῆς ἢ κακίας ἐπιτήδευσις ἐν τῷ βίῳ γέγονε· καὶ τῶν μὲν εἱργμὸν ἀΐδιον προστίθεσθαι· τῶν δὲ ῥᾳστώνην τοῦ ἀναβιοῦν. Poſſet hoc, ſecundum genium graece linguae, eſſe, *vacationem a reditu in vitam*, hanc ſc. miſeram, quae fit per metempſychoſin, uti Pythagorei quoque, deteriores tantum animas, quo purgarentur, in corpora nova includi perhibuere; niſi prior locus aliud innueret, praemii loco hunc reditum in vitam eſſe. Bruckerus autem ῥᾳστώνην, quod quietem, meliorem conditionem, vacuitatem a priſtino malo denotat, per facultatem explicat redeundi in vivos; quod probaremus, ſi

Digitized by Google

ſi exempla ex auctoribus adiecta eſſent. Haec tamen ſive ſic, ſive aliter ſint, tamen το ἀναβιοῦν non minus de reditu mortuorum in vitam, quam de metempſychoſi explicari poteſt. Anceps itaque eſt, i. e. nihil declarat, ut recte Vir Ven. monet. Affert igitur tertium: III. de bello Iud. c. 7. § 5. Καθαρὰι δὲ καὶ ὑπήκοοι μένουσιν ἀι ψυχαὶ, χῶρον οὐρανοῦ λαχοῦσαι τὸν ἁγιώτατον, ἔνθεν ἐκ περιτροπῆς αἰώνων ἁγνοῖς πάλιν ἀντενοικίζονται σώμασιν; quem locum Sartorius V. G. ait, commentarium in priores obſcuriores eſſe; et ſic bene ſe res haberet. Verum cum ipſe quoque ambiguus ſit, loquitur enim de corporibus puris, addit autem nihil, utrum per μετεμψύχωσιν alia futura ſint, an eadem per ἀναβίωσιν, ſed meliora: nos, ſi quid dicendum eſſet, exiſtimaremus, etiam hunc locum ad μετεμψύχωσιν, cuius iam ante in ſuſpicionem Ioſephus venit, pertinere; praeſertim cum περιτροπῆς αἰώνων mentio fiat, quae ad ſyſtema Pythagoricum pertinet, animos ſc. poſt revolutos ſyderum ortus ad priſtinam vitam, nova corpora, redire, ut vel e Virgilio libr. VI. apparet. Liceat itaque hic a Viro ſummo diſſentire. Sciebat Ioſephus Pythagoreorum ſententias, vir in his rebus verſatus, cautius itaque et expreſſius locutus eſſet; iam quod verba inclinant ad μετεμψύχωσιν facilius, ipſe quoque eo inclinaſſe, iudicandus eſt. Diſtinguit Sartorius noſter inter Metempſychoſin atque Metabaſin; alteram negat inter Iudaeos celebratam fuiſſe; Metabaſin eſſe Ioſepho reſurrectionem piorum, neque enim ceteros redituros ad vitam. quae ſententia veteribus valde celebrata fuit. Diſputat dein ſuper hoc argumento contra Bruckerum, Slevogtum, et Clericum, qui metempſychoſeos creditae culpam in Ioſephum conferunt; qua de re libellus ipſe potius videatur, neque enim haec excerpi poſſunt. Tota res ſic eſt, ut in defectu idoneorum teſtimoniorum, argumentis infirmioribus ac coniecturis ex utraque parte

 pugnan-

pugnandum ſit. Incipit iam Sectio altera, quae loca N. T. illuſtrat. Math. XIV, 2. ubi Herodes ait Ioannem Baptiſtam, quem occiderat, a mortuis rediiſſe, ut optime vidit Vir Vener. nihil niſi hoc habet, mortuos redire poſſe in vitam, minime vero hoc, animos e corpore in corpus transmitti. Sic quoque Math. XVI, 14. ubi Chriſtus interrogat ſuos, quem ſe homines putent eſſe? illique reſpondent, quosdam exiſtimare Iohannem Baptiſtam eum eſſe, qui iam occiſus erat, aut Eliam, aut alium quem Prophetarum. Quae omnia nihil aliud volunt, quam, demortuum prophetam cum corpore et anima rediiſſe in vitam, atque Chriſti perſonam induiſſe; nihil profecto aliud, niſi inferre velis ſenſum, quod aiunt, non efferre. Atque ea omnia recte et ordine ſe habent. Explicationes ipſae perplacent, ſunt enim faciles et naturales. Tota rei ſumma verſatur in Io. IX, 2. Chriſtus enim cum iret praeter aliquem, qui coecus natus erat, interrogabatur a ſuis, quisnam peccaverit? illene, an parentes, quod coecus natus eſſet, negavitque aut illum aut parentes peccaviſſe. Quaerendum iam eſſet, quomodo ipſe peccare potuerit, antequam naſceretur, demerueritque coecitatem, niſi per transmigrationem hoc ita factum eſſe dicatur. Ingenioſius noſter. Sic enim dicit: diſcipulos Chriſtum rogaſſe utrumque, quaſi ſyllogiſmum cornutum proponerent, negarent membrum alterum, ſc. peccare antequam natus ſit, penitus, ut abſurdum; remanere itaque alterum unicum, ut parentes forte aliquam culpam contraxerint, quae luenda nunc filio coecitate eſſet. Adduntur in veritatem rei argumenta haec. Ait auctor, notam doctrinam de peccato originis Iudaeis fuiſſe tempore Chriſti, idque ſimul eos ſtatuiſſe, unum infantem plus originariae corruptionis altero habere. De priore nullo modo dubitamus, recte Iudaeos de peccato originis ſtatuiſſe; alterum de

gra-

gradibus corruptionis, vellemus poſſet luculentius declarari teſtimoniis. Porro eos exiſtimaſſe, eum qui inſigni aliquo infortunio, ſive in corpore, ſive fortunis, aut alia ratione mulctatus eſſet, ſceleſtum hominem eſſe aut ipſum, aut tales parentes habuiſſe, praeſertim cum Deus ipſe minatus ſit, ſe peccata interdum in liberis quoque ſceleſtorum hominum puniturum. Putarunt itaque, coeci illius parentes peſſimos fuiſſe homines, de filio ipſo, quod ante nativitatem peccaverit, nihil perhibent; neque enim hoc exiſtimabant fieri poſſe. Moroſiores fortaſſe ſumus in diſputando, vellemus enim potuiſſet et hoc clarum fieri, plus eſſe rationis cur diſcipulos ſic interrogaſſe dicamus, atque illud alterum de μετεμψυχώσει plane abeat; quanquam in re adeo obſcura, ultra veri ſpeciem nonnullam aſcendi non poteſt. Namque Deum, ob praeviſa ſcelera, illum viſu privaſſe, id non putat auctor a diſcipulis creditum fuiſſe; quamquam eſt aliquid in ea coniectura, quod ab ſimpliciori diſcipulorum et rudi ingenio non abhorreat. Sunt alii, qui animos ante corpora vixiſſe aiunt, et tunc fortaſſe illum peccaſſe conieciſſe apoſtolos. Quodſi certum fieri poſſet, Iudaeos veteres ita exiſtimaſſe de animis, tota res facilis eſſet. Metempſychoſis vero ipſa tantum poſt excidium Hieroſolymitanum extitit inter Iudaeos; quod ante quoque fuerit, nuſquam veſtigium invenietur. Extat denique aliquid in libro Sapientiae VIII, 19. 20. quod nihil minus habet, quam veſtigia metempſychoſeos, nihil enim aliud vult, quam hoc: animum nempe ſuum generoſum fuiſſe et bonum, atque ita quoque corpus immune ac purum ſe ſortitum eſſe. Nihil hic de migratione animorum. Veruntamen quid ibi ſit μᾶλλον ἀγαθὸς ὤν, non intelligimus. Locus ipſe evolvatur Sapient. VIII, 19. 20. ſi cui volupe eſt cognoſcere. Plurimi, cum Luthero, de emendatione per educationem facta intelligunt, verum hoc contortius eſt, ut nobis quidem videtur.

Quae

Quae cum ita ſint, cum hic libellus magnopere faciat ad rem univerſam explicandam, ſeque eruditione, ſubtilitate, ſuavitateque ſua ipſe commendet, nos nunc nihil addimus praeter hoc: religionem noſtram prae miſera illa catholica hoc quoque praeclari habere, quod ſtudia bonarum artium adiuvet, noſtrique ſacerdotes ſinguli ſaepe plus ſciant, quam tota adverſariorum monaſteria. Nos itaque nobis in *Sartorio* ſacerdotem ſanctum, virumque doctum gratulamur.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Maii Anno MDCCLXI.

ΔΗΜΟΣΘΕΝΟΥΣ ΑΙΣΧΙΝΟΥ ΔΕΙΝΑΡΧΟΥ ΚΑΙ ΔΗΜΑΔΟΥ ΤΑ ΣΩΖΟΜΕΝΑ GRAECE ET LATINE.

TOMUS SECUNDUS. EDIDIT IO. TAYLOR LL. D. Eccleſiae de Lawford in agro Eſſexienſi Rector, Archidiaconus Buckinghamienſis, et Dioeceſeos Lincolnienſis Cancellarius.

Cantabrigiae 1757. typis Academicis, Alph. 4. plag. 4. in 4.

Nomen *Taylori*, Viri ſummi, atque merita, ut omnino in Graecas litteras, ita maxime in Iurisprudentiam eloquentiamque Atticam, et diſciplinae utriusque auctorum optimorum principumque ſcripta, multo notiora ſunt et maiora, quam ut noſtris laudibus acceſſionis aliquid adipiſci poſſe videantur. Critices quidem artis facultas iuſta, uſusque Codicum manu ſcriptorum diligens; linguae et hiſtoriae Graecae cognitio eximia; iurium, legum, inſtitutorum, morum denique Atticorum ſcientia excellens, quae in notis ad Lyſiam, Lycurgum, aliisque libris cernitur, quam in animadverſionibus ad primam Partem Orationum Demoſthenis admirati ſunt lectores omnes, neque admirari unquam deſinent, eadem e notis ad ſecundam hanc earum Partem abunde elucet.

Digitized by Google

Continentur autem Parte illa, praeter epiſtolas Aeſchinis duodecim [p. 725 — 748.], orationes Demoſthenis duae, altera περὶ παραπρεσβείας [p. 109 — 236.], de Corona altera [p. 465 — 592.]: Aeſchinisque tres, prima contra Timarchum [p. 9 — 82.], ſecunda περὶ παραπρεσβείας [p. 239 — 306.], tertia contra Cteſiphontem [p. 361 — 464.]: quibus praemiſſa eſt Praefatiuncula Hieronymi Vuolfii Graeca [p. 1 — 8.]. Textum Graecum, qui totus ductus eſt, paucis locis exceptis, e Vuolfiano exemplo, et cui in ſingulis paginis Verſio eiusdem *Vuolfii* latina ſubiecta iacet, excipiunt *Taylori* animadverſiones, quibus adiunctae ſunt notae *Vuolfii*, *Brodaei*, *Iurini*, cuius mortem immaturam *Taylorus* alicubi [p. 347.] valde deflet, *Marklandi*, aliorumque, etiam *Lambini* coniecturae. Nos vero, omiſſis harum bonis, properabimus ad copias et divitias notarum *Taylori*, et quid ingenio, diligentiae, doctrinae Viri magni debeant etiam hae orationes, paucis lectores noſtros docebimus.

Dicemus primo de textu Graeco. In eo conſtituendo non ſolum adhibuit *Taylorus* Grammaticos veteres, et in his Harpocrationem maxime, et Scholiaſtas, a quibus vel ſingula vocabula, vel integri loci rhetorum Atticorum laudantur, ita quidem, ut et Grammaticorum ſaepe et rhetorum verba, negligentia librariorum depravata, comparandis inter ſe utrorumque libris, correxerit: verum etiam Codicibus manu ſcriptis uſus eſt iisdem, quibus uſus erat in adornanda Parte prima. In epiſtolis tamen Aeſchinis recenſendis contigit ei inſpicere Codicem tantummodo unum, neque eum admodum vetuſtum, quem *Richardus Mead* poſſedit nuper, ſed cuius dominus nunc celeberrimus ille Medicus, *Anton. Askew*, eſt: et in eiusdem Aeſchinis Orationibus emendandis conſuluit, praeter alios Codices, *Meadianum*, qui complectebatur omnia huius rhetoris ſcripta. In Codice *Vindobonenſi* legebatur tantum argumentum orationis Demoſthenicae περὶ παραπρ. una cum ſcholiis, ſed ipſa Oratio aberat. In reliquis Codicibus eminent in primis *Auguſtanus* et *Harleianus*, qui ab *Tayloro* [p. 339.] vocatur *optimus*, ita tamen,

tamen, ut multis locis non minus interpolatus ſit gloſſematisque refertus, quam alii. Sic pro ἐπὶ τῦ πολέμυ apud Demoſth. περὶ παραπρ. p. 147. in Cod. illo extabat ἐν τῷ πολέμῳ. quod quin gloſſema redoleat, quis dubitet? Cuius generis exempla alia nonnulla in varietate lectionis deprehendiſſe videmur. Neque enim tantum variantes lectiones Codicum, editorumque librorum veterum, diligenter attulit in notis ſuis *Taylorus;* ſed multos etiam locos, vel a librariis, vel a *Vuolſio*, corruptos, adiumento illorum et fide emendavit. *Vuolſius* enim ſolebat ſaepe, more non laudabili, negligere et deſerere auctoritatem omnium librorum, et coniecturas inculcare oppido leves. qua de re et noviſſimum Axiochi editorem, *Fiſcherum* V. Cl. iure conqueri meminimus, et *Taylorus* conqueritur non ſemel rectiſſime. Sic in Demoſthenis Oratione περὶ παραπρ. p. 118. pro ἀνηρειθμησάμην, quod in omnibus libris eſt, *Vuolſius* ἀπηρειθμησάμην dederat. In eadem Oratione paullo inferius [p. 189.] quum omnes libri et ſcripti et editi exhibeant περιήρηνται, *Vuolſius* edidit παρήρηνται. Quae, et alia huius generis, ut εὐθυνεῖσθαι [p. 393.] pro εὐθηνᾶσθαι, et ῥίπτοι pro ῥίπτει, etſi, operarum incuria, irrepſiſſe in exemplum Vuolſianum videri queant: tamen non putamus, idem dici poſſe de locis his. P. 195. in oratione Demoſthenis modo laudata libri ad unum omnes habent τὰς δὲ ὑπογραμματέας: ſed *Vuolſius* auſus eſt ſubſtituere, lectore non admonito, in locum eius lectionis hanc, τὰς δὲ γραμματέας· et in oratione Aeſchinis contra Cteſiphontem [p. 376.] edidit ἐξ ἑκάςης, contra fidem librorum, pro ἑκάςης ſimpliciter; et paullo poſt [p. 390.] ὡς ὑμας, quum tamen Pronomen ὑμᾶς in nullo libro compareat. Sic etiam apud Demoſthenem de Cor. [p. 489.] ex ingenio addidit δεῖ. Quos locos non correctos eſſe ab Tayloro, ſed relictos immutatos, eo magis miramur, quum aliis locis multis novas lectiones, libris antiquis ducibus et auctoribus, receptas ab eo eſſe norimus. P. 14. in orat. Aeſch. c. Timarch. fide Codd. Bern. Locker. Coisl. et Reg. 2. delevit ὄντος, et reſtituit ὄντας. Apud Demoſthe-

Digitized by Google

moſthenem περὶ παραπρ. [p. 123.] in editione Vuolfiana aliisque deſiderantur verba καὶ λεγόντων quae quum reperiſſet *Taylorus* in edit. Lutet. et in MSS. Aug. Harl., ea reddere Demoſtheni non dubitavit. Caeterum videtur idem Vir ſummus, in ſumma etiam diligentia, quam praeſtitit in laudandis librorum et ſcriptorum, et editorum lectionibus, tamen deeſſe nonnunquam cupiditati diſcendi lectorum, quod nominat vel ſimpliciter *Codices*, vel *plurimos Codices* [p. 324. et 325.], vel *unum exemplar* [p. 354.]. debebant enim poſſeſſorum quoque vocabula adiici. Sed ſatis de uſu Codicum in conſtituendo textu Graeco. Veniamus ad alterum textus conſtituendi adiumentum, hoc eſt, ad coniecturas. Neque enim inſeruit tantum *Taylorus* notis ſuis coniecturas alienas multas, ut *Marklandi, Toupii*, aliorum; ſed ipſe etiam e proprii ingenii theſauris depromſit protulitque ingentem earum multitudinem. Aliae nobis quidem mirifice placuere: alias vero iudicabamus vanas eſſe atque inanes. Utriusque generis, age, laudemus nonnullas. Et ad bonarum quidem neque contemnendarum emendationum claſſem pertinere arbitramur has. Pag. 12. in orat. Aeſch. c. Timarch. in verbis τὰ δὲ τῶν τυράννων καὶ τῶν ΟΛΙΓΑΡΧΙΩΝ, reſtituendum cenſet cum *Marklando* ΟΛΙΓΑΡΧΙΚΩΝ. P. 24. pro ἐπιγράφειν emendat ἐγγράφειν, hocque verbum ea in re proprium eſſe, cum e locis Demoſthenis duobus, tum ex Harpocratione et Polluce, demonſtrat. Paullo poſt p. 28. in verbis τῷ μὴ τἀληθῆ μαρτυρήσαντι deleri iubet ac induci particulam μή. P. 58. pro περικλώμενος *Marklandus* reponendum ſuſpicatus eſt περιελόμενος· quam Viri doctiſſimi coniecturam *Taylorus* et Codd. Pariſſ. et Locker. fide confirmari monet, et Thomae Magiſtri auctoritate, qui eum Aeſchinis locum attulit in vocabulo χλανίδιον. In Oratione Demoſthenis περὶ παραπρ. ait ſe quingentos fere locos, librorum veterum ope, adde etiam ingenii adiumento, integritati priſtinae reddidiſſe. Sic illam ipſam Orationem, quam a Demoſthene credit inchoatam tantum, neque perfectam et perpolitam eſſe, docet

inſcribi

Digitized by Google

inſcribi oportere κατ' Αἰσχίνȣ, παραπρεσβείας. quem uſum Genitivi pluribus illuſtrare inſtituit. In argumento Libanii pro ἠτίμασεν reſcribendum coniicit ἠτίμωσεν, quod verbo ἀτιμάζειν ea contumeliarum genera ſignificentur, quae ab hominibus, non quae a legibus proficiſcantur. In ipſa Oratione p. 127. pro Φωκέων καὶ θεσπιέων corrigendum contendit Φωκέων καὶ θηβαίων· quae permutatio horum nominum etiam p. 150. inveniatur. P. 133. poſt Φίλιππον inſeri iubet Φίλον· et p. 134. verba γράφοντας εἰρήνην ἀθάνατον, συνθέσθαι vitio diſtinctionis laborare oſtendit, quae ita mutanda ſit: γράφοντας εἰρήνην, ἀθάνατον συνθέσθαι. P. 148. legitur Κτησιφῶν καὶ Ἀριστόδημος τὴν ἀρχὴν τὴν πρώτην ἔφερον τȣ̃ Φενακισμȣ̃· in quibus verbis aut τὴν ἀρχὴν induci debere, aut τὴν πρώτην, iudicat: quippe quum alterutrum haud dubie natum ſit e gloſſemate. cui coniecturae pondus additur eo, quod in Cod. Reg. 4. et Harl. omiſſum erat τὴν ἀρχήν. P. 198. occurrunt verba, καὶ ὅτι σοφὸς ἦν ὁ ποιητὴς ὁ ταῦτα ποιήσας. Sed *Tayloro* eiiciendum videtur nomen ὁ ποιητής. nam id opinatur a quodam poſitum fuiſſe in margine, qui voluerit lectorem, cui ignota eſſet notio verbi ποιεῖν, admonere, ὁ ποιήσας idem valere quod ὁ ποιητής. Sic p. 208. tolli vult Participium δοθεῖσι, non minus quam verba οἱ προδιδόντες, et ὁ Φίλιππος, quae omnia aliunde irrepſiſſe ſuſpicabatur. In Oratione Aeſchinis, quae ſuperiori Demoſthenicae reſpondet, p. 285. legitur nunc quidem in omnibus libris δημοκήρυκες· at reponendum δρομοκήρυκες, ex Harpocratione certum exploratumque putat cum *Mouſſaco, Iungermanno, Meurſio*, et *Lambino*. P. 289. extant verba ἐχθὲς δ' ἂν ἔπω καὶ τήμερον τεθέληκάς με εἰσαγγεῖλαι παραπρεσβεύσασθαι. At *Taylorus* inter Infinitivos εἰσαγγεῖλαι et παραπρεσβεύσασθαι inſeri vult Coniunctionem ἀλλά, ita ut intelligatur Φῄς, vel ſimile verbum aliud. In pulcherrima illa Aeſchinis et elegantiſſima Oratione contra Cteſiphontem leguntur p. 388. in omnibus libris haec, καθ' ὑπερβολὴν δὲ αἰσχύνης κεκολακευκέτα Φίλιππον, καὶ τȣ̀ς παρ' ἐκείνȣ πρέσβεις ἐν ἀναμείναντα.

καντα. *Tayloro* autem videtur hic lacuna eſſe, quam negligentia et nimia feſtinatio librariorum fecerit. eam cenſet ita expleri debere, *καθ' ὑπερβ. δὲ αἰσχ. κεκ. Φιλ. καὶ τοὺς παρ' ἐκείνου πρέσβεις, τοὺς δὲ ὑμετέρους πρέσβεις οὐκ ἀναμείναντα.* nam oculi atque manus librariorum ei videntur, praeterito nomine *πρέσβεις*, quod primo loco poſitum eſt, ſtatim properaſſe ad alterum, eoque commiſiſſe, ut verba *τοὺς δὲ ὑμετέρους* omitterentur. id quod ex aliis eiusdem orationis locis docere conatus eſt. Hae igitur aliaeque coniecturae *Taylori* et *Markʼandi* bene multae, quis enim omnes commemoret? noſtro quidem iudicio, non ſunt contemnendae temere et repudiandae. Sed videntur tamen, ut ante diximus, multae etiam falſae in iis minusque neceſſariae eſſe, quas adeo indoles linguae Atticae ipſa vanitatis levitatisque facile convincat. P. 13. in verbis, *οὕτω γὰρ ἂν μοι μάλιστα ὑπολαμβάνω τοὺς λόγους εὐμαθεῖς γενέσθαι*, eum offendit Pronomen *μοι*, quod ait ipſum ſenſum reſpuere. At nobis ſecus videtur. nam Dativus ille, Dativum commodi vocant Grammatici, non modo orationi inſignem conciliat elegantiam, quae facilius ſentitur quam explicatur, ſed etiam, noſtrarum quidem aurium iudicio, rotundiorem numeroſioremque efficit orationem. P. 118. in oratione Demoſthenis in verbis *μνημονεύοντας ὑμῶν εὖ οἶδ' ὅτι τοὺς πολλοὺς ὑπομνῆσαι*, reponi, praeeuntibus Codd. Harl. et Reg. 1, vult *πολλοὺς*, deleto Articulo. At apud Platonem, Xenophontem, aliosque linguae Atticae auctores, *οἱ πολλοὶ* ſunt *plerique.* ut Plat. Apol. 1. *ἵνα ὑμῶν οἱ πολλοὶ ακηκόασι.* Xen. Cyrip. 1. p. 82. Hutchinſ. *οἱ νόμοι οἱ πολλοί.* Atque eodem modo Pauſanias 1, 4. dixit *οἱ πολλοὶ τῶν Ἑλλήνων*· et Palaephatus 7, 6. *οἱ πολλοὶ τῶν πολιτῶν.* P. 149. malle ſe oſtendit legere *τιμηθήσεται*, cum editt. Felic. Manut. et Pariſ. quam *τιμήσεται*, quod in reliquis libris editis atque ſcriptis eſt. Nos vero libenter praeoptamus formam alteram, non modo quia veteres Grammatici, ut Moeris et Thomas Magiſter, praecipiunt, formam *τιμήσεται* eſſe Atticam, ſed quia in aliis quoque verbis eadem forma uti ſolent

lent

Digitized by Google

lent Attici. ut σιωπήσεται Aeſchin. c. Cteſiph. p. 429. Omnino ſi alii libri exhibeant Mediam formam, Paſſivam alii, et ſenſus loci requirat Paſſivam; tum vero nos, in antiquis quidem idoneisque ſcriptoribus, formam Mediam ſemper Paſſivae praeferendam cenſemus, et contra. qua de re neminem poenitebit legiſſe ea, quae ad Thomam Magiſtrum [p. 852. ſ.] diſputat magnus *Hemſterhuſius*, quem ab ipſo *Tayloro* novimus tanti fieri, ut eum *ſenatus Criticorum principem* nominarit alicubi [p. 357.]. P. 170. pro ἐποίησαν χρόνον ſuſpicatur legendum ἐποιήσαντο χρόνον, quod in Benenati editione vidit legi ἐποίησαν τὸν χρόνον. At leges linguae atque naturam Activum, non Medium poſtulare, quid attinet dicere? Sic *Marklandus* quoque errare videtur, qui apud Demoſthenem p. 211. pro βασιλέα reſtitui vult τὸν βασιλέα, quod rex Perſarum appellatur ὁ βασιλεύς. recte. At eum etiam βασιλέα, omiſſo Articulo, ab Atticis nominari, multis, ſi opus eſſet, exemplis docere poſſemus. Et p. 428. pro ἑαυτοῦ idem ille Vir doctus perperam exiſtimat reponendum σαυτοῦ. quis enim neſcit, Pronomen ἑαυτοῦ etiam de ſecunda perſona recte dici, verbo eiusdem perſonae adiuncto? Neque vero veremur, ne *Taylorus* iis, quae hactenus diſputavimus, commoveatur, quum eum ſciamus praeditum eſſe tanta tamque rara modeſtia, ut ipſe ſoleat coniecturas ſuas reiicere, ſi uſus eum lectioque ſcriptorum veterum meliora docuerint: cuius modeſtiae exemplum egregium lectores invenient in notis ad Aeſchinis Orationem contra Timarchum p. 90. Sed coniecturae Viri ſummi non tantum ad ſingula verba et locos Orationum pertinent, verum etiam ad epiſtolas Aeſchinis omnes, quas propterea ſequi Demoſthenis Orationem de Corona voluit, quia argumentum earum cum iis, quae ibi et ab ipſo Aeſchine in Oratione contra Cteſiphontem dicuntur, ita cohaeret, ut male ſeparari videantur. Photius quidem [cod. 61.] novem tantum epiſtolas Aeſchinis, quae *Muſae* dictae eſſent, a ſe lectas oſtendit; hodie autem earum duodecim extant: quae an genuinae ſint, *Taylorus*, cum Francogallo quodam, qui in

Actis

Actis Litterariis Pariſienſibus de Aeſchinis vita expoſuit, vehementer dubitat. Cauſſae dubitationis hae ſunt. Primo epiſtolae illae neque ingenium Aeſchinis, neque orationis eius ubertatem, copiam, et vehementiam, referunt: deinde eas manifeſtum eſt reſpondere epiſtolis Demoſthenicis, quas nemo hodie eſt qui neget ſpurias eſſe et ſuppoſitas, ita ut videantur poſt has compoſitae eſſe, licet ſint Demoſthenicis longe elegantiores: tum ep. 12. Aeſchines dicitur matrem ſecum in exilium duxiſſe, agentem annum tertium et ſeptuageſimum, quae tamen iam centeſimum annum egerit eo tempore neceſſe eſt; etiam filia eius et filii duo diu iam ex ephebis exceſſerant, qui tamen in epiſtolis dicuntur non potuiſſe per imbecillitatem aetatis et infirmitatem ſentire ſatis et capere magnitudinem incommodorum parentis: denique multa apparet ibi legi quae abhorreant et remota ſint a moribus Athenienſium: et quis credat, Aeſchinem in litteris ad civem Athenienſem, amicum ſuum, miſſis [ep. 4.], expoſuiſſe tam diligenter, quis qualisque fuiſſet Pindarus, cuius nomen et virtutes nemo tum, ne ignariſſimus quidem, ignoraret? Accedit, quod in ſingulis etiam vocabulis multa reperiuntur, quae non redoleant ingenium doctrinamque Atticam. Sic Adiectivum σκαιὸς, quod ep. 1. de vento uſurpatur, ſe nonniſi apud Aenean Gazaeum de animi Immortalitate ita adhibitum legiſſe, *Taylorus* fatetur [p. 752.]: etiam verba Neutra pro Activis, ut διαρκεῖν pro *ſuſtentare* [ep. 5.], praeter conſuetudinem veterum bonorumque ſcriptorum, auctor harum epiſtolarum, quicunque tandem fuerit, poſuit. Sed de prima dote notarum *Taylori* ſatis, pro brevitate horum Commentariorum, dictum videtur. Veniamus ad reliquas.

Emendatur autem non modo Verſio Latina *Vuolfii* paſſim [v. c. p. 351. bis: p. 348. 625.], ſed etiam aliorum ſcriptorum utriusque linguae, et Grammaticorum veterum, loci corriguntur, ut Tzetzae [p. 84.], etymologici M. et Suidae [p. 102.], Cornelii Nepotis [p. 595. et 667.], et Harpocrationis, cuius duo MSS. Cantabrigienſes meminimus

lau-

Digitized by Google

laudari ab *Tayloro* aliquoties. Praeterea de poteſtate et notionibus multorum vocabulorum Graecorum diſputatur multo copioſius et accuratius, quam in Lexicis vulgaribus, ut vel hanc ob cauſſam dignae ſint hae animadverſiones, ut legantur ab iis, qui velint linguae Graecae indolem et naturam penitus cognoſcere. Quorum ſtudia ut eo magis excitarentur, placuit vocabula illa breviter enumerare. P. 90. exponitur multis, ἱερὰ et ὅσια inter ſe ita differre, ut ὅσια dicantur ea quae ad remp. ſpectent; ἱερὰ quae ad religionem pertineant: p. 102. eleganter explicatur vis verbi ἐκφυλλοφορεῖσθαι: p. 314. ſ. diligenter quaeritur de variis ſignificatibus verbi ἐπαγγέλλεσθαι, et de differentia nominum ἐπαγγελία et ἀπαγγελία, non minus quam de eorum confuſione et permutatione in libris ſcriptis, doceturque, eſſe interdum perquam difficile iudicare, ἐπαγγελία legendum ſit, an ἀπαγγελία [add. p. 321.]: p. 329. *Marklandus* agit de Pronomine ἔτος, quo utuntur Graeci non raro de rebus notis, etſi non praeſentibus: p. 337. ſ. *Taylorus* docte declarat vim formulae φιλοτησίας προπίνειν, quam ait eſſe ſimpliciter *compotare*, vel *propinare amiciſſimam amicitiam*, ut Plautus loquitur Pſeud. 5, 1. 18, et diſtare a formula ἐκπώματα προπίνειν, quae valeat *pocula aurea omninoque pretioſa, regum more, dono dare:* p. 605. ſ. multos collegit e Demoſthene locos, in quibus vocabulum πόλις hanc habet poteſtatem, ut ſignificet *democratian* ſ. *popularem ſtatum:* p. 644. attingit eam notionem Adiectivi δίκαιος, quum valet *idoneum* h. e. *eum, qui id in quo occupatur rite exſequitur*, et *id quod in ſuo genere perfectum eſt omnibusque numeris abſolutum:* p. 751. illuſtrat Adiectivum λαμπρὸς quum de vento dicitur. Sed haec, exempli cauſſa, protuliſſe ſufficiat. Proficiſcamur iam et pergamus ad virtutes alias.

Neque enim verba tantum formulasque illuſtrat et explicat in notis *Taylorus*, verum etiam diſputat ſaepe de rebus ad hiſtoriam, rempublicam, iurisprudentiam, inſtituta Athenienſium pertinentibus. P. 83. multa haud contemnenda congeſſit de Timarcho, quem conſtat oratione oppugnatum

 eſſe

eſſe ab Aeſchine, et ex iis locum Luciani in Pſeudolog. ſ. 27. interpretatur hunc, Ἀθηναῖοι μὲν γὰρ βέλτιστοι, αἰνιγματῶδες ȣδὲν, ἀλλὰ γράμματος ἑνὸς προσθήκῃ τιμήσαντές σε ΑΤΙΜΑΡΧΟΝ ὠνόμαζον· ἔδει γὰρ κἀκείνȣ τι περιττότερον προσεῖναί σοι, h. e. *totum Timarchum*, a capite ad talos, totisque intus medullis Timarchum, cuius ad mores habitumque exprimendum non iam ſufficeret ſimplex illa et protrita veteris Timarchi appellatio. P. 363. ſ. exponit ex Oratoribus Atticis de more veterum, leges, foedera, etiam obaeratorum proſcriptorumque nomina, cum titulo et cauſſa condemnationis, columnis atque cippis inſcribendi: docetque inde factum eſſe, ut στηλιτεύεσθαι diceretur de *proſcriptis*, et λόγοι στηλιτευτικοὶ de *orationibus invectivis*, cuius generis duas reliquit Gregorius Nazianzenus in Iulianum. P. 632. ſ. de Phrynonda, Eurybato, et Philurgo, multa auctorum Grammaticorumque veterum loca collegit magno ſtudio. Quaerit etiam de argumento orationis cuiusque, de tempore quo quaeque habita fuerit, aliisque eius generis rebus, diligenter: quo pertinet maxime diſputatio contra Eduardum Corſinum [p. 672. et 699. ſs.], qui tamen ab eo vehementer laudatur [p. 702.]. Demonſtrat [p. 663.] duplicem olim Orationum Demoſthenis editionem fuiſſe, alteram ἀρχαίαν, δημώδη alteram. unde non mirandum eſſe bene monet, multa [vid. p. 665.] laudari a veteribus ex Orationibus eius, quae hodie in iis non extent: fierique poſſe intelligenter addit, ut noſtrae editiones, multis locis, lectiones utriusque illius editionis ſimul exhibeant. P. 358. multa praeclare dicuntur de more poſteriorum temporum, duo pluresve verſus hexametros uni pentametro vel praemittendi, vel ſubiungendi: cuius generis Carmina quoque quaedam in medio poſuit *Taylorus*. Primum eorum ſumſit e ſchedis *Verronii* ἀνεκδότοις, quod facere non potuimus quin cum lectoribus noſtris communicaremus, ſi forte eiusmodi monumentis delectarentur, neque tamen copiam haberent videndi et inſpiciendi hunc librum. Eſt autem hoc: ΕΚ ΓΕΝΕΗΣ ΠΕΡΙΒΩΤΟΝ ΑΠ ΑΝΘΥΠΑΤΩΝ ΚΑΙ ΥΠΑΡΧΩΝ ΠΛΟΥ-

ΤΑΡ-

Digitized by Google

ΤΑΡΧΟΝ ΚΑΘΑΡΗΣΙΝ ΑΟΙΔΙΜΟΝ ΕΥΝΟΜΙΗΣΙΝ ΠΡΩΦΡΟΝΕΩΣ ΜΕΓΑΡΗΕΣ ΑΕΙΜΝΗΣΤΟΙΣ ΕΠΙ ΕΡΓΟΙΣ ΕΙΚΟΝΙ ΛΑΙΝΕΗΙ ΣΤΗΣΑΝ ΑΓΑΣΣΑΜΕΝΟΙ ΠΑΝΤΗ ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΙΟ ΚΛΕΟΣ ΠΑΝΤΗ ΔΕ ΤΕ ΘΑΥΜΑ ΠΑΝΤΗ Δ' ΕΥΝΟΜΙΗΣ ΕΥΧΟΣ ΑΠΕΙΡΕΣΙΟΝ ΥΙΕΟΣ ΕΥΡΙΟΙΟ ΤΟΝ ΑΛΚΑΘΕΟΥ ΝΑΕΤΗΡΕΣ ΠΟΛΛΩΝ ΑΝΤ' ΑΓΑΘΩΝ ΑΜΦΙ ΔΙΚΗΣ ΤΕΜΕΝΕΙ. Eodem loco paullo poſt [p. 360.] protulit aliud Epigramma *ἀνέκδοτον*, quod extat in marmore, quod Celeb. *Askew* e Graecia accepit, novi et inſoliti argumenti. Quod ipſum quid impedit quo minus apponamus? ſi forte quis lectorum noſtrorum velit *Taylori* voluntati obtemperare, illudque et emendare, et interpretatione explicare: ΣΟΙ ΠΛΑΚΑ ΝΗ*** ΑΝΗΚΕ ΚΟΡΗ ΔΙΟΣ ΥΔΑΤΟΕΣΣΑ ΠΗΓΗ ΝΥΜΦΑΩΝ ΟΡΦΙΤΕ ΝΑΜΑ ΦΙΛΟΝ ΕΝΘΑ ΠΑΛΑΙ ΒΑΣΙΛΗΕΣ ΑΠΟ ΠΤΟΛΕΜΟΙΟ ΚΑΜΟΝΤΕΣ ΕΝΧΕΑ ΚΑΙ ΚΟΡΥΝΑΣ ΚΑΘΘΕΣΑΝ ΙΠΠΟΛΟΦΟΥΣ ΕΞ ΟΥ ΔΗ ΔΟΡΥΚΝΑΜΑ ΤΕΟΣ ΛΑΧΕΝ ΟΥΝΟΜΑ ΧΩΡΟΣ ΧΟΡΟΣ ΕΛΑΙΗΡΗ ΤΕΡΠΟΜΕΝΟΣ ΛΙΒΑΔΙ ΠΑΝΤΑ ΔΕ ΣΟΙ ΝΥΝ ΤΑΥΤΑ ΔΙΕΡΓΑΤΙΝΑΙΣ ΠΑΛΑΜΑΙΣΙΝ ΤΡΙΣΣΟΝ ΥΠΟΛΑΥΚΑΒΑΝ ΓΡΑΜΜΑΤΙΚΟΣ ΤΕΛΕΩ. Atque Epigrammati iſti *ἀνεκδότῳ* comitem dabimus gloſſam Photii, et ipſam *ἀνέκδοτον*, quae p. 627. in notis *Taylori* habetur, hanc: *προστρόπαιον· Δαίμων ἐπὶ τῶν ἐναγῶν· ἐπεὶ οἱ μετὰ τὸ ϛαθῆναι ἤδη τὸ τρόπαιον εἰ ἀναιρῦντες τινὰ τῶν πολεμίων, προϛροποὶ καὶ ἐναγεῖς εἰσὶν, προϛρόπαιον παρακαλῶν.* Etiam loca quaedam librorum N. T. ut a *Tayloro*, ita a *Marklando* maxime, illuſtrata in animadverſionibus eſſe cognovimus. Verba Chriſti apud Marcum [c. 9, 37.], *καὶ ὃς ἐὰν ἐμὲ δέξηται, ὐκ ἐμὲ δέχεται, ἀλλὰ τὸν ἀποϛείλαντά με,* comparantur [p. 346.] cum verbis Demoſthenis, *ὁ δὴ τὺς χρόνυς τύτυς αναιρῶν — ὐ χρόνυς ἀνήρηκεν — ἀλλὰ τὰ πράγματα ἁπλῶς ἀφῄρηται.* Locus 1 Cor. 10, 19. ſ. explicatur [p. 365.] ita, ut ante Coniunctionem *ἀλλὰ* intelligatur *ὐχὶ*, et poſt eam verbum *φημί.* Verbis Paulli 1 Tim. 2, 15. *σωθήσεται δὲ [ἡ γυνὴ] διὰ τῆς τεκνογονίας, ἐὰν μείνωσιν [αἱ γυναῖκες] ἐν πίϛει καὶ ἀγάπῃ*, utitur *Marklandus* [p. 349.], ut doceat, apud Graecos fieri ſaepe trans-

itionem a ſingulis ad univerſos: et *Taylorus* monet [p. 644.], qui ἡμέραν 1 Cor. 3, 13. *iudicium* interpretentur, eorum ſententiam adiuvari poſſe loco Aeſchinis c. Cteſiph. p. 441.

Sed quum ratio horum Commentariorum nos de libris bonis et utilibus ita diſſerere iubeat, ut lectores intelligant, quid omnino quantumque boni in iis inſit; ex iis vero quae de notis *Taylori* in Demoſthenem Aeſchinemque hactenus diſputavimus, ſatis iudicari poſſe et exiſtimari videatur de virtutibus earum atque dotibus praeclaris: finem modumque faciemus, neque prius tamen quam dixerimus, orationem latinam Viri ſummi valde abhorrere, praeſertim quod ad uſum et conſecutionem temporum attinet, ab elegantia et munditie veterum, nec raro inſigniter obſcuram videri, et ingratam auribus doctis et elegantibus. Quae vitia vitare poſthac, quantum fieri poſſit, Viro doctiſſimo ut placeat, vehementer etiam atque etiam optamus, atque adeo per litterarum Graecarum ſalutem obſecramus.

Miſchnah, oder der Text des Talmuds, ꝛc.

i. e.

MISCHNA, SEU TEXTUS TALMUDIS, CONTINENS placita Doctorum Iudaicorum atque traditiones, quibus hodierna religionis Iudaicae forma Phariſaica nititur. Ex Hebraeo Theotiſce vertit, paraphraſin adiecit, obſervationibus illuſtravit, IOHANNES IACOBUS RABE, in coetu urbis Onoldinae Verbi Divini Miniſter.

Onoldini, apud I. C. Poſchium, 1760. et 1761. quaternis. PARS I. זרעים, quae de omni ſeminum et plantationum genere praecipit. Alph. 1. pl. 16. PARS II. מועד, quae leges de Sabbatho et diebus feſtis tradit. Alph. 1. pl. 15½. PARS III. נשים, quae iura et officia mulierum complectitur. Alph. 1. pl. 9.

In

In nobiliſſimis antiquitate, fatorumque ſingulari et admiranda viciſſitudine, populis, merito cenſetur gens Iudaica. Quae quidem a prima orbis aetate ad hanc usque noſtram ſuperſtes, videtur quotidie homines Chriſtianos admonere, ut ea contemplanda inſigne et quaſi vivum agnoſcant pro veritate ſanctiſſimae religionis ſuae documentum. Non eſt igitur curioſi duntaxat ſpectatoris, ſacra atque mores populi huius intelligere; ſed vel maxime gnari et ſtudioſi rerum ſuarum Chriſtiani: dein eorum praecipue, qui gentem patriorum inſtitutorum obſervantiſſimam ad veriorem cultum reducere conentur. quod ſane decet divinarum litterarum doctores omnes. Sunt autem hodie longe pauciſſimi, qui religionis et iuris Iudaici faciem genuinam, inſpecto libro illo Symbolico, quem *Talmud* vocant, poſſint cognoſcere. Quo fit, ut multa falſo, imo ridicule, de ea gente in vulgus tradantur, negliganturque plurima, quae illi faciliorem ad ſacra noſtra aditum praeſtare poſſent.

Dignum ergo coetus eccleſiaſtici antiſtite conſilium cepit Rev. *Rabius*, adornando hanc verſionem Partis principis, qua Talmud continetur. Nam quod opponi a quopiam poſſit, Miſchnam omnem latine verſam legi editam a *Surenhuſio*, id parvi momenti eſt: cum ſatis conſtet, primum, editionem quam diximus, et rariorem eſſe, et cariorem, quam ut in manus minus locupletes venire poſſit; deinde verſionem quae illa exhibetur, innumeris locis obſcuram et male fidam eſſe, verbis etiam pueriliter ſaepius adhaerere. Noſter autem, neglecta hac plurium auctorum verſione, quam nequidem ad manus habuit, novam ex ipſo textu Hebraico, cuius indolem diligenti lectione penitus perſpexerat, condendam ſuſcepit, adiutus *Raſchii, Maiemonidis, Bartenorae*, *et Iom Tof* commentariis, itemque explicatione, quam liber עץ חיים complectitur. Sermone Germanico uſus eſt, quem recte exiſtimavit reddendis phraſibus Iudaicis aptiorem ceteris linguis eſſe: ſed et Iudaeos Germaniam incolentes ad verſionem ſuam legendam invitare hoc pacto voluit. Ceterum, praeter magni *Wagenſeilii* operam, quam in vertendo

Tractatu נגעים poſuit, vix unum aut alterum indicaveris, qui Talmudis partem aliquam theotiſca veſte induerit; at illius, quem laudavimus, rationem ſecutus eſt merito *Rabius*, cui nunc ingentem laborem propemodum perfectum debemus.

Praemiſit Iſagogen generalem paginarum XIV. qua de Talmudis utriusque argumento, partibus, editionibus et commentatoribus, diligenter diſputat; ut adeo, qui hoc Iuris civilis et canonici Iudaeorum corpus parum noverint, hinc eius deſcriptionem apprime utilem petere poſſint. Ipſe pleraque ex immortali Opere, *I. C. Wolfii* Bibliotheca Hebraea, deſumſit. Additur in Praefatione Partis Secundae ſupplementum Editionum Talmudis. Babylonici quidem recentiſſima, eaque decima, curata eſt A. 1737. Berolini et Francofurti ad Oderam. Sed nunc nova prodit Sulzbaci in Palatinis. Hieroſolymitanum autem cum edi coeptum ſit Amſtelaed. 1710. fol. ſecundum סדר Deſſaviae A. 1743. typis exſcribi curavit R. *Fränckel*, ſumtibus ſuis, adiunctoque Commentario ſuo, tertium vero A. 1757. Berolini. In eiusdem Iſagoges principio, fere, ait Cl. *Rabius*, Talmud a Iudaeis ipſi S. Scripturae praeponi. Quod nobis longe aliter videtur; et evicerunt contrariam ſententiam alii: ut vir inſtitutorum Hebraicorum peritiſſimus, *Waehnerus*, in Antiquitt. Hebr. Vol. I. p. 237. ſqq.

Iam facile intelligitur, quantae molis opus, quantarum difficultatum ſuſceperit Noſter, traducendo in ſermonem vulgarem *Miſchnam*, hoc eſt librum obſcuriore et abrupta oratione ſcriptum, refertum terminis technicis, rebusque et ritibus quamplurimis ab hodierno uſu alieniſſimis. Sed illi pulchrum viſum eſt, aliorum commodis, vel multum taedii et moleſtiarum devorando, inſerviiſſe. Praeſtitit vero quidquid fere exſpectari ab auctore verſionis theotiscae poterat. Primum feliciter operam dedit, ut perſpicuitatem ubique locorum ſervaret. Itaque nequaquam verbum verbo expreſſit, quod qui faciunt in Hebraicis, ineptiſſimas verſiones extundant neceſſe eſt; ſed genio linguae noſtrae conſultu-

Digitized by Google

ſulturus, orationis Hebraicae conſtructionem ſaepius mutavit, contraxit, aut dilatavit. Ut conciſum ſcriptionis genus aſſequi lectores rectius poſſent, plurimis locis paraphraſin minoribus typis exſcriptam, et uncis incluſam, textui ipſi inſeruit, qua vel explicat breviter decreta doctorum, vel cauſſam eorum addit; ſelecta ex Commentatorum Iudaicorum opinionibus ea, quae eſſet veriſimillima, imo nonnunquam allatis etiam duabus. Quod reliquum erat illuſtrando textui neceſſarium; neque in paraphraſi commode proponi poterat, id paucis annotationibus, extremae paginae ſubiectis, ſervavit. In quibus omnibus ſapientem prodidit moderationem Vir doctus, nihil adferens niſi quo carere lectores, a litteris Hebraicis Rabbinicisque non inundati, omnino non poſſent, neque polemicum agens adverſus Iudaeos, aut compilans aliorum Commentarios, quibus ſi ſuas adiecíſſet copias, poterat ampliſſimas conſcribere annotationes, ſed quas in hac tali editione nemo deſideraverit. Nunc ſatisfecit certe iis lectoribus, qui Miſchnam cognoſcere, neque tamen altius mergere ſe pelago doctrinae Rabbinicae velint. Horum lectionem adiuvabit etiam non parum Iſagoge breviuscula ſingulis מסכתות praefixa, quae horum argumentum accurate indicat, deinde praecedens illam recenſus omnium משניות, ſeu paragraphorum, quibus Tractatus quisque abſolvitur. Sed cum hac V. Cl. cura, perſpicuitate quanta fieri poſſet maxima, ornandi verſionem ſuam, coniuncta fuit maior illa et primaria, fideliter reddendi ſenſum textus Hebraici. Quod illum ita conſecutum eſſe aimus, ut pleraque omnia accurate expreſſerit, in nonnullis ſubinde verbis phraſibusque, quibus minora quaedam deſignarentur, lapſus fuerit. In eo autem hoc promtior illi dabitur venia, quo plures illi transnavigandi fuerunt ſcopuli, et quo minus ſocordiae aut inſcitiae accuſari poteſt. Leviorum peccatorum in Parte prima a ſe admiſſorum emendationem, a viro docto apud Berolinenſes profectam, ipſe, quae eſt eius modeſtia, praefationi Partis ſecundae innectendam putavit. Nos vero confirmamus hoc omnibus,

qui

qui ſummam rerum in Miſchna traditarum percipere cupiant, et ſermonis noſtri intelligentes ſint, eos merita fiducia adire hanc verſionem poſſe, quam praeferre *Surenhuſianae* illi, certe quoad maiorem huius partem, nulli dubitamus.

Oſtendunt autem tituli Voluminum ſingulorum, quos ſupra adſcripſimus, dimidium iam Miſchnae vertendo abſolviſſe Ven. *Rabium*. Tractatus omnes, qui his tribus סדרים continentur, nominare, noſtrum non eſt, cum eorum catalogum tradant quicunque de Miſchna diſſeruerunt. Illud memorandum eſt, litteram in hac omni verſione Hebraicam apparere omnino nullam. Quamvis enim ingens multitudo *terminorum*, quos adpellant, *technicorum*, conſervanda fuerit Viro Rev. quos ante rite explicaſſet; tamen ut errores typographorum vitaret, maluit illos theotiſcis litteris edere, obſervata hac cautione, ut latinas nonnumquam intermiſceret, ubi elementa cognatae pronunciationis a ſe diſtinguenda erant. Indicem adiunxit ſingulis Voluminibus quadruplicem, primum locorum Scripturae S. alterum Doctorum Miſchnicorum, tertium vocum Hebraicarum, quartum aliarum rerum memorabilium. Promittit etiam non obſcure, ſe accuratiorem DD. *Miſchnicorum* hiſtoriam editurum, quae inprimis diverſas eorum opiniones ſiſtat. Id ut per opportunitatem praeſtet, addatque quandam in univerſum ſtudium doctrinae Rabbinicae iſagogen, vehementer optamus.

Sed quo magis probanda et condecoranda laudibus eſt Viri Ven. opera, eo minus fatemur nos aſſequi poſſe conſilium eorum, qui rem litterariam in urbe quadam nobili Germaniae, Pontificiis ſacris addicta, moderantur. Hi enim hanc libri a Chriſtianis doctoribus merito cognoſcendi verſionem, in librorum prohibitorum numero eſſe voluerunt. Quod ſi odio gentis Iudaicae inducti ſanxerunt, nae illi non intelligunt, quantum vel hic ipſe liber ad frangendam Iudaeorum pertinaciam valere poſſit. Eſt illa profecto prava, licet antiqua ſatis conſuetudo, eripere e manibus omnium, imo in flammas coniicere libros eorum, quos ab erroribus ad veri ſtudium perducere velis; qua re iſtud efficitur,

citur, ut moroſa ſeveritas magis etiam errantium animos a recto tramite abſtrahat; ut monſtra ſententiarum, quae nemo ſanus tuetur, fingantur ex incertae famae calumniis; ut denique veritati ipſi metuere videamur, cuius tamen inconcuſſa ſtabilitas eo ſplendidior eminet, quo plures ſint qui eam labefactare conentur.

NOVI COMMENTARII ACADEMIAE SCIENTIArum Imperialis Petropolitanae. TOMUS V. ad annum MDCCLIV. et MDCCLV.

Petropoli typ. Acad. Scientiarum. MDCCLX. 480. pagg. 13. Tab. aen. in 4.

Eminenti hoc opere, quo et munificentiae Auguſtiſſimae Ruſſorum Imperatricis, et meritorum in promovendis ſcientiis ſuorum memoriam, poſteritati commendant Academici illuſtres, iſto quidem Tomo Claſſis Mathematica complectitur: 1) *Leonhardi Euleri* demonſtrationem Theorematis Fermatiani, omnem numerum primum formae $4n+1$. eſſe ſummam duorum quadratorum. Superiori in Tomo iam de hoc inſigni theoremate a clariſſimo auctore egregiae obſervationes prolatae ſunt, quibus eius veritas ſolidis rationibus comprobata eſt. Cum eas rationes vicem firmae demonſtrationis ſuſtinere non poſſe, illuſtris auctor ſentiret, denuo ei pertractandae ſe accinxit, tandemque eius perfectam demonſtrationem adeptus eſt, quae tanto dignior eſt conſideratione, quo certius eſt, eam nobis ad abſcondita numerorum arcana eſſe viam patefacturam, quae etiamnum non niſi ut per tenebras contemplari licet. Verſatur hoc memorabile Theorema circa eos numeros impares, qui unitate excedunt multipla quaternarii e. gr. 5. 9. 13. 17. etc. in his diſtinguuntur numeri primi 5. 13. 17. etc. a compoſitis 9. 21. 25. — etc. ac de illis affirmatur, ſingulos eſſe aggregata binorum quadratorum. Inter compoſitos autem, etſi alii ipſi ſunt quadrata, ut 9. 25. etc. alii vero ſummae duorum quadratorum aequantur. Unde propoſitio tantum ad numeros

Digitized by Google

primos reſtringitur. Huic ſcripto, ſine peculiari titulo, adiungitur nova diſſertatio, in qua reſidua, quae in diviſione numerorum quadratorum per quosvis numeros remanent, examini ſubiiciuntur; unde iterum egregiae numerorum proprietates deducuntur, vel plane novae, vel cognitae quidem, ſed novo modo demonſtratae. II.) Obſervatio de ſummis diviſorum, eodem auctore *Eulero*. Diviſores vero ab eo vocantur ii numeri, per quos illum ſine reſiduo dividere liceat; quare inter diviſores cuiusvis numeri reperiuntur primo unitas, tum vero ipſe ille numerus. Iam ex Arithmeticis notum eſt, hos numeros, qui praeter unitatem ac ipſos ſe nullos alios admittunt diviſores, primos vocari; reliquos vero, qui et per alios numeros perfecte dividi poſſunt, compoſitos. Auctor igitur illuſtris in hac diſſertatione ſummam omnium diviſorum cuiuscunque numeri contemplatur, non eo conſilio, ut alias in inveſtigatione numerorum perfectorum vel amicabilium, aliarumque huiusmodi quaeſtionum fieri ſolet, ſed ut ordinem et legem, qua iſtae ſummae diviſorum ſingulis numeris convenientes progrediuntur, exploret. quae profecto maxime abſcondita videri debet, cum pro numeris primis ſumma diviſorum ipſos unitate ſuperet, pro compoſitis vero eo magis, quo plures factores primos in ſe complectuntur. Quoniam igitur ratio progreſſionis numerorum primorum inter myſteria mathematica adhuc refertur, in quae ne Fermatio quidem penetrare licuit, ecquis inde difficultatem problematis non colligat? Illuſtri Eulero in eo ſolvendo ita felici eſſe licuit, ut non ſolum illam legem detegeret, ſed IIItia diſſertatione etiam demonſtraret. *IV.) Methodum Diophanteae Analogam in analyſi infinitorum, Auctore *Eulero*. Methodus Diophantea a Graeco Geometra Diophanto dicta, potiſſimum ad doctrinam numerorum refertur, docens eas reſolvere quaeſtiones, quibus numeri quaeruntur, qui certa ratione combinati, fiunt quadrati, vel cubi, aliusque generis numeri. In genere itaque, ſi hi numeri ſint x et y, id requiritur, ut $\surd(xx+yy)$ ſit numerus rationalis; atque in ſolutione huiusmodi problematum ad

ad eiusmodi formulas pervenitur, ſive quadratica, ſive altioris gradus radix ſit extrahenda, ut radix extrahi poſſit, omnisque irrationalitas evaneſcat. Hinc methodus Diophantea conſiſtit in methodo irrationalitatem tollendi. Quod in analyſi communi ſunt quantitates irrationales, id in analyſi ſublimiori ſunt quantitates tranſcendentes. Methodus igitur in Analyſi infinitorum Diophanteae analoga in eo verſatur, ut quantitates formulam quandam differentialem ingredientes ita determinentur, ut integratio ſuccedat, et integrale Algebraice exhiberi poſſit. Occurrunt eiusmodi exempla, quando vel curvae quadrabiles, vel rectificabiles requiruntur, ubi poſitis coordinatis orthogonalibus x et y eiusmodi inter eas relatio deſideratur, ut priori caſu $y\,dx$ formula, poſteriori vero haec $(\sqrt{dx^2+dy^2})$ integrationem admittat. Problema quidem, quo curvae quadrabiles requiruntur, eſt facillimum, atque adeo ante inventam Analyſin infinitorum ſolvi potuit; alterum vero, de curvis rectificabilibus, non niſi per plures ambages a Viris celeber. Hermanno et Bernoullio eſt ſolutum, ita, ut nullum veſtigium certae methodi deprehendatur. Novum itaque hac diſſertatione illuſtris Eulerus in Analyſi infinitorum campum, et prorſus ignotum aperit, cum principia eius methodi non ſolum diſtincte proponit, ſed etiam eam eousque proſequitur, ut problemata, quae alias vires Analyſeos longe ſuperare viderentur, nunc ſine ullo fere labore reſolvi queant. Interim tamen haec methodus, quanquam hic egregie exculta, plurimum adhuc a ſumma perfectione abeſt, relinquiturque ampliſſimus campus, in quo geometrae vires ſuas exercere poſſint. V.) Curvas funicularias et catenarias, vel illas quae corporibus flexibilibus inducuntur, cum potentiis quibusvis ſollicitantur. Auctore *G. W. Krafft*. Ex quo infiniteſimalis methodi principia innotuerunt, poſt Galilaeum, eruditiſſimi Geometrae primum Problema de catenaria tentarunt, atque mox curvam hanc a Parabola diverſam, et ex tranſcendentium numero ac genere eſſe deprehenderunt. Leibnitius, Bernoullii, aliique complures, non ſolum plene illud ſolverunt, ſed ſimilia quoque

Digitized by Google

alia excogitarunt, quales ſunt velariae, funiculariae, curvae. Omnes vero ſolutiones, hactenus cognitae, duplicis ſunt generis. Alii enim eas ex principiis Staticis immediate deducunt, alii vero ex aliunde cognitis, v. g. ex centri gravitatis figurae deſcenſu maximo poſſibili eas repetunt. Ad priorem claſſem pertinent quas illuſtris auctor adhibuit methodos. Ex conſiderato enim filo flexili, cui finitum potentiarum numerum cuiuscunque directionis ac magnitudinis applicatum ſupponit, formulam eruit, quae ſtatum aequilibrii eius, quod hinc naſcitur, polygoni determinat. Túm generalem hanc aequationem ad eum caſum, ubi numero infinitae vires agunt, in filum transfert, quo in caſu non Polygonum, ſed curva enaſcitur. Conſiderandoque deinde primo eum caſum, in quo vires omnes in filum agentes curvaturae ipſius ſunt normales, ex inventa generali formula huic caſui applicata deducit curvaturam, quam aſſumit filum, in quod agit fluidum elaſticum, quaquaverſus aequali vi ſe expandere nitens, ſive Velariam primi caſus, prout ipſam vocat auctor, atque curvam, cui congruit filum, quod fluidum impulſu ſuo expandit, ſeu Velariam ſecundi caſus, et denique eam, quae, dum filum a fluido, ex ſolo ſuo pondere agente, extenditur, oriri ſolet, quam Lintneariam appellat. Quibus conſideratis tranſit auctor Cl. ad eum caſum, ubi vires omnes in filum agentes inter ſe parallelae ſunt, et ex formula generali eruit catenariam vulgarem, aliasque non vulgares, et alias his curvis affines, elaſticam etc. ſub diverſis hypotheſibus ſub examen vocat.

VI.) Subſidium calculi Sinuum, auctore *L. Eulero*. In numero quantitatum tranſcendentium, praeter logarithmos et quantitates exponentiales, aliud in analyſi occurrit ampliſſimum genus quantitatum, eiusmodi angulorum ſcilicet, eorumque ſinuum, coſinuum, et tangentium, cuius uſus omnino frequentiſſimus eſt. Peculiarem iſtud requirit calculum, cuius inventionem, quatenus quidem peculiaribus ſignis ac praeceptis continetur, illuſtris huius diſſertationis auctor omni iure ſibi vindicare poteſt, cuius inſignia ſpecimina in introductione ſua in Analyſin, et in inſtitutionibus calculi differen-

ferentialis, dedit. Huius novi calculi, quem calculum Sinuum vocat, non ſolum prima iecit fundamenta Eulerus, eiusque uſum per varias Matheſeos partes plurimis ſpeciminibus declaravit; ſed adhuc pergit eum novis inventis locupletare. Hac enim diſſertatione, methodo prorſus ſingulari, ex primis ſinuum ac coſinuum proprietatibus, utiliſſimam illam reſolutionem poteſtatum ſinuum ac coſinuum in ſinus coſinusque ſimplices derivat; quae quidem reſolutio maximi momenti eſt in applicatione huius calculi ad aſtronomiam, ubi omnes inaequalitates ad ſinus coſinusve certorum angulorum revocari oportet, tum autem in ipſa Analyſi, ac potiſſimum integrationibus ſummum affert adiumentum. VII.) De ſeriebus divergentibus, Auctore, *L. Eulero*. Variis iam ſpeciminibus illuſtris auctor declaravit, ineſſe Matheſi eiusmodi ſpeculationes, circa quas ſummi Geometrae diſſenſerint: neque id tantum in Matheſi applicata uſu venire, ſed etiam, quod inprimis mirum videtur, in ipſa matheſi pura et abſtracta. Cuiusmodi eſt illa inter Leibnitium et Ioan. Bernoullium agitata quaeſtio, de Logarithmis numerorum negativorum; tum etiam ex Geometria quaeſtio de Cuſpide curvarum ſecundi generis: quas controverſias illuſtris Eulerus aliis locis ita diremit, ut utrique diſſentientes, ſi adhuc ſuperſtites eſſent, in eius deciſione acquieſcerent. Simili modo comparata eſt quaeſtio de Seriebus divergentibus, quam Eulerus hic aeque feliciter compoſuiſſe videtur, ut poſthac nullae controverſiae inde ſint pertimeſcendae. Quare, etiamſi Analyſis cauſis diſſidiorum non deſtituitur, eae tamen a caeteris hoc diſtinguuntur, quod omnibus rationibus probe expenſis tandem perfecte conciliari iſtae ac finiri queant. VIII.) Diſſertatio de Problematibus quibusdam calculi integralis, auctore *G. W. Krafft*. Septem diverſa, ac a ſe invicem non pendentia calculi integralis problemata, in hac diſſertatione ſoluta comparent. Pleraque quidem eorum olim iam et aliis tractata ſunt; novae tamen ſunt Krafftii eorum ſolutiones, et ab aliis hactenus cognitis diverſae. Proinde dignae viſae ſunt, quae huic operi insererentur. Claſſis Phyſico-Mathematica.

tica duabus diſſertationibus illuſtris *Euleri* profunde doctis ſuperbit. 1.) De cochlea Archimedis; 2.) de aptiſſima figura rotarum dentibus tribuenda. Phyſica vero claſſis ex regno vegetabili, Auctore *Io. Chriſt. Hebenſtreit*, ſiſtit I.) Alkekengi calice profunde diviſo fructu ſicco. II.) Thlaſpi, ſilicalis ellipticis foliis lanceolato linearibus integerrimis. III.) E regno animalium, quorundam quadrupedum animalium, maximam partem Sibiriae propriorum, deſcriptionem, *Io. Geo. Gmelin* exhibet, et quidem Muſtelae Libellinae; Vaccae grunnientis, villoſae, cauda equina: Ovis laticaudae, ſciuri minoris virgati: Ibicis imberbis: capreae campeſtris gutturoſae: cuniculi pumilionis ſalientis: cuniculi inſigniter caudati; Iſalis, Ruſſis Peſez. Tandem IV.) in hac claſſe comparent Obſervationes in Metropoli factae Meteorologicae, Auctore *I. A. Braunio:* et V.) atque VI.) obſervationes Meteorologicae Tubingicae, annorum 1750. 1751. et 1752. Auctore *Georg. Wolffg. Krafft.* Claſſis Aſtronomica tandem ſiſtit I.) Solutionem novi cuiusdam problematis Aſtronomici, in uſum potiſſimum nauticum propoſiti, in diſſertatione de progreſſu artis mauticae in determinanda Maris et Longitudine et Latitudine, auctore *A. N. Griſchow.* II.) Errorem Tabularum Lunarium ex Eclipſibus Solis — definiendarum diſquiſitionem, eodem Auctore. III.) Obſervationes Aſtronomicas ſub finem anni Lipſiae 1751. habitas a *Godofr. Heinſio*, et quae concernunt occultationem Iovis partialem a Luna quae die 29. Decembr. anni ſupradicti accidit, et eclipſes ſatellitum Iovis die 27. Decembr. eiusdem anni. IV.) Obſervationes Aſtronomicas Pekini a RR. PP. Gallis S. I. habitas: iisque continentur 1.) Mercurius in ſole viſus 1753. die 6. Maii; 2.) Eclipſis Lunae 1754. die 1. Octobr. 3.) Obſervationes Lunae 1754. menſe Novembri; 4) Obſervationes capellae 1755. menſe Februario; 5.) Stellae Polaris 1755. menſe Decembri; 6.) Stellae polaris ſinicae 1756. 7.) Obſervationes variae 1756. 8.) Mercurius in ſole viſus 1756. die 7. Novembris; 9.) Apparentes altitudines Stellarum aliquot 1756. 10.) Satellitum Iovis obſervationes 1756.

CON-

CONSPECTUS ORIGINUM TYPOGRAPHICARUM a MEERMANNO proxime in lucem edendarum. In uſum amicorum typis deſcriptus MDCCLXI. 6. plagulae, in 8.

Summus ille vir, Godofr. Meermannus, multisque meritis ſuis in bonas litteras clarus, ſumſit opus et ingenio et diligentia tanti viri dignum, dum origines typographiae, obſcuras illas multisque modis vexatas, explicandas ſingulari libro adgreditur. Nam cum videret, quam male ſaepe Harlemenſium cauſſa acta eſſet, quod nonnulli nimio urbis ſtudio, vel omnia, quae ars habet inventa, ei tribuerent, totam hiſtoriam rei accuratius cognitam propoſiturus aliquando, hunc libellum in ſpem maioris voluminis praecedere iuſſit. Sunt autem omnia ita ſcripta, ut et lucem affundant rei ſatis tenebricoſae, et longe ſubtiliſſima pariter ac veriſſima videantur. Inſigni itaque cum voluptate libello lecto, hoc diligentiores in excerpendo eo fuimus, quo maiorem eo pacto nos gratiam apud eruditos viros inituros eſſe confidere poteramus. Verum ſane eſt, bonum ingenium, et ſubactum multarum rerum cognitione, ſaepe res maxime ſteriles quam floridiſſimas reddere, eoque pacto et rem commendare, et ſe ipſum. Fecit itaque perquam laudabiliter *Godofr. Meermannus*, Vir illuſtris, qui maius opus de originibus in animo habet, nunc vero eius rei compendium aliquod, doctum illud et elegans, excudendum curavit. Eſt enim ea res et digna quae illuſtretur, et indiga quoque; ſummae enim controverſiae inſunt. Seribus aliqui, Indis, Italis alii, Gallis, Batavis nonnulli, Germanis alii vindicant, nec Germani ipſi de urbe conſentiunt. Sunt qui Moguntiae hoc decus referant, inventoremque dicant Io. Gensfleiſch ſeniorem, qui deinde Io. Gutembergium inſtituerit. Alii primum fuiſſe Gutembergium aiunt, ſed adiutum a Io. Fuſt. Alii huic Fauſto uni omnem inventionis gloriam tribuunt. Conveniunt tamen illi omnes in hoc, circa annum ſaeculi decimi quarti quadrageſimum, Moguntinenſem typographiam coepiſſe,

excul-

excultaque ea anno quinquageſimo Biblia latina edita eſſe, eoque ipſo anno Gutembergium Fauſtumque ſocietatem feciſſe, quae poſt quinque annos diſſoluta iterum fuerit, ita tamen, ut Moguntinenſis officina Fauſto maneret. Hunc adiuviſſe Petrum Schoeffer, qui ſtanneos characteres pro ligneis ſubſtituerit. Atque inde plures libros vulgari coeptos eſſe. Fauſti nepos e filia, Io. Petri fil. Schoefferus, avo ſuo officioſe ſatis rem tribuit, quem deinde noſtra quoque aetate plures ſecuti ſunt. Furnierius vero ab his diſſentit, et Petr. Schoefferum ſolum agnoſcit auctorem. Alſatici autem ſcriptores, ut facile exiſtimari poteſt, quamquam in magno diſſenſu verſentur, in Io. Mentelium plerique inclinant. Eius miniſtrum Io. Gensfleiſch prodidiſſe arcanam illam artem Io. Gutembergio, pecunioſo homini, ſeque cum eo Moguntiam contuliſſe, quod Argentorati, praeſente Mentelio, non auderent artem exercere; contigiſſe vero hoc circa annum ſaeculi illius quadrageſimum. *Io. David. Schoepflinus* tandem, Vir celeberrimus, praecipue in Vindiciis Typographicis duo ante annos editis, hanc totam narrationem in dubium vocavit. Gutembergio Moguntino tribuit, qui usque ad annum 1444. Argentorati vixerit. Attulit ille in medium monumenta, quae ſuperſunt antiquisſima, litis, quae Gutembergio olim fuit, et quae declarant eum iam anno triceſimo ſexto, cum tribus ſociis, inſtitutam rem fuiſſe proſequutum. Hunc apud Alſatos mobiles ſculptosque characteres inveniſſe, continuaſſe vero artem ab anno quinquageſimo inter Moguntinos. Diſſentit igitur Schoepflinus a Iac. Wimphelingio, qui inventam artem a Gutembergio Argentinae, ſed valde imperfecte, melius excultam eam ipſam Moguntiae ab eo fuiſſe, exiſtimavit. Batavi contra, teſtimoniis nonnullis antiquisſimis ſubnixi, Laurentio Kuſtero Harlemenſi eam rem vindicant, quo mortuo famulus furto ablata inſtrumenta Moguntiam abſtulerit. Quin ii non unum alterumve momentum, ſed perfectam ſane artem ad hunc referunt. Videntur itaque auctori Argentinenſes ſane annis vincere Moguntinos, vinci tamen ab Harlemenſibus. Argentinenſes Guten-

tenbergium Moguntinum excepiſſe, ſedesque arti primas dediſſe. In tota ea re ſeiungenda ſunt haec duo, verſatilis impreſſio, et tabellaris. Tabellaris, ut in iconibus, ubi tota res exprimenda in una tabella continua ante ſculpitur, deinde in chartam transfertur. Hanc Sinenſes habent, et prima quoque haec typographia apud nos fuit. Laurentio vero Harlemenſi neminem priorem, qui inde edoctus typographiam exercuerit, inveniri. Verſatilis autem impreſſio tres claſſes habet. Alii enim ſunt lignei characteres, qui permulta incommoda habent; ſubſtituti itaque ſunt alii e duriore materia, aere, ſtanno, ſimilibus; ſed ſculpti illi, aptiores quidem melioresque prioribus, verum et magni ſumtus, et inaequales quoque, quod difficulter tollebatur. Succeſſerunt itaque typi non ſculpti ſed fuſi, quod quomodo fiat et notum eſt plurimis, et ſi quis id forte ignoret, apte a Meermanno noſtro docebitur. Huius generis typos adhibitos eſſe putat *Catholico*, a Io. de Ianua, ut Vir celeberr. exiſtimat, ao. 1460. (mendoſum tamen eum annum arbitratur,) expreſſo. Confuderunt haec inter ſe plurimi ſcriptores, inde diſſenſus illi et errores, Schoepflino excepto: qui tamen et ipſe ligneos aeneosque typos eundem ad auctorem refert. Lignei characteres ab Laurentio ſunt inventi, ut videtur. Moguntini metallicos ſubſtituere; Gensfleiſchius et Gutembergius ſculptos; fuſos tandem Schoefferus. Priore neglecta, ſolae duae illae rationes artis typographicae, ſive chalcographicae, obtinuerunt. Veteres itaque, cum Moguntiae inventam artem perhibent, de elegantiore illa ratione, non de primis incunabulis videntur loqui; quae cum Laurentiani ingenii non ſit, ille, quanquam inventor totius rei ſit, tamen artem, (chalcographicam ſcilicet, xylographus enim potius fuit,) negatur inveniſſe, cum typographiae inventor dici iure queat. neque enim haec vox materiam litterarum factitiarum, ſed rem ipſam notat, quae vox tamen toto fere ſaeculo eſt recentior. Tota itaque res cum a mobilitate litterarum pendeat, Laurentio eam vindicavit Meermannus; nam certe ad ceteras artis

Digitized by Google

emendationes facilis erat abhinc progreſſus. Fuſiles typi in *Durandi Rationali divinorum officiorum* ao. 1459. primum apparuerunt, neque tamen ſculptiles ideo ſtatim obſolevere, quin et hi a Petro Schoeffero et aliis retenti ſunt diu. Magna invenitur in vetuſtis bibliothecis librorum copia, qui, cum inaequali charactere expreſſi ſint, talibus litteris videntur deſcripti eſſe. Pluribus enim deinde ea ars innotuit: Io. Mentelio, Henr. Eggenſteinio, pluribusque officinae Moguntinenſis operariis, qui rupta, inter Fauſtum et Gutembergium quae fuerat, ſocietate, ſinguli, quae didicerant, excoluere. Sic Iohannes a Petersheim, Henricus Keffer, Udalricus Zellius, Io. Bammler, et alii fortaſſe quamplurimi, videntur, quae a dominis aliquando didicerant, ipſi dein ſuis auſpiciis factitaſſe. Sic utraque ratio tunc viguit. Sculpti enim libri quamplurimi etiamnum extant, quorum titulos ſi quis velit cognoſcere, auctorem adeat. Fuſius ille de hac re.

Atque haec erant de originibus primis diſputata. Iam vero auctor cetera capita inſtituti operis quam breviſſime collegit, de quibus nunc aliqua dicemus. Primum igitur complectebatur origines; ſecundum dein Laurentii, primi inventoris, genus, aetatem, poſteros tradit. Gente natus erat Coſterorum, (aedituum ſignificat, quod id muneris hereditario iure ad eam familiam pertineret;) patre Iohanne, et anno 1428. Scabinus fuit Harlemi. Genus ipſum ex primis Hollandiae comitibus, per nothum quendam, deſcendit. Pater Ioannes 1380. circiter bello civili periit. Natus ipſe 1370. Haec, et cetera quae geſſerit, quibus ornamentis inſignitus fuerit, quando mortuus, intra annos ſc. 1435. et 1440. ea omnia noſter ſe inſtituto in opere luculentius expoſiturum promittit. Caput III. auctoritates pro inventa Harlemi typographia continet. Hoc enim ita eſſe, et teſtes idonei declarant, et libri qui ibi editi ſunt. Nititur res primum *Cornelii* Bibliopegae praecipua auctoritate, qui famulus Laurentio fuit; ille hoc ita eſſe affirmavit: duobus fide dignis viris, qui diverſo tempore iisdem verbis Hadriano

Iunio

Iunio id narravere, ſicut ipſe in Batavia, quam ſcripſit, auctor eſt. Alter teſtis eſt *Udalricus Zellius*, is, qui primus Coloniae libros impreſſit, *in relatione de inventionibus Hollandicis et Moguntinis*, quae continetur Chronico Colonienſi 1499. quod Germanice et Latine edendum auctor pollicetur. Tertius *Marianus Accurſius*, Saeculi XVI. ineuntis ſcriptor. Horum uterque *Donatos* impreſſos eſſe in Hollandia teſtatur, atque exinde artem Moguntiam derivatam eſſe. Quartus eſt ſcriptor anonymus Britannus, Accurſio forte coaevus, cuius fragmentum ao. 1664. ab Atkinſio eſt editum. Hic repertam Typographiam ait Harlemi, per fratrem unius ex operariis Moguntiam deveniſſe. Quintus *Io. a Zuyren*, Senator Harlemenſis, qui circa medium Saeculum XVI. primus ex inſtituto urbem ſuam tuitus ea in re eſt. Sextus *Theodor. Coornhertius*, in nova typographia Harlemenſi ſocius, in dedicatione officiorum Ciceronis, quae ao. 1561. Belgice edidit. Septimus *Ludov. Guicciardinus*, Italus, in Belgii accurata deſcriptione, an. 1567. edita. Docebitur autem etiam ab auctore, cur Hiſtorici Belgae Saeculi XII. et XVI. de Laurentio ſiluerint. Capite quarto auctor ſe hiſtoriam typographiae Harlemi inventae, Moguntiam furto translatae, enarraturum promittit. Conciliabit itaque tempora inter ſe, dicet de primo ſpecimine, quod Laurentius in uſum nepotum excuderat, quod nemini adhuc viſum, ex muſaeo Enſchediano, tabula aenea ſiſtetur, quod omnibus libris antiquius eſt. Dicetur de emendatione atramenti, et libris nonnullis a Laurentio excuſis. De hiſtoria furti autem, Laurentium ſacramento adegiſſe famulos, ne proderent arcanum: horum unum, hero mortuo, ſurreptis inſtrumentis, Moguntiae officinam dein erexiſſe. Haec auctoritatibus idoneis adverſus ſecus ſentientes confirmabuntur. Factum ipſum ao. 1440. contigit. Furtum neque Fauſtum, neque Gutembergium, ſed Io. Genſefleiſch ſen. feciſſe, et ſi qua ſunt alia, ea hoc capite exponentur. Quintum iam caput, de operibus officinae Laurentianae aget, domeſtico primum modo, i. e. ligneis, poſt alieno, i. e. metallicis

 litte-

litteris factis, pluraque eam ad rem quae pertineant, fuſius habet. Sextum de heredibus Laurentii. Typographiae Harlemenſis fama in Angliam poſthac delata, operam dederunt Angli, ut aliquem operarum alienarent ab ea typographia; voto etiam potiti ſunt, abducto Oxoniam Friderico Corſellis. Qui novi in Belgium acceſſerint artifices, quando hinc ſe Harlemenſes in Italiam contulerint, et ſi qua ſunt alia, hoc caput breviter complectitur; Oxonienſis autem typographiae origines ab Harlemenſi, ſingulari diſſertatione ſe derivaturum, Auctor ſpondet. Iam ſeptimum caput Moguntinenſis typographiae origines illuſtrat. Moguntinum enim typographum puduit tandem informis ligneique operis, metallicumque et ipſe ſubſtituit. Sic diu correxit multa in arte, Bibliaque ao. 1450. tandem Latina aeneis characteribus expreſſit. Hi itaque ab eo inventi ſunt, teſte Io. Fuſt, minime vero ars ipſa, i. e. lignei, neque enim hoc volunt, ſed de ſtanneis loquuntur. Haec itaque et ſimilia, totiusque rei fuſior tractatio, capite hoc comprehenduntur. Proximum ad Argentoratenſis pertinet. Habetur autem ab aliis Guttembergius, ab aliis Menzelius, inventor artis. Societatem cum quibus inierit, quomodo impreſſerit, quod triginta annos Laurentio iunior ſit, non invenerit, ſed excoluerit artem, et plurima talia, hic exponuntur. Ultimum tandem caput libros enarrat, tabellis integris expreſſos, qui nec omnes, nec nulli, pertinent ad Laurentium; eos nimirum, qui imagines exhibent, partim ligneis, partim aeneis tabulis effictas. Subſequitur ad calcem libri Index auctoritatum, de inventione artis typographicae, quarum tres ſunt claſſes: prima eorum, qui rei ipſi interfuere; altera ſcriptorum Seculi XV. omnes, XVI. potiores, quibus certum tempus aſſignari poteſt; tertia tandem auctoritatum earum, de quarum tempore non ſatis conſtet. Haec itaque, ut arbitramur, facile alicui poterunt cupiditatem iniicere, non ſolum huius Conſpectus, qui et eleganter, et docte ſcriptus eſt, ſed ipſius etiam Operis, cui faventem Lucinam adprecamur, cognoſcendi. Et intereſt profecto omnium artium, artis eius, cuius ope conſervatae ipſae ſunt, incunabula certo noſſe.

Digitized by Google

noſſe. Dicemus autem de ipſo Opere, quamprimum, illuſtris Meermanni beneficio, ad nos venerit.

Heinrich Chriſtians, Freyherrn von Senkenberg, Abhandlung der Lehre von der Kayſerlichen höchſten Gerichtbarkeit in Deutſchland, nebſt Vorrede, vielen Urkunden, und Regiſter.

i. e.

HENR. CHRIST. L. B. A SENCKENBERG COMmentatio de ſuprema Imperatorum in Germania iurisdictione.

Francof. ad Moen. 1760. 4.

Ea eſt huius libri praeſtantia, ut nullis laudibus egeat, ſeque ipſe cum dignitate materiae, tum ubertate doctrinae, commendet. Auctor Perill. ubique fontibus, unde ius patrium manat, ſuos hortos irrigavit, totque flores pulcherrimos ſparſit, ut non ingratum lectoribus fore ſperemus, ſi amoeniſſimum quemque inde decerptum, eo, quo nexos vidimus, ordine, huc afferamus. Hoc primum modeſtiae tribuimus, quod initio praefationis ſe ſpicilegium tantum legiſſe dicit. Priſca morum ſimplicitas §. 3. laudatur, Iudicumque tres ordines antiquitus inſtituti memorantur. De iudice inferiore, de ue iure ad ſuperiores provocandi, agit §. 4. 5. Cum ſaepius accidit, ut iudicibus Camerae cauſſas cognoſcendas Imperator committeret, factum eſt, ut ſub Imperatore Friderico II. perpetui camerae commiſſarii conſtituerentur, quorum hiſtoriam §. 7. 8. A. attigit. Ordinaverat etiam Caeſar iudicium curiae, iis, quae Imperatoribus ſolis reſervantur, maxime intentum §. 10. Quod uti ex viris ſummae dignitatis conſtitit, ita in cauſſis potiſſimum Principum ſuffragia tulit, §. 11. 12. Cauſſas ab hoc praeclaro collegio diſceptatas, per indicem §. 13. A. exhibet, ſimulque §. 14 animadvertit, huius ordinis poteſtatem tam late patuiſſe, ut vel de iis cauſſis, quarum cognitio Camerae iudicibus erat denegata, auctoritate Caeſaris iudicaverit. Conceditur tamen §. 16. graviores aliquando cauſſas, neceſſitate urgente, ad ipſos Imperii Principes fuiſſe delatas. Supre-

Digitized by Google

mam iuriſdictionem §. 17. Imperatori vindicat, atque §. 20. finem in hoc libro conſtitutum proponit, ad quem iam propius, duce V. Perill. accedere iuvabit.

Omne Germanorum iudicium in duplex genus dividitur, quorum alterum ex iure imperii, alterum ex iure dominii deducitur §. 1. Prius ad omnes vi proprietatis pertinet, poſterius Princeps ſalutis publicae tutor exercet. Quae vero fundis adhaeret iuriſdictio, ea variis nominibus §. 2. deſignatur, quam quidem Principes in alienis terris aeque ac in ſuis adminiſtrant. Libera iudicia ex poteſtate ſuprema §. 3. repetit A. quae pro cauſſarum varietate, res tam civiles, quam criminales tractant. Quorum diſcrimina cum plures ignorarent, craſſi errores inde nati ſunt §. 4. Memorantur prae ceteris §. 5. iudicia provincialia, in quibus iuſſu Caeſarum cauſſae provinciarum diſcuſſae ſunt. Qui huiusmodi iudiciis praefuerint, §. 6. nominantur. Praeterea nonnulli loci horum iuriſdictioni exemti, comitibus duntaxat palatii paruerunt, in quibus §. 8. Francofurtum, Argentoratum, Spira, Auguſta Vindelicorum, etc. numerantur, curiis ſuperioribus ſubiecti. Duces vice regia iudicia habuerunt, quorum curam aliis rurſus demandaſſe leguntur §. 9. Quale floruiſſe dicitur §. 10. in ſede regia Sueviae. Legatos regios in ducatibus Caeſari obnoxiis, adhibitis civium conſiliis, controverſias diremiſſe, ex documento §. 11. adducto, ſatis apparet. Sub Rudolpho I. quatuor iudiciorum provincialium nobiliora genera exorta ſunt, de quibus §. 12. ſqq. copioſius exponitur. Subiungit A. alia, ut Altenburgenſe §. 15. cuius iudicii antiquitatem, ipſosque iudices §. 16. ſqq. recenſet. In Franconia ſaeculo decimo tertio iudicium Wimpinenſe occurrit §. 21. quod diu neglectum, Caroli IV. iuſſu reſtauratum eſt. Urbs Rotenburgum floruit iudicio a Rudolpho I. confirmato, cuius facies §. 22. 23. repraeſentatur. Tugurinis Carolus IV. ſimile iudicium tribuit. Quod vero ad Rothwilenſe attinet, eius origines incertas in Alberti I. aetatem confert, atque nonnullorum in eo errores §. 30. 31. perſtringit. Schwederus, Schilterus, ac Tſchudius, tamquam locupletisſimi teſtes nominantur §. 33. Quas

te. ras

Digitized by Google

terras ſucceſſu temporis complexum ſit, §. 34. teſtatur. Noſtra quidem aetate priſtinis limitibus coercetur, quos §. 35. 36. Auctor definit. Cuius iudicii hiſtoriam luculentis monumentis illuſtravit N. 7-13. de quibus §. 38. ſeqq. conſulas. Qualis fuerit auctoritas, vel ex eo patet, quod Argentoratum eius tutelae ſe crediderit §. 52. Cur in eo reformando conſilium Caeſaris aulicum fruſtra laboraverit, §. 54. 55. monſtratur. Sanctiones vero, quibus regitur, §. 56. 57. docent. Wenceslaus, Rupertus, ac Sigismundus, Imperatores, ſedem iudicii ſtabilem in urbe Rotwila fixerunt. Imperatores aliquando ibi iudicando praeſediſſe, §. 61. obſervatur. Progreditur A. ad iudicia Weſtphalica §. 64. quorum ortum Carolo M. tribuit. Praeerant iis duces Weſtphaliae §. 65. pluribus Scabinis communiter edicentibus. Sedes vero primaria Tremoniae erat locata §. 68. Caeſaris fuit ſecreta iudicii occultare, iudicum crimina graviora anquirere, §. 69. ſqq. Fide codicis, N. 21. inſigniti, ductus §. 72. contendit V. P. olim ambitum iudicii finibus Weſtphaliae fuiſſe terminatum, poſtea liberalitate Caeſarum in exteris quoque terris eiusmodi iudicia fuiſſe condita. Conferas monumenta N. 22. 23. 24. adiuncta. In primis Caroli IV. privilegiis occultae ſedes ubique fuerunt erectae, cum ad crimina in univerſum perſequenda, tum ad pacem, eo auctore factam, melius tuendam §. 74. ſqq. Cum iam incredibiles moleſtiae orirentur, Wenceslaus morbis mederi cupit, pacemque per omne Imperium firmat, ſucceſſu tamen minus optato §. 78. 79. Quo audaciae proceſſerint male informati iudices, ex §. 80. ſqq. liquet. Ab iis ad camerae iudicium provocatum fuiſſe, ſcripta §. 84. excitata fidem faciunt. Ut vero ſumtibus parcerent, arbitros elegerunt Principes, qui legitimis ſententiis lites ſopirent §. 85. Duplicem proceſſum ſiſtit §. 89. occultum atquè apertum, quorum ille in capitalibus, hic in civilibus occupabatur. Iam §. 91. 92. adverſus eos pugnat A. qui haec iudicia abrogata fuiſſe affirment, cum potius non uſu evanuerint. Aucta eſt Statuum Imperii dignitas, crevit in dies camerae iudicium, ut non mirum videatur

tur Auctori §. 94. 95. quod arcanis iudicibus parum relictum ſit. Multi ſe iis ſubtraxerunt, alii contra per inveſtituram ius Frigraviatus inveteratum renovarunt §. 96. ſeqq. Senſim in deſuetudinem abierunt, quorum reliquias in hodiernis iudiciis §. 101. oſtendit. Si quis iudicium curiae Magdeburgenſe noſcere velit, §. 102. 103. inſpiciat. Quibus ſignis curiae iuſſu Caeſarum conditae ab aliis diſcernantur, §. 108. ſqq. exponit, quae eo diligentius videntur conſideranda, quo magis eorumdem ignoratione in re medii aevi iudiciaria peccari ſolet. Cum quibus A. confert pacis iudicia, quorum vim ex iudicatis probat §. 111. Iudicia igitur provincialia curiis imperatoriis merito paruiſſe §. 114. exiſtimat. Anno 1441. ſancitum, ut iudicium camerae atque alia certis legibus obtemperarent §. 115. ſqq. Minora iudicia, aut ſervis, aut liberis erant accommodata. Inde apparet, cur Vrigerichte appellata, et cur nomen de Weſtphalicis praeſertim adhibitum ſit §. 119. ſqq. Advocati imperiales liberis urbibus praepoſiti, non minus ſtatis temporibus iudicia exercuerunt provincialia §. 125. 126. Quo Burggrafiatum Noribergenſem, iudicium Herbipolenſe, ac Suevicum §. 125. ſqq. refert. Ex his multa deducit iucunda, lectu certe digniſſima §. 133. ſqq. Subnectit locos ex diplomatibus ineditis, variisque aevi monumentis deſumtos, quorum fidei haec inaedificavit. Sequitur appendix de iudiciis Caeſareis in Franconia, libro illuſtrando confecta, quam paucis excutiamus. Declarat §. 1. quare hoc ſupplementum addat, duasque cauſſas affert, ut nonnulla ſupra relata planiora faceret, et Laurentii Friſii librum de vitiis iudicii Herbipolenſis e codice manu deſcripto evulgaret. Ex quo §. 2. confirmat, quatuor iudicia provincialia uni curiae ſuperiori fuiſſe ſubdita. Quaedam ad iudicium ducatus Franconiae pertinentia §. 3. proponit. Quantum auctoritate potuerit, quantum ſibi in omnes nobiles atque ignobiles Franconiae ſumſerit, e §. 4. 5. conſtat. Omnia vero cauſſarum genera ibidem fuiſſe diſceptata, §. 6. 7. affirmat. Vicit ibi ius domeſticum, maiorum mores; conſecutis tamen temporibus pere-

peregrina pariter obtinuerunt §. 8. Sententias iudicum provinciae ab imperii iudiciis confirmatas ſtatuit §. 9. Burggrafii Norici Herbipolenſibus poteſtate haud ceſſerunt §. 10. quos inter ſe §. 11. ſcite contendit. Hic quoque moribus antiquis iudicatum §. 12. De feudis haud iudicare iudicibus provinciarum permiſſum §. 14. Formam iudicii Vohburgenſis et Hirsbergenſis ex §. 15. cognoſcimus. Henneber gerſe ab Herbipolenſi diſcernit §. 16. Minora vero iudicia provincialibus Franconiae paruiſſe, non ſine cauſſa §. 17. coniicit. Cum vero maiora omnes cauſſas, ſi a caſibus reſervatis diſceſſeris, cognoverint, ab iisdem ad ſolum Imperatorem provocare licuit, §. 18. 19. De perſonis et cauſſis, quas privilegia exemerunt, §. 21. legere iuvabit. Tandem Laurentii Friſii libellus annectitur, qui, ſive antiquum dicendi genus, ſive rituum varietatem ſpectes, iucundus videbitur. Quid moribus maiorum tributum ſit, ex T. 6. et 20. perſpicue intelligitur. Nos hoc quoque beneficio obſtricti Perill. Auctori debitas gratias agimus, id maxime optantes, ut et in poſterum de patria bene mereri pergat.

D. Chriſtoph Auguſt Heumanns Erklärung des Neuen Teſtaments. Eilfter Theil, ꝛc.

i. e.

CHRISTOPH. AUG. HEUMANNI COMMENTARIOrum in Novi Foederis Libros Divinos PARS UNDECIMA; qua poſterioris D. PAULI ad Chriſtianos Corinthiacos Epiſtolae Capita priora undecim illuſtrantur.

Hanoverae, 1760. apud heredes Förſterios. pagg. 510. octonis.

Accidit ſaepenumero reipublicae litterariae moleſtum, ut ſcriptores provecta aetate preſſi *malint*, quemadmodum ille ait, *deficere, quam deſinere*. Sed habet tamen haec veteranorum in doctrinae ſtylique palaeſtra athletarum cohors *Heumannos* ſuos, graves quidem annis, (ut meritorum hono-

 ribus,)

ribus,) viros, ſed quibus nihil de vigore ingenii detraxerit ſenectus, quin maturitatem potius iucundam et certae utilitatis, conciliaverit. Ac Noſter quidem cum egregiam vitae partem tribuerit librorum divinorum interpretationi, (ſatis autem conſtat quam feliciter,) notis in ſtudiis et vere ſuis verſatur, dum in eadem excolenda pulchre conſeneſcit. Eſt enim profecto illa litterarum ſacrarum recta explicatio, non breviusculi ardoris opus, ſed plurimorum annorum, quos parandis ſubſidiis grammaticis, acuendoque ingenio, conſumſeris.

Iam ex hoc Volumine quaedam praecipue memoranda proponamus. Tradito Epiſtolae poſterioris ad coetum Corinthiacum argumento, refellit Ven. Auctor ſententiam viri docti, qui initia muneris Apoſtolici S. Pauli ſerius conſtituit, putatque illa coepiſſe tum demum, cum, ſocio Barnaba, ad ethnicos mitteretur, Act. XIII, 46. Porro contra eundem docet, Barnabam non fuiſſe Apoſtolum; neque enim Chriſti ipſius voce vocatum fuiſſe, (quod Paulo contigiſſe, iam Actuum Apoſtol. Caput IX. oſtendat;) deinde, quod idem nominis tulerit, Act. XIV, 4. 14. eo indicari, legatum divinum fuiſſe, ſed vocatum opera humana, C. XIII, 2.

Afflictionem, cuius meminit v. 8. Cap. I. gravem morbum interpretatur continuo v. 9. 10. non quae eſt vulgaris opinio, perſecutionem. Verba v. 9. ἐν ἑαυτοῖς τὸ ἀπόκριμα τȣ͂ θανάτȣ ἐσχήκαμεν, multis obſcura, ita vertit *Heumannus: penitus animo meo perſuaſeram, me moriturum,* additque, phraſin illam hoc unice loco legi, vim autem eius ex contextu agnoſci, ad quam proxime acceſſerit verſio *Caſtalionis.* τὸ χάρισμα v. 11. exponit *reſtitutam ſanitatem,* quam Paulus dicit ſe recepiſſe, multorum hominum cauſſa, qui a ſe ad Chriſtum deducendi eſſent. Poſtremum Capitis verſum hac paraphraſi declarat: *Non iuſſit me vobis dominari Deus, ut vos velut ſervos increparem, ſed vobis ſervire me voluit, vosque adeo nullo metu a me alienari, ut potius adventu meo aliorumque doctorum exhilarari vos deceat.*

Cap. II. v. 10. illa ἐν προσώπῳ Χριςȣ͂, ex v. 17. eiusdem Cap. lucem accipiunt, ubi haec cognata invenias: κατ' ἐνώ-

πιον

πιον τῦ Θεῦ, *inſpiciente et ſciente Deo.* Vocis Χϱιςῦ v. 15. explicationem apud neminem interpretum ſe reperiſſe ait Ven. Auctor, exiſtimatque, ſenſum apertiorem fore, ſi illud τῷ Θεῷ abeſſet in antiquis Codd. MStis.

Cap. III, 5. vocem λογίσαϑαι reddit *perpendere*, eandemque illi poteſtatem, Philip. IV, 8. adſcribit. Mox ad *v. 6.* monet, bis vocem διαϑήκη illic omiſſam eſſe, primum ante γϱάμματος, dein ante πνέυματος; pro brevitate nimirum Paulo dilecta. Παῤῥησίαν v. 12. *imperterritum animum* eſſe cenſet, et ἀλλὰ v. 14. particulam copulativam. De verbis v. 17. Ὁ δὲ Κύϱιος τὸ Πνεῦμα ἐςιν, ſentit, ea tantae eſſe obſcuritatis, ut ſumma neceſſitas compellere interpretem ad hunc textum emendandum poſſit. Obſervaſſe *Graverolum*, Theologum Anglum, τὸ O in Codd. ſcriptis ſaepius ὂυ ſignare, quod et *Montefalconius* Palaeogr. Graecae p. 131. 141. probet. Itaque hoc loco legendum eſſe: ὂυ δὲ Κύϱιος, κ. τ. λ. *ubi Dominus eſt, ibi eſt et Spiritus eius.* Fruſtra obiicere Wolfium, deſiderari hic τὸ ἐκεῖ; nam illud et Rom. V, 20. abeſſe. Ceterum *Bengelium* quoque in Gnomone hanc explicationem caſu arripuiſſe.

Cap. V, 16. qui locus plurimum torſit interpretes, hoc modo exponit. *Non hoc ſpecto, utrum aliquis de eadem mecum gente, id eſt, Iudaeus ſit: nihil Iudaeum inter et ethnicum diſcriminis ſtatuo. Imo quamvis gentilis Chriſti ſum, ducens velut ille ab Abrahamo originem, tamen adeo non curo hanc cognationem, ut converſos e gentibus non minus pro fratribus habeam, quam Chriſtianos ex Iudaeis.* Conf. Rom. IX, 5. Gal. III, 28. V, 6. VI, 15. Col. III, 11. In exitu Capitis verba, ἵνα ἡμεῖς γινόμεϑα δικαιοσύνη Θεῦ ἐν ἀυτῷ, hypallagen continere, qualis fere Rom. IX, 31. exſtet, obſervat.

Caput VII. orditur Vir ſumme Rev. a verſu: ταῦτας ὖν ἔχοντας κ. τ. λ. cum illum alii extremum capitis VI. faciant. Atque hi opponunt, nullum huic verſui cum ſequenti nexum intercedere. Quibus reſpondet Noſter, ſimilia exempla 1 Corinth. Cap. I, 3. 12. 13. IV, 13. XIV, 26. XV, 34. occurrere. Singularis eſt locutio v. 2. Χωϱήσατε ἡμᾶς, quam red-

Digitized by Google

reddit: *Auſcultate quaeſo mihi porro patienter;* ſed fatetur tamen, coniecturam ſe tantum adferre. Verſus 11. hanc explicationem edit: *Quantum epiſtola mea in vobis ſtudium, vos emendandi, excitavit! Nam et* defenſionem *veſtri ſuſcepiſtis reſpondendo, non omnem coetum veſtrum propterea accuſandum eſſe, quod inceſtuoſus ille homo eiectus ex eo non fuerit; et* indignatione *contra hunc eundem exarſiſtis; et* metu *poenarum divinarum, quibus digna eſt indulgentia veſtra, correpti fuiſtis; et* deſiderium *in vobis natum eſt, ut ad vos redirem, vosque huius peccati culpa abſolverem; et* acerrima contentio, *vos corrigendi; denique et* vindictae cupido, *ut videlicet crimen hominis illius ſevere vindicaretis.*

Cap. VIII, 24. *εἰς πρόσωπον τῶν ἐκκλησιῶν*, primum recte interpretatum eſſe ſcribit Ven. Auctor *Raphelium* in Obſerv. ad N. Teſt. ex Herodoto, p. 698. docentem ex pari forma orationis in Hiſtoria Eccleſiaſt. *Euſebii,* verba illa deſignare: *erga* vel *ad Eccleſias.* Cap. X. v. 2. hanc Paulo mentem tribuit: *Hortor atque adeo rogo vos, ne vos ita geratis, ut, cum ad vos venero, neceſſum habeam, durius vobiscum agere, et Apoſtolica conſtantia uti, quam omnino tueor contra eos, qui et credunt et aiunt, me non divinitus actum eſſe Apoſtolum, ſed prorſus ceteris hominibus ſimilem.* Addamus et verſus 12. explicationem. *Equidem eius temeritatis non ſum, ut illis accedam, meque cum ipſis comparem, qui ſe ipſos laudant: hi enim cum ſe quisque alteri praeferat, ſtultitiam ſuam ſatis manifeſtant.*

Cap. XI. verſum 4. interrogationem ſiſtere oſtendit Vir S. R. Ἰδιώτης τῷ λόγῳ v. 6. vertit: *loquendi ſcribendique imperitus.* Ad v. 8. reprehendit eos, qui Paulum ſi non ſemper, nonnumquam tamen, ſalarium ab eccleſiis accepiſſe autumant; ὀψώνιον autem hoc loco cum *Theodorito* vertit: *quidquid ad vitam ſuſtentandam pertinet.* Verba: ἐν τῷ βυθῷ v. 25. refert ad naufragium Paulli, qui trabe arrepta diem integrum a fluctibus iactatus et eo usque tectus fuerit nonnumquam, ut medio in mari verſari videretur. Subſtitit autem Ven. Auctor, temporis anguſtia adactus, in hoc Capite, reliqua duo additurus proximo eoque ampliore Volumine.

Ex

Digitized by Google

Ex hoc quidem pauca decerpſimus; ſed vel pauciora in ſcriptore tanti nominis, in libro tantae claritatis, ſuffecerint. Cernitur et in hoc Volumine diligens ad loca ſingula enumeratio accurataque cenſura eorum, qui Commentariis in libros divinos ſcriptis memoriam ſuam illuſtrarunt. In his v. c. *Iuſtinianum*, de Societate Ieſu, accuſat Noſter, ſpoliatarum ſaepiſſime, claris veſtigiis, Annotationum *Bezae* in hanc Epiſtolam. Sed nunc quidem cohibemus calamum: inſtat illi copioſa ſeges in nova Operis Parte, quam avidi exſpectamus.

NOVA LITTERARIA.

AD IURISCONSULTOS, ET IURISPRUDENTIAE Studioſos, Programma Ioannis Riccomini Lucenſis Bibliopolae, de nova editione DONELLIANORUM Operum.

Immortalia ſummi Viri IACOBI CUIACII I. C. Opera, quae Neapoli aetate noſtra in lucem reſtituit Mutiana Typographia, tam avide arripuere Iurisprudentiae cultores, ut brevi tempore diſtractis exemplaribus, cum quotidie magis deſideraretur CUIACIUS, novam editionem inſtrui oportuerit, quae Venetos iam Typographos exercet. Cum vel hoc uno exemplo intelligi poſſet, quanto nunc in pretio habeantur optimi interpretes, praeceptoresque civilis Iuris; multique praeſtantes viri mihi ſuaderent, ut, quod alii CUIACIO, id ego CUIACII aemulo HUGONI DONELLO, officium praeſtarem, conſilium cepi, univerſa huius celeberrimi Iurisconſulti Opera elegantibus typis Vincentii Iunctinii noſtri inſtaurandi, ac recudendi, ut quorum inopia maxime laboramus, ea ſibi quisque facile parare poſſit. Quod et literariae reipublicae gratum fore confido, et utile Iurisprudentiae, quae multis in bibliothecis tam premitur bonorum librorum penuria, quam inanium copia.

Neque in eo mihi nunc elaborandum eſſe puto, ut oſtendam, quam praeclare de Iure civili meritus fuerit HUGO DONELLUS, quantumve utilitatis ex eius ſtudio percipi poſſit. Quam enim commode praeclariſſimus hic noſter Iuris-

Iuriſconſultus univerſum Ius civile complexus fuerit magnifico ſplendidoque Opere, quod inſcripſit *Commentaria Iuris Civilis;* quam docte, quam exacta fide, interpretis accurati partes agat in Commentariis ad Leges ſingulas: quanta cum dexteritate difficillimos iuris nodos expediat; quam acutus ſit, quam facilis, quam copioſus; quanta in eo gravitas, maturitasque iudicii, quanta rerum ubertas, dignitas, perſpicuitas, elegantia, tam multorum teſtimonio compertum eſt, ut neminem latere poſſe exiſtimem. Ecquis eſt, qui neſciat, quantum univerſus Iuriſconſultorum ordo plauſum dederit ARNOLDI VINNII I. C. Operibus, cum eſſent a Venetis Typographis longe lateque per Italiam evulgata? Atque VINNIUM exquiſita doctrina, et acri iudicio virum, HUGONI DONELLO multum debere, teſtantur qui utrique ſcriptori non perfunctoriam operam dedere. Quo magis ergo laudantur Libri ARNOLDI VINNII, eo magis deſiderabilia ſunt HUGONIS DONELLI Opera, tum quia fontes ipſos adire iuvat, tum quia VINNIUS partes quasdam, DONELLUS totum civile Ius illuſtrandum tractandumque ſuſcepit, ut DONELLI Opera inſtar propemodum bibliothecae eſſe poſſint. His et illud accedit, quod DONELLO cum paucioribus commune eſt. Nam cum ipſe auditorem ſuum in ipſo iurisprudentiae veſtibulo excipiens in adyta iuris, et in intimos usque receſſus ac penetralia perducat: utiliſſimus eſt omnibus, qui in ſcholis, et academiis, quique in foro verſantur, et ad ius pernoſcendum, reſpondendum, dicendumque, et ad cauſas agendas, et ad quaeſtiones difficillimas enodandas.

Igitur operam dabo, ut quamprimum elegantiſſimis typis *Vincentii Iunctinii*, affabre in Hollandia conflatis, in lucem reſtituantur HUGONIS DONELLI I. C. Opera omnia, *in folio.* Singula cuiusque Operis Capita, quae nullis interſtitiis diſtincta Lectorem fatigarent, in *Paragraphos* commode diſpertientur. In fronte cuiusque Capitis conſtituentur *Summaria*, ut vocant, ex quibus primo ſtatim obtutu perſpici poſſit, quid quoque loco contineatur, ut ſine diſpendio tem-

temporis, ſine mora, quidlibet invenire poſſis. *Summaria*, quae Commentariis ad Leges ſingulas praefixit SCHEGKIUS, nec loco temere movebuntur, neque inexplorato admittentur in novam hanc et accuratam editionem, cum ſaepius eo minus rem exhauriant, quo magis abundant verborum copia. Donellianorum Operum agmen claudet *Index generalis*, maxima diligentia, ſingularique artificio compoſitus, ut et dignitati Operum, quibus inſtrumento eſſe debet, et Iuriſconſultorum deſiderio reſpondeat. Maiori autem Operi, cui Auctor doctiſſimus *Commentariorum Iuris Civilis* nomen impoſuit, accedent *Notae* OSUALDI HILLIGERI, quas eruditiſſimus hic Iuriſconſultus adiecerat DONELLO *enucleato*. Hae, quas dixi, *Notae*, in anterioribus editionibus impreſſae ſunt in calce cuiusque Capitis. Ego vero, ut Lectoris commodo ubique inſerviam, ſuas cuique paginae notas ſubiiciam, ut noſtra aetate fieri conſuevit. Iis autem locis, (qui tamen numero pauciores ſunt,) ubi DONELLUM, eiusve Scholiaſtem novarum factionum turbines ac fluctus impulerunt in devia, *Notas* ſalutares apponam, quibus ſuus veritati locus, reiectis exturbatisque falſis opinionibus, aſſeretur, ne qua errandi occaſio incautis relinquatur.

Neque vero is ego ſum, qui neſciam, haec a me promiſſa impleri non poſſe, niſi praeſtantis alicuius viri opem, conſilium, operam, auxilium mihi adiungam. Sed omnis res in vado eſt. Iam enim amicorum hortatu ac precibus me voti compotem fecit Vir Cl. BARTHOLOMAEUS FRANCISCUS PELLEGRINI, in Ill. Academia Piſana Anteceſſor, cuius humanitati, ac reipublicae iuvandae ſtudio, ego felicem propoſiti inceptique mei exitum, literaria respublica Donellianorum Operum editionem, omnium, quae antehac prodierunt, commodiſſimam, pulcherrimam, utiliſſimamque debebit. Ego vero diligenter curabo, ut emendatiſſima ſit.

Charactere, ſeu literariis typis, et charta utar eiusdem formae, ſpeciei, et magnitudinis, qua Programma impreſſum eſt. Nam utriusque materiae ſpecimen edendum cen-

cenſui, ut ex eo futuri operis venuſtas et magnificentia aeſtimari poſſet. Grandiori charactere DONELLI Opera, minutiori *Notae*, quas dixi, imprimentur. Opera ipſa in *Volumina*, ſeu *Tomos* iuſtae magnitudinis, diſpertientur. Singula *Volumina*, ſive *Tomi*, conſtabunt *Foliis* non minus centenis quinquagenis quinis, nec amplius ducentenis.

Propoſitum aſſequi non poſſum ſine maxima impenſa. Proinde iurisprudentiae, bonarumque artium cultores amatoresque rogo obteſtorque, ut in ſocietatem magnifici operis venire velint, cuius ſocietatis hae leges erunt. Qui nomen propoſitae ſocietati dederint, ac primi *Tomi* pretium praenumeraverint vertente hoc anno MDCCLXI., ſecundi *Tomi* pretium poſt expletam editionem primi *Tomi*, tertii *Tomi* pretium ſimiliter poſt editionem ſecundi, et ſic deinceps, his DONELLI Opera valebunt triente minus, quam caeteris. Nam ſingulorum *Tomorum*, ſeu *Voluminum*, pretium erit tricenorum *Iuliorum*, quos vulgo appellamus *Paoli*. Sed qui in ſocietatem venerint eo modo, quo dictum eſt, hi pretii nomine non amplius dabunt, quam vicenos *Iulios* in ſingula *Volumina*, ſeu *Tomos*. Libri vero tradentur hic Lucae, avehendi ſumptibus ac periculo ſociorum. Qui ſibi cavere velint, hi probatiſſimo Viro D. IOANNI BAPTISTAE quondam D. Bartholomaei TALENTI, pecuniam praenumerent ea lege, ut ſi per me ſteterit, quo minus Libri ſuo quique tempore tradantur, pecunia reſtituatur. Vir ſummo officio praeditus rem fide ac periculo ſuo eſſe iubebit.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Iuniis Anno MDCCLXI.

Pars I.

PINACOTHECA PRINCIPUM AUSTRIAE, IN QUA Marchionum, Ducum, Archiducumque Auſtriae utriusque ſexus ſimulacra, ſtatuae, anaglypha, caeteraque ſculpta caelata pictave monumenta tabulis aeneis inciſa referuntur et commentariis illuſtrantur. Opus in duas partes tributum, quod eſt Monumentorum Aug. Domus Auſtriacae TOMI III. PARS POSTERIOR, continens commentarium, quo tabulae aeri inciſae reliquae exponuntur, ſubiecto indice. Operam et ſtudium conferentibus P. R. P. MARQUARDO HERGOTT, Ord. S. Benedicti Principalis Aſceterii ad S. Blaſium. Capitul. Reverendiſſ. ac Celſiſſ. S. R. I. Principi San-Blaſiano a ſecretis conſiliis, Vices gerente, et Praepoſito in Crozingen, nec non Sacr. Caeſ. Reg. Maieſtatis Conſiliario et Hiſtoriographo: et M. R. P. RUSTENO HEER, eiusdem Congregationis Capitulari, Bibliothecae San-Blaſianae Praefecto, et nummophylacii directore. Permiſſu ſuperiorum.

Friburgi Briſgoviae, typis Io. Andreae Satron, Sac. Caeſ. et Reg. Apoſtolicae Maieſtatis excelſorum Dicaſteriorum, Repraeſentationis, Regiminis, et Camerae Provinc. anter. Auſtr. ut et almae Univerſitatis Typographi. MDCCLX.

2. Alph. 2. plag. in fol.

Memoravimus nuper iteratum ſpecimen, idque illuſtre, induſtriae Hergotti V. Cel. cuius iam alteram partem oculis lectorum ſiſtimus, atque more noſtro potiora quaedam quaſi in compendium redigimus. Tomi itaque tertii pars poſterior, quam dicimus, quinque in libros diſtinguitur. Primus Icones habet a Rudolpho Habspurgico usque ad Maximilianum I. Primum illius caput, Rudolphi, uxorum, liberorumque imagines complectitur. Brevibus itaque vitam huius viri, prout auctor noſter expoſuit, comprehendamus. Natus ille anno ſaeculi decimi tertii decimo octavo, patre Alberto ſapiente, Landgravio Alſatiae. matre Hedwige Kyburgenſi. Educatus in aula Friderici II. Imp. vere imperator eſſe didicit; id eſt, et exercitui et Germaniae bene praeeſſe, cuius regnum ei anno ſaeculi ſeptuageſimo tertio delatum eſt. Mortuus deinde Germershemii prope Spiram, nonageſimo primo ſaeculi anno, ſeptuaginta tres natus. Uxores habuit duas: Annam alteram Hohenbergicam, Gertrud quoque alio nomine dicitur, quod matrimonium valde foecundum fuit. Qua mortua, Agnetem Burgundicam duxit; Eliſabetha ſ. Iſabella a nonnullis nominatur. Iam de iconibus aliqua. Prima Rudolphi ſtatua eſt Tulnae ad Danubium in Auſtria inferiore, cum corona et paludamento regio, ſtantis. Argentorati ſecunda equeſtris decempedalis e ſaxo, cum inſignibus regiis et pallio. Ea vero quam Birckenius deſcribit, non eſt Argentorati, videturque fucum pluribus rebus prodere. Tertia eſt e thecis Guſtavi Heraei, priori valde ſimilis, quamquam omnes illae imagines pro cruditate ſaeculi formam Rudolphi aſſecutae non ſunt, ſi quid hiſtoricis credimus aliter eam deſcribentibus, ut adeo non niſi exigua quaedam in ſtatuis expreſſa ſint. Alia quae pectoretenus eum exhibet, inter imagines Eugenii Principis Sabaudi eſt. Longa eſt diſputatio, an barbam aluerit Rudolphus, an minus; verum nos tales res ad hiſtoriam non arbitramur pertinere. Statua quoque Rudolphi Baſileae eſt ſedentis cum inſignibus imperatoriis, quae tamen, ut aliae plures, ex ſignis quibusdam recentioris aevi eſſe agnoſcitur.

Oeni-

Digitized by Google

Oeniponti eſt etiam aliqua ampla et elegans ex aere, pedum ſeptem. Sunt vero non minus plures ibi eiusdem gentis, viginti octo, quae circa Mauſoleum Maximiliani I. Imp. collocatae ſunt. Deſcribunt monaſterium Franciſcanorum S. Crucis, in quo Mauſoleum illud eſt, et ſtatuas quas diximus, plures auctores, Lambecius inprimis in Biblioth. Caeſarea. Plures ſtatuae e marmore niveo Vindobonae ſunt, inter quas Rudolphi quoque eſt, facta a Strudelio, nobili noſtri ſaeculi artifice, qui plurium Imperatorum ſtatuas ſculpſit, quarum aliquae in Bibliotheca Vindobonenſi ſunt. Habent autem hoc vitium, quod ingenium ſuum, non vero habitus geniumque ſaeculi cuiusque, exſecutus eſt. Deſumta eſt alia e Caſp. Gevartii libro, qui pompam Ferdinandi Auſtriaci, cum Antwerpiam introiret, deſcripſit. Codex manu exaratus, qui eſt in Bibliotheca Fuggeriana, duo ſchemata Rudolphi habet, quorum alterum ſe profitetur ſeptuagenarium Rudolphum exprimere, verum e ſtatua Baſilienſi effictum, minusque accuratum aut genuinum eſt. Alia ibi imago eſt e feneſtris templi Koenigsfeldenſis in Argovia depicta, verum et ipſa recentior, ut e variis rebus apparet. Veſtimenta Rudolphina in ſtatuis vilia videntur: obſervatum enim hoc eſt in illo viro, eum genere cultus viliori delectatum eſſe, et in cibis et in veſtibus, cuius rei variae hiſtoriolae ſunt. Splendidus tamen idem, ubi ſplendor imperatorius deſideraretur. Tulnae, ubi Rudolphi ſtatua eſt, Annae quoque uxoris ſ. Gertrudis eſt imago. Cultus ſimplex, et marito fere omnino ſimilis, cum velo. Baſileae alia, quam Birckenius deſcripſit, ſed minus recte, traditur; accuratiorem auctor, qui ipſe ſtatuam vidit, ſequenti Tomo, ut promittit, exhibebit. Diſſentiunt ſcriptores in altera Rudolphi coniuge, alii Agnetem vocant, Ottonis Burgundici filiam, alii Eliſabetham; quod ita poteſt tranſigi, ſi dicamus eam, cum Imperatrix eſſet, nomen immutaſſe, quod minime inuſitatum tunc fuit. Sunt aliae praeterea difficultates in conſtituenda gente, quod, ut arbitramur, leve primum eſt, deinde vero etiam huic generi hiſtoriarum peculiare. In libro, qui imagines ab Eugenio

 Sabau-

Digitized by Google

Sabaudo poſſeſſas exponit, integra exhibetur, ſed, quod ex ornatu intelligitur, non ita antiqua eſt imago. Proles Rudolphi numeroſa eſt, ſed omnium imagines invenire difficile. Clementiae tamen eius filiae, Caroli Salernitani uxoris, imago a Kiliano deſcripta eſt; verum neque haec, neque fratris, Hartmanni, effigies ſatis certae antiquitatis eſt. Veniendum iam eſt ad inſcriptiones, quae ad hunc Imperatorem pertinent. Inter quas ea maxime digna memoratu eſt, quamquam ſit recentior, quae nobile illud Rudolphi facinus narrat, quod obviam ſibi facto ſacerdote ad aegrotum properante, deſcendit ex equo, et eum ſacerdoti tradidit, donavitque etiam poſtea, quod negaret ſibi fas eſſe ſedere in poſterum ibi, ubi dominus coeli impanatus ſediſſet. Verſus ſunt elegantes, hiſtoria ipſa monaſterium vehementer redolet. Omnes vero illae inſcriptiones recentiores aetate ſunt. Sequitur caput ſecundum, quod Alberti I. regis Romanorum uxorumque et filiae imagines enarrat. Albertus ille, filius Rudolphi, quem diximus, devicto Adolpho Naſſovienſi imperator factus eſt, vir ſtrenuus et fortis. Offenſionem apud principes Germaniae contraxit eo, quod Philippo Pulcro Galliarum regi amicior eſſet. Numeroſam prolem cum haberet, liberisque omnibus quam optime conſultum vellet, iniuſtior factus, aliena appetiit. Ex fratre nepos Ioannes, fidei eius ac tutelae commiſſus erat, cui cum adultiori non reſtitueret ditionem, prout debebat, aſſumſit Ioannes quosdam alios in ſocietatem, patruumque interfecit prope Rhenoveldam anno 1308. Uxor ei fuit Eliſabetha, Meinhardi Carinthiae et Tyroliae Comitis filia, foecundi uteri mulier, nam ſex mares, quinque ei puellas enixa eſt. Statua eſt Tulnae, et Alberti et uxoris, in templo, cum ornatu ducali, poſita ibi, quod et pater et ipſe templum illud liberaliter tractarunt. MS. Fuggerianum, de quo ſupra agebamus, habet eius imaginem deſumtam e feneſtris Campi-Regienſis templi, quod eſt in Argovia, ſed recentius factam, ut apparet. Interfectoris Ioannis imago apud Birckenium eſt, truci vultu habituque; alia vero Piſis, quam

quam negat ſe auctor vidiſſe. Aerea Alberti ſtatua Oeniponti eſt, habitu militari. Aiunt eum hiſtorici truculentiorem adſpectu fuiſſe, praeſertim poſtquam venenatam aliquando potionem hauſiſſet; animo non ita feroci. Eliſabethae uxoris icones variae extant, Tulnae una inter ceteras ſtatuas Auſtriacas, picta vero in MS. Fuggeriano, quae ipſa quoque e feneſtra templi Koenigsfeldenſis ſumta, quod nunc partim granarium factum eſt, partim hodie quoque extat. Dicitur enim in inſcriptione adiecta, fundaſſe eam aedem. Nam Alberto occiſo, in memoriam triſtiſſimi eventus Eliſabetha templum illud monaſteriaque duo aedificavit, alterum Minoritarum, alterum S. Clarae virginum, utrumque relictum a ſuis, ſub tempora feliciſſimae reformationis ſacrorum. Alia quoque figura eſt inter iconas Eugenii, cum corona libroque quem manibus tenet, modeſtia ut exprimatur mulieris. Agnes, eius et Alberti filia, Andreae III. Hungariae regi nupſerat. Quo mortuo, cum Albertus faveret alicui, quem nollent regnare Hungari, iſti, quo ſtudia eius ſuſpenderent, filiam Agnetem cum nepte quaſi in pignus retinuere. Pater autem Albertus eas facile liberavit. Imago de qua loquimur, eſt e feneſtris Koenigsfeldenſibus translata in MS. Fuggerianum. Feneſtrae ipſae videntur coaevae fere eſſe. Ipſa quoque Agnes valde liberalis in illa monaſteria Koenigsfeldenſia fuit, et potuit etiam; nam et agris et aliis reditibus ex Hungaria ditiſſima fuit, adeo eam maritus Andreas dilexerat, cuius icon et olim in templo fuit, uti et depictus in MS. eſt cum inſcriptione. Iam ſatis longa ſequitur apud Auctorem diſputatio, quo tempore deſponſata Agnes fuerit, quod omittimus. Auctor vero conſilium inierat, ut colligeret reliquias feneſtrarum Koenigsfeldenſium, quae res quomodo ei ſucceſſerit, iam videbimus; eius enim diligentiae ſequentia debentur. Expreſſus eſt eques ex equo lapſus, Albertus ſine dubio eſt, qui non ſtatim ex vulnere obiit, verum aliquando poſt; eſt etiam ornatus viro is, qualis eius dignitatis viris tunc peculiaris fuit. Alia quoque eſt pictura, quae regem, inflexis genubus adorantem ſiſtit; ut au-

Digitized by Google

ctor putat, Albertum deſignans; ſimilis enim priori in pluribus rebus eſt. Tertiam imaginem aiunt Leopoldi Glorioſi eſſe, quamquam hoc incertius eſt. Alia imago praeterea ibi eſt Agnetis, monialis alicuius videri poſſet, adeo habitus convenit, verum ſigna quaedam Agneten produnt. Ita enim Clariſſarum ordini deditam fuiſſe aiunt, ut veſtitum quoque imitaretur. Monialis facta non eſt, quibuscum tamen conſuetudinem habuit, veluti hoc edicto pontificio ei indultum eſt, Clementis VI. Effigies praeterea huc pertinet Leopoldi Probi, pectoretenus exhibiti, cum lorica aliisque inſignibus, quam auctor putat genuinae antiquitatis eſſe, quamquam eſt, quod ea ſuper re in utramque partem diſputari poſſit. Facie Leopoldus militari, ſtaturaque grandi fuit. Adiectae ſunt huic capiti variae inſcriptiones, quas omittimus, nihil enim praecipui continent, aut quod in brevitatem redigi queat. Una tamen digna lectu eſt, quae memoriam caedis Albertinae habet, genere litterarum quod *Münchsſchrift*, quaſi monachorum, dixeris, liberorumque quos reliquerit, cuius caedis in memoriam monaſterium illud, de quo ſaepe verba fecimus, ab Eliſabetha conſtitutum eſt. Caput ſequitur tertium, quod de Rudolpho rege Bohemorum exponit. Fuit is Alberti I. filius, ob ſuavitatem morum mitis dictus, dux primum Auſtriae et Styriae. Rex poſtea Bohemiae factus, deiecto Rege Romanorum, Henrico, duce Carinthiae, quem Bohemi volebant. Bene imperavit, verum non diu; namque ao. 1307. extinctus eſt. Uxores duas habuit, Blancam Philippi III. Francorum regis filiam, alteram Eliſabetham, quae ei ſuperſtes fuit. Primum Rudolphi ſignum e *Franciſco Tertio* ſcriptore deſumtum eſt, cuius archetypon videtur Oeniponti inter ſtatuas reliquas eſſe. Habitus eſt militaris. Eſt vero etiam Rudolphi icon e feneſtris Koenigsfeldenſibus in codice Fuggeriano, cum ornamentis ducalibus. Statua porro e marmore niveo in bibliotheca Vindobonenſi eſt a Strudelio, ſimilis illis, de quibus ante loquebamur, id eſt non ita accurate facta. Iam de Rudolpho quaedam auctor habet. Negat enim eum a

patre

patre Alberto Bohemis obtruſum eſſe, habuiſſe enim eum ſua ſuffragia; atque etiam potior ea in re aemulo fuerat, ſed vis valuiſſet, niſi Caeſar opem filio ſuo tuliſſet. Magni animi vir Rudolphus, ſi hiſtoricis credimus, corporis tenuioris, et victus vulgaris. Imagines Blancae uxoris eius ſunt hae: Una deſumta ex imaginibus Eugenianis, altera apud *Tertium* illum. Iam de anno nuptiarum et prole quaedam noſter, quae huc non transferimus. Altera Rudolphi uxor Eliſabetha, Premislai II. Poloni filia, vidua Wenceslai IV. Bohemi, quae poſt huius quoque mariti obitum monialis facta, ao. 1337. obiit. Imago ex Eugenianis eſt. Incipit hic caput quartum, quod de Friderico Pulcro eſt, altero Alberti I. filio, rege Romanorum. Ille a quibusdam poſt mortem Henrici VII. Imperator electus eſt, ſed victus a Ludovico Bavaro captusque, his conditionibus e duriore cuſtodia emiſſus eſt, ut uterque deinde, et ipſe et Ludovicus, pari iure imperarent. Verum paulo poſt mortuus eſt, ao. 1330. ut aiunt, quod minus bene cum eo actum erat, cum captivus attineretur. Uxor erat Eliſabetha Arragonica, quae amorem erga captum maritum maxime declaravit. Extat ille, caput nimirum et pectus bene et iuveniliter depictum, in Bibliotheca Vindobonenſi. Alia eſt talis eaque aeri inciſa ab Heydeno, forma militari, ſumta e *Tertio.* Statua porro ex armamentario Schrenckii Ambraſiano, cum ornamento Caeſareo, et alia apud *Tertium.* Pulcher ille et nomine et re fuit, et corpore et animo. Sponſam habuerat Eliſabetham, Reinaldi Ducis Geldriae filiam, cui nuncium remiſit, quod pater virginis Bavaras partes in eo bello ſequeretur. Si non potius ideo, quod Fridericus eam repudiaſſet, pater in vindictam Ludovicum ſecutus eſt, quae auctoris noſtri ſententia eſt. Quod factum miſera Eliſabetha ita aegre tulit, ut ſe in Monaſterium Greiffenthalenſe conferret. Sunt qui eam coniugem Friderici dicant: extat eius etiam imago, ſed recentior, ut videtur. In ſupplementis etiam ad Gerardum de Roo, Eliſabethae, ſed alterius, quae ſola uxor fuit, Arragonicae imago eſt. Alii tres ei uxores

affin-

Digitized by Google

affingunt, quod confirmari non poteſt. Inter Inſcriptiones digna notatu eſt pictura, quae pacem ſpectat inter Fridericum et Ludovicum ao. 1325. initam, ſed ea integro ſeculo videtur recentior eſſe. Iam vero Caput V. de Leopoldo, Gloria equitum, Henrico Placido, et Ottone Hilari, tribus aliis Alberti filiis, exponit. Leopoldus enim ob fortitudinem bellicam cognomen indeptus, hoſtis Ludovici Bavari acerrimus fuit, etiam tum, cum ille cum fratre in gratiam rediſſet. Mortuus e laboribus bellicis curisque 1326. eſt. In MS. Fuggeriano ex feneſtris Regisfeldenſibus pictus eſt, ornatu eo, quo ea tempeſtate principes fortaſſe uſi ſunt. Alia eſt ex Eugenianis deprompta, ſimilis illi, quam Birckenius habet. Corpore dicunt, ut Tydea Homericum, non magnum fuiſſe, ſed bellatorem et magni animi virum. Alia eius ſpecies a Kiliano picta eſt, in equo ſedentis, corpore armato. Coniugis Catharinae imaginem nullam invenire auctor potuit, quam ei ſolam, non vero ante aliam coniugem fuiſſe affirmat, argumentis non contemnendis. Alius Alberti I. filius erat Henricus, ob morum comitatem Placidi nomen nactus. Militari ingenio, ut fratres; partim in Italia, partim Germania bella geſſit, tandem in illo proelio prope Mühldorffum captus, Ioanni regi Bohemiae in cuſtodiam datus eſt, a quo non bene tractatus, dimiſſusque non ante eſt, quam grande pro ſe pretium perſolviſſet. Sed cum haec captivitas ita fregerat, ut lenta morte ao. 1327. obiret. Uxor erat ei Eliſabetha de Virnenburg, liberi vero nulli. In monaſterio Koenigsfeldenſi, quae fuit imago, ea in dicto MS. deſcripta eſt, ornatu, qualis talem virum decet, caputio quod aiunt, et pallio purpureo. Extat quoque imago eius humeros usque, apud Birckenium. Vir elegantis formae, atque etiam procerae fuit. Extat enim Koenigsfeldae loculus cum oſſibus, utrumque quale in procero homine eſſe ſolet. Captivus vero non ultra ſesqui annum fuiſſe videtur, ſignis ſat evidentibus. An vero, conditionibus factis dimiſſus, reſtituerit ſe captivitati, quod fratres has leges, quae duriores erant, accipere nollent, atque deinde iterum

iterum liberatus fuerit, de eo nihil certi affirmari poteſt. Eliſabethae coniugis protome apud Ger. de Roo conſpicitur. Dicebamus ante, quosdam ei duas uxores affingere. Nec minus deſunt, qui aliam quoque Eliſabetham Hungaricam, Andreae III. filiam, ſponſam ei aſſignent, qua de re ſuavis eſt fabella a moniali quadam conficta, ſed quae falſa ob multas rationes videtur. Qua in re valde accurate diligenterque auctor noſter verſatus eſt. Digna vero eſt obſervatio, quae apud illum legatur. Otto, propter hilaritatem Hilaris ſ. Iucundus dictus, et ipſe Alberti filius, ſed iunior, miles, ut fratres, fuit, multis egregiis facinoribus ea tempeſtate clarus. Obiit anno eius ſaeculi triceſimo nono. Icon eius eſt in MS. Fugg. ut ceterorum. In Monaſterio quodam Styrienſi, Neuberg dicunt, et Ottonis, et primae eius coniugis Eliſabethae imagines nunc ſunt. Decora aiunt Ottonem ſpecie fuiſſe. Neubergi praeterea vetus eſt pictura, quae hunc et Eliſabetham Bavaricam coniugem habet, templum manibus tenentes, quod apud pictores Gothicos illos ſignificat, aliquem templi aut monaſterii conditorem eſſe; cum inſcriptione, quae eodem fere redit. In eadem tabula altera etiam coniux, Anna Bohemica, expreſſa genibus flexis eſt, a latere vero Ottoni frater Fridericus Pulcher eſt, ac duo Ottonis filii, Fridericus et Leopoldus, cataphracti. Sed id duobus ſaeculis, et quod excurrit, recentius iudicatur. Iam de veſtium eius ſaeculi ratione auctor quaedam inſerit. Donavit Otto coenobio illi calicem aureum, quatuor pondo, et crucem auream inauratam, tres pedes longam, cum ſigillis quibusdam annexis, qualia etiam in parte averſa ſunt. In aede praecipua, Domum Capituli vocant, Monaſterii Neobergenſis, aſſervatur tabula, varia continens, quae ad vitam Ottonis noſtri pertinent. Eum ſc. venia a pontifice impetrata, ut poſſet Eliſabetham Bavaricam ducere uxorem, quae e iure canonico, conſanguinitate quod eum attingeret, duci ſine indulgentia papali non poterat; Ottonem itaque in teſtimonium grati animi monaſterium ſtruxiſſe, et dotaſſe perliberaliter. Eſt hoc monaſterium ab Anonymo Leo-

Digitized by Google

bienſi deſcriptum. In eadem tabula alia praeterea inſcriptio eſt, quae mortem Ottonis narrat, quam pie ille vir defunctus ſit, et ſepulturam, quae facta eſt anno ſaeculi triceſimo nono. Alia quoque eſt ibi in monaſterio tabula, quae habet aliqua ad conſtitutionem monaſterii pertinentia. Capite ſexto de Alberto II. et Iohanna Pfirretana, coniuge, agitur. Dictus ille eſt ob corporis vitium Contractus, debilem latinius dixeris, ob excellens ingenium Sapiens. Quarto loco inter liberos Alberti eſt, ſed ſolus ceteris ſuperſtes, nam anno demum ſaeculi quinquageſimo octavo obiit, quos et ſapientia et felicitate poſteritatis ſuperavit. Servat Carthuſia Gammingen, in Auſtria inferiore ſita, eius imaginem in feneſtra quadam, cum coniuge Ioanna. Eſt enim imago Servatoris e cruce pendentis, ſub dextro latere dux eſt cum filiis duobus, ſub ſiniſtra uxor cum filiabus totidem, omnes quaſi preces facerent. Filii et pater armati ſunt. Uxor et filiae quoque ornatae ſat bene. Sed plures filios habuit, qui non expreſſi ſunt, fortaſſe quoniam tunc nondum editi eſſent. Statuae ibidem ſunt et Alberti et coniugis, ipſe armatus, cum ornamentis ducalibus: Ioanna cum globulis, precatorios Pontificii appellant, et palla. Oeniponti non minus in templo eius ducis ſtatua eſt, armati, cum torque aureo. Forma dicitur anguſta fuiſſe, ſed viginti fere ultimos vitae annos membris captus, ut geſtari deberet. Aliam profert *Iohannes Tertius* Iohannae imaginem, ſed quae ſuperioris fere ſaeculi videtur, veſtes enim minus reſpondent. Pia foemina, quae Avenione Papam viſitavit, pro illorum temporum ſimplicitate, et in omni vita ſuavis et iucunda. In templo Gemmicenſi tabula eſt, quae donaria quaedam Alberti enarrat. Caput ſeptimum de filio Sapientis Rudolpho IV. Magnanimo, uxoreque, porro de fratre Rudolphi Friderico III. Liberali, exponit. Rudolphus quidem natus eſt 1339. Laudabilis princeps, quamquam ſolent omnes principes, niſi excellant flagitiis, collaudari, praeſertim ab hiſtoriographis. Sed ille revera bonus vir, et utilis patriae fuit. Ipſi Academia Vindobonenſis originem debet, conſtituit ſocietates litera-

teratas, aedificavit eccleſias, Tyrolenſem Comitatum ſibi ſuisque poſteris aſſeruit. Extinctus mature, anno ſexageſimo ſaeculi quinto, ſine liberis, cum coniux ei Catharina Caroli IV. Imp. filia fuiſſet. Statua eius conſpicitur in templo Stephaniano, quod eſt Vindobonae, quam aedem fundaverat; ornatu conveniente, templum manu tenens. A ſiniſtris uxoris Catharinae ſtatua eſt. Alio in loco templi aliae eorum ſunt ſtatuae, quae non multum a prioribus differunt. Quin etiam tertius locus aliquis eiusdem templi, alias ſtatuas habet. Hae ſtatuae omnes ad Rudolphum videntur pertinere, ut uberius declaratur. Uxoris Rudolphi vitam cl. *Steuererus* deſcripſit, ut hoc obiter notemus. Erat Rudolpho ſoror, et ipſa Catharina nomine. Itaque in templo, quod ad Noſocomium Vindobonenſe pertinet, olim Ordinis St. Clarae fuit, ligneae tabulae ſunt ad altare, quae fratrem ſororemque genibus flexis orantes deſignant, ipſe pro more eius aetatis veſtitus, ſoror veſtibus ſacris. Ad eam, quam memoravimus, aedem Stephanianam, alia praeterea effigies Rudolphi eſt, forma decora, quae, ſi e ratione colorum iudicandum eſt, ſerioris aetatis videtur. Alia icon e vitris Koenigsfeldenſibus eſt in MS. Fuggeriano. Lincii, inter imagines Comitis de Weiſſenwolf, imago eſt Rudolphi, qualis fuerat iunior. Verum ea recentior eſt. Maultaſchiae nobilis illius, quam aiunt ei uxorem fuiſſe, ſtatua Oeniponti eſt. Alia ſtatua in templo Stephaniano eſt, quae plerumque Friderico V. Rudolphi fratri, qui admodum iuvenis deceſſit, tribui ſolet, verum potius Friderici illius, qui ad Babenbergicos pertinet, Bellicoſi eſt, armis et veſtibus inſignibus. (Ac quoniam toties inter cetera arma ab auctore *ſica miſericordiae* commemoratur, dicenda nobis pauca de hac re ſunt. Fuit genus gladiorum brevius, quo hoſtis iam deiectus poſſet confici, aut κατ' ἀντίφρασιν ſic dictum, aut quod tunc victus maxime victoris miſericordia opus haberet.) Inſcriptionem iam commemorabimus aliquam, quae hoc fere habet: Abbatiſſam aliquam corpus S. Fridolini, quod ultra nongentos annos iam in ſarcophago ſuo eſſet, Rudolpho vi-

cenni donaſſe. Iam de eiusmodi deficiis plura auctor, quae nos Lutherani exigui pretii eſſe iudicamus, ſi eſſent etiam vera corpora ſanctorum. Nam cum neque conſtet, an illi homines ſancti fuerint, neque an haec eorum ſint corpora, omnem illam ſuperſtitionem in corpora mortuorum exſecramur. Sedulus ſane in conquirendis his reculis Rudolphus fuiſſe videtur, qui vere princeps, i. e. magnus vir fuit, ſi verum eſt, quod Anonymus Salisburgenſis latius narrat, eum minime clericorum tyrannidi faviſſe, quae iam tum intolerabilis erat, voluiſſeque ſe dominum civium ſuorum ſolum eſſe. Macte virtute! Quod quamquam auctor negat ſe ita habere, nos tamen id libenter accipimus, praeſertim cum auctoris rationes in contrariam partem allatae non ſint ita firmae. Poteſt enim aliquis ſuperſtitioſus eſſe, et reſipiſcere aliquando, ut et Rudolpho et infinitis aliis accidit: poteſt etiam talis ſemper eſſe, neque tamen velle capiti ſuo a ſede Romana illudi. Iam caput octavum Albertum habet III. cum trica, ut appellant; frater prioris eſt, ob complicatos crines ita fortaſſe nominatus. Lenis vir, paciſque ſtudioſus, inprimis erga fratrem, cuius moroſitati ſaepe ceſſerat. Obiit 1395. Icon eius eſt in thecis *Heraei*, togati, globulos precatorios tenentis, alteram manum libris quibusdam imponentis, mathematicis fortaſſe, quam artem narratur adamaſſe. Iam quae ſint aliae de trica illa narratiunculae, auctor habet, quas huc non transferimus. Eſt in Bibliotheca Vindobonenſi liber aliquis MS. Durandi Rationale divinorum officiorum vocant, cuius in ſectione tertia, Albertus cataphractus et equo inſidens apparet, totus forma militari. Alia, quae caput et pectus exhibet, a Kiliani manu eſt, ſervaturque inter Eugenianas, ſed variis ſignis non accurata eſſe contenditur. Mitis ut ingenio, ita quoque facie et habitu corporis dicitur fuiſſe, et lentus ad iram, conceptae vero, ut in talibus animis fieri ſolet, tenacior. Hic quoque in MS. Fuggeriano eſt, e feneſtris illis, cum veſtimentis ducalibus. Uxores fuere primum Eliſabetha Caroli IV. Imp. filia, cui ſine liberis defunctae ſucceſſit Beata Friderici IV. Norimbergenſis filia.

Digitized by Google

filia. Violantam Galeacii Mediolanenſis filiam duxiſſet; ſed quia bonus ille vir tyrannidi papali ſe nollet obſtrictum dare, ut aegre ei Papa faceret, prohibuit quo minus liceret Alberto eius filiam ducere. Egregium de hac re edictum papale iam nuper vidimus. Extat inſcriptio in Preuenhueberi Annalibus Styriae, quae haec fere habet. Fuiſſe nobilem gentem de *Rohr*, cuius arcem Lohenſtein tormentis bellicis maximis Albertus ceperit. Inſcriptio Germanica eſt, eaque iocoſa pro illo tempore, latina vero etiam elegans. Unicus Alberti III. filius erat Albertus IV. Mirabilia mundi appellabatur, quod Hieroſolymas profectus, mirabilis eo pacto redditus eſſet ceteris. Fraude Procopii, Marchionis Moraviae, veneno periit 1404., cuius urbem Znoymam oppugnabat. E Iohanna Bavara unicum filium Albertum V. ſuſtulit. Icon eius eſt inter Eugenianas. Floridae formae vir, moribus, ſi quid hiſtoricis credimus, non minus decoris. Caput decimum imagines Alberti Quinti, quarti filius fuit, tractat. Inter Imperatores ſecundus huius nominis eſt. Pater cum maturius deceſſiſſet, ſub tutoribus aliquandiu fuit, poſtea Auſtriam optime et feliciſſime rexit. Fortuna autem adeo illi favit, ut intra annum duo regna, Bohemicum et Hungaricum, quin etiam dignitas imperatoria, ad eum devenirent. Quae felicitas ut rara, ita ei non nimis diuturna fuit. Namque ao. 1439. cum adverſus Turcas expeditionem faceret, alvi profluvio periit, non ſine ſuſpicione veneni dati. Uxorem ſociaverat ſibi Eliſabetham, Sigismundi Imp. filiam, dotalia regna quae diximus habentem. Haec ei mortuo Ladislaum, quem Poſthumum appellant, peperit. Statuae eius multae ſunt, ſed ſubleſtae interdum fidei. Oeniponti una inſigni magnitudine, ornatu Caeſareo armisque, quae videtur ad faciem Friderici expreſſa eſſe. Facie militari fuit, membris valentibus. Bonus praeterea vir, et dignus longiore vita. Ibidem Eliſabethae ſtatua eſt, quae quo ei anno nupſerit non ſcitur exacte, quamquam probabilis ſit apud noſtrum hac de re coniectura. Alia icon in thecis Heraei eſt. Ladislaus vero, quem Poſt-

Digitized by Google

humum dicebamus, e quatuor Alberti filiis ſolus ſuperſtes fuit. Hungari eum impuberem regem fecere, et quod a tutore Friderico III. Imp. attineretur, bella quoque geſſere. Periit immaturus: crimen veneni dati in Huſſitas aliqui conferunt: ſed nollemus hanc veneficii laudem hominibus imperitis tribui, melius haec gloria Pontificiis convenit, qui quam ſciant reges *laudare et tollere*, et ante noſtram aetatem, et his quoque annis clarum fecere. Effigies eius eſt in Pinacotheca Comitis de Weiſſenwolf, togati; habitu eo qui ipſi familiaris fuit. Iuvenis perfecte pulcher, ſi elogiis fidem habemus, ſecundum quae tantum non omnes principes probi et formoſi inſuper ſunt; ſed fuit ſane, et ingenio bono. Caput undecimum ſequitur, de Leopoldo III. filioque Wilhelmo, uxoribusque. Nam cum illa, de qua hactenus egimus, ſtirps, in Ladislao Poſthumo defeciſſet, alia huic ſucceſſit, quae a Leopoldo Probo, Alberti Sapientis filio minimo, originem habet. Leopoldus is natus eſt anno ſaeculi decimi tertii quinquageſimo primo. Bellator, ſed non ſemper felix, ut qui etiam contra Helvetios bellum gerens prope Sembachum 1386. occubuit. Uxor fuit Virida Barnabovis Comitis Mediolanenſis filia. Imago Leopoldi aliqua a *Dominico Cuſtode* edita eſt. Verum haec exiguam fidem habet, neque enim convenit cum more ſaeculi in plurimis rebus. Statua vero magnifica Oeniponti eſt, armata, quae genuina videtur, et ad eam nobis *Tertius* Leopoldum videtur depinxiſſe, apud quem et uxor conſpicitur. Utraque icon, Caſp. Paduani ſollertia aeri inciſa eſt. Duxerat hanc uxorem Leopoldus admodum iuvenis, annos quindecim circiter natus. Cuius de vera aetate multa auctor diſputat, quae huius compendioli brevitas non capit. Sponſa ei ante fuerat Catharina, Mainhardi Comitis Goricenſis filia, ſed retractata ſunt omnia. Protomen vero Leopoldi Comes de Weiſſenwolff habet, loricatam, cum inſcriptione, quae ait hunc eum eſſe Leopoldum, qui cum ſuis omnibus, a ſuis (id eſt Helvetiis, quos ſibi ſubiectos eſſe putabat,) occiſus ſit die Cyrilli ao. 1386. Alia imago Kilianum artificem Auguſtanum auctorem

ſtorem habet, ornatu, qualis tum in uſu magnatibus erat. Huius filius Wilhelmus, occiſo patre, ſe, ſuos fratres, et patrimonia ſervanda, Alberto *cum trica* dedit, quo defuncto ipſe regnavit. Sed diſcordia civium, qui diverſis partibus favebant, eum non leviter exercuit. Bella vero nulla geſſit, Auſtriam a praedonibus purgavit. Diſcordiae civium teſtis eſt cognomen, nam a ſua parte Affabilis ob morum comitatem, ab altera, qui Alberto illi favebant, Ambitioſus appellatus eſt, quod nollet eorum pertinaciae concedere. In coniugio contrahendo non minus infelix fuit. Nam Hedwigen Polonam, Ludovici I. filiam, cum ducere vellet, deſignatus a patre, cuius in aula educatus erat, gener, Polonorum fraude circumſcriptus, eam, quanquam ſui amantem, Iagelloni Lithuano cedere coactus eſt. Iohannam deinde Caroli Parvi Neapolitani filiam duxit, ſed ſterilis erat. Icon viri apud Kilianum eſt, eleganti ornatu, nam et ipſe elegantis formae erat. Coniugis imago e Bibliotheca Baronis de *Buol* ſumta, eadem cum alia eſſe videtur, quam Ger. de Roo expreſſit. Nuptiarum tempus iterum incertum eſt; male priſci hiſtorici non magnam gloriam in his indagandis poſuere. Friderico Tyrolenſi cum vacua pera, ut dicitur, uxoribusque et liberis, decimum tertium caput dicatum eſt. Is extremus natu inter Leopoldi Probi liberos, ſatis potens ſuo tempore fuit. Sed cum Ioannem XXIII. Papam adverſus Concilium Conſtantienſe et Caeſarem defenderet, proſcriptus eſt, publicataque ditio eius. Reſtitutus tamen intercedente Erneſto fratre, exceptis paucis, in priſtinum ſtatum. Obiit is 1439. Uxores binae ſunt, Eliſabetha primum Ruperti Caeſaris, Anna altera, Friderici Brunſuicenſis filia. Fridericum ultra dimidiam corporis partem imago expreſſit, quam Baro de Buol poſſidet, veſte ad talos procedente, cum inſcriptione, quae eum ait faſtigium nobile illud inauratum Oeniponti ſtruxiſſe. Fecit id, ut aboleret ignominioſum cognomen, *mit der leeren Taſchen*, ſeque ſatis divitem oſtenderet, poſtquam reſtitutus eſſet. Alia imago eſt in Birckenio ex ed. *de Roo*, cum variis eius temporis ornamentis. Statua

aenea

Digitized by Google

aenea eſt Oeniponti ſagata, crumenam manu teneas, quod quo ſpectet, diximus, praeſertim cum tunc antiquus mos crumenam palam geſtandi fuerit. Aliud ſignum, quod ſumtum videtur e priore paucis mutatis, Dominicus Cuſtos in iconibus Tyrolenſibus expreſſit. Bonae indolis vir Fridericus fuit, formoſus, ac fortis. Vitia quae habuit, ut ingenue ipſe profeſſus eſt, e negligentiore magiſtri diſciplina hauſit. In Tyroli eſt monaſterium Ciſtercienſe, Scirpinum nomine, ibi et aliae ſunt ſtatuae, quae ad familiam Auſtriacam pertinent, et inter eas Friderici ex ligno, inaurata, cum tunica, palmatam dicunt, et pallio. Eliſabethae, prioris coniugis pariter, quale ſimulacrum in Birckenio ex ed. *de Roo* extat. Eiusdem foeminae ibi alia ſtatua eſt, cum corona imperiali, quod Ruperti Caeſaris filia erat. Antequam eam duceret, Fridericus ſibi Ziliolam Franciſci Carrariae filiam deſponſaverat. Altera eius uxor Anna erat Brunſuicenſis, et haec cum corona, nam pater rex Romanus electus aliquando fuerat. Pia foemina, praeſertim ſi e religione, qualis tum erat, ſatis corrupta, iudicetur, pulchra ceteroquin mulier et decora. Ibidem aliae ſunt ſtatuae liberorum Friderici quatuor, eorum ſc. qui immature obierunt, Wolfgangi, alius deinde Wolfgangi, Sigismundi, quem mox tractabimus, filii; Friderici nepotis, Margarethae, et Hedwigis. Tertio decimo capite de Sigismundo Tyrolenſi agitur, Friderici filio. Natus is eſt 1427. educatus a Friderico Pacifico agnato, a quo didicit litteras amare et litteratos homines. Sed et vitia ſua habuit. Bellorum non cupidus, cum Venetis tamen et Helvetis, illic proſpera fortuna, hic non item, depugnavit. Sed brevia haec bella, reliqua vita otioſa. Mortuus 1496. haerede appellato Maximiliano I. rege Rom. Eliſabetha, quae ei nupſerat, Iacobi Scotiae regis filia, edito partu mortua eſt. Duxit itaque deinceps Alberti Saxonis filiam, Catharinam. Oeniponti in templo eius inſtar viſitur, plenum maieſtate et cultu, cum titulo Archiducis, qui ei indultus a Caeſare erat. Aliae duae e Iacobo Schrenckio ſunt ſatis comtae, cum elogio non contemnendo. Alia eſt in mona-

Digitized by Google

monaſterio Scirpinenſi armata. Iuncta eſt lateri uxor prior Eleonora. Pater Radegundim Caroli VII. Francogalli filiam pepigerat, quod ratum non fuit. Minus ſigillum habet Dominicus Cuſtos, armati, et cum ornamentis ducalibus. Aliud tale in Bibliotheca Buoliana aſſervatur, cum pallio et armis. Lincii in pinacotheca Weiſſenwolfiana protome eſt, artificioſe et picta et ſculpta, quae tunc artes floreſcere coeperunt. Catharinae ſpecies ex Heraeanis eſt. Quarti decimi capitis argumentum Leopoldus IV. Craſſus cum uxore eſt. Alſatiae Sueviaeque imperavit, et Helvetis, quo patrem occiſum ulciſceretur, bellum intulit, ſed pacem brevi fecit. Vir ſtaturae procerae. Uxor erat Philippi Audacis Burgundi Catharina filia. Mortuus 1411. Decimum quintum de Erneſto Ferreo, uxoribusque et filio Alberto exponit. Filius Leopoldi Probi erat: ferreus dictus eſt ob animi et corporis robur. Bello cum natus videretur, paci tamen ſtuduit, quanquam interdum evitare bella non poſſet. Friderico cum vacua pera, fratri, auxilium fideliter tulit, ut diximus. Ceſſit fato 1424. Matrimonia duo iniit, cum Margaretha primum, Bogeslai Pomerani, cum Cimburgi deinceps, Ziemoviti Maſſoviae ducis, filia. Magnifica ſtatua eſt in templo Oenipontano, nam et ipſe magnificus fuit ita, ut etiam aliquando in Sigismundi Imp. offenſam incurreret, quanquam brevem. Iuvenilem eius formam Dominicus *Cuſtos* habet. Duae quoque ſunt imagines, quae dimidium fere exhibent, protomas appellant, altera Lincii inter iconas Weiſſenwolfii, altera a Kiliano expreſſa, quacum convenit ea, quam Baro de Buol poſſidet. Coniunxit Erneſtus cum fortitudine bellica ſtudia litterarum; facies ſubnigra, oculi ſcintillantes, habitus virilis. Aiunt eum Hieroſolymas profectum eſſe, quod verum non eſt. Margarithae primae uxoris imago inter Heraeanas eſt, quanquam dubitetur an non alterius foeminae ſit. Alterius coniugis, quae et ipſa Margaritha appellatur, ſtatua aerea in templo Oenipontano eſt. Aiunt eam fortem et animo et corpore fuiſſe, ita ut marito nihil cederet, clavosque ferreos ſola manu in parie-

Digitized by Google

tem adigeret. Pia quoque femina, e ratione illorum temporum. Filius Erneſti Ferrei Albertus fuit. Maiorem fratrem habebat, qui aegre ferens ſibi et hanc, et aliam Alberti I. agnati, haereditatem ſic eripi, bella cum fratre non ſine gravi patriae damno geſſit, quibus tandem finem mors Alberti anno 1463. fecit. Prodigus Albertus ob magnificentiam dictus eſt. Mechtildis, Ludovici Comitis Palatini filia, ei nupſerat. Statua e marmore niveo opera Strudelii Vindobonae eſt, verum artifex ingenium ſuum ſecutus eſſe exiſtimatur. Alia armati effigies a Kiliano prodita eſt. Optimus ille princeps, ſed fervidus, et magnarum rerum appetens. Protome eius cum pallio e muribus Ponticis inter Heraeana eſt. Inſcriptiones ſunt duae, Neapoli Auſtriae alia, alia Friburgi Briſgoiae, quas omittimus, nihil enim praecipui continent. Iam ad imperatoriam ſtirpem ſeries provolvitur, quae in Friderico Placido eiusque coniuge et liberis denuo incipit. Vitas horum virorum auctor non apponit, cum in Nummotheca, i. e. prioribus huius operis Tomis, ſatis iam hanc rem exhauſerit. Senis, urbe Hetruriae in aede Cathedrali, inſignes ſunt tabulae, a Raphaele Urbinate pictae, quibus Aeneae Sylvii i. e. Papae Pii II. vita et res geſtae exprimuntur. Montefalconius Swertiusque eas ſiſtunt. Noſtrum ad inſtitutum quinta, nam decem ſunt, potiſſimum pertinet, quam auctor exprimi a nobili artifice accurate procuravit. Siſtit illa aliquem congreſſum inter Pium, Fridericum, et alios ſummos viros factum, cum Sylvius Caeſari ſponſam Eleonoram, Luſitaniae regis Eduardi filiam, adduceret. Pulcer ipſe, pulcra ſponſa, ſi deſcribenti Aeneae fidimus. Poſitae in memoriam eius rei ſunt columnae a Senenſibus, in quibus illuſtrandis late noſter Scriptor verſatur. Protomae ſunt tres, duae in arce Wildegg, tertia e Weiſſenwolſianis. Elegans et genuina ut videtur effigies eſt in aede Stephani Vindobonae, quae etiam convenit cum habitu corporis, quem valde elegantem Sylvius ac Arembeckius deſcribunt. Moderati animi vir Fridericus, niſi quod ſumtuoſior viſus eſt. Inſignis ſtatua cum ornamen-

Digitized by Google

namentis imperatoriis Oeniponti eſt, a Tertio aeri inciſa. Alia minor, nivea, Strudelii opus, in aula Vindobonae viſitur, laureati, cum inſignibus Ordinis Georgii, cuius auctor creditur. Aliam Cuſtos inter Tyrolenſium principum monumenta habet, laureatam, veſtimento et cultu imperatorio. Protomas, aliam Weiſſenwolſius poſſidet, alteram ad Tyrolenſem ſtatuam Kilianus effinxit. Eleonorae uxoris effigies apud Tertium invenitur, feminae ornatiſſimae et corporis et animi dotibus. Filia erat Cunegundis: Alberto Comite Palatino marito defuncto, Monaſterio Franciſci ſe abdidit, mortua ibi 1520. Oeniponti eius ſtatua aenea conſpicitur, forma modeſta et pia. Cunegundis ob praeſtantiam ſuam a Matthia Ungarorum rege petita eſt, qui cum repulſam tuliſſet, Albertus IV. Bavarus alia ratione rem aggreſſus eſt. Nam cum infenſiorem ſibi Caeſarem ob ereptam Ratisbonam ſciret, Sigismundum Archiducem, apud quem puella educabatur, adit, oſtenditque ſe magnam pecuniae vim daturum, ſi ſibi iungatur. Caeſar enim ipſe aberat, implicatus bello Veneto. Itaque inſcio Caeſare nuptiae factae ſunt. Qui cum eam rem reſciſſet, non multum abfuit quin bellum Alberto inferret, praecipue quod Tyrolis in dotem data eſſet. Addunt etiam hoc nonnulli. Habuiſſe imperatorem in animo, filiam ſuam Turcarum imperatori elocare, Mahometi, qui non alienus a Chriſtiana religione putabatur, quo ille facilius Chriſtianus fieret; atque iratum eſſe vehementer, cum conſilia ſua perdita cognoſceret. Verum haec non ſatis certa ſunt, contrarium potius habent diplomata, quae omnia iuſſu et auctoritate Caeſaris facta eſſe aiunt. Ita quoque de Tyroli in dotem data nihil habent, ſed tantum de regione Arembergenſi; bellum inſuper Venetum ſerius fuit. Famam tamen, quae tunc fuerit, fortaſſe ne invito quidem Caeſare ſparſa, videntur fideliter illi ſcriptores tradidiſſe. Inſcriptiones vero extant complures cum ſymbolo Friderici A. E. I. O. V. Sed eae omnes nihil fere habent, quo hiſtoria illuſtrari queat.

Nos vero hic ſubſiſtimus, non quod non multa adhuc annotanda eſſent, ea enim eſt libri huius ubertas, ut paucis pagellis excerpi non queat, ſed quod reliqua in aliam Commentariorum noſtrorum partem reiicienda putamus. Sufficient, ut putamus, haec ad commendationem Hergotti, qui Livio aut Polybio alicui Auſtriaco largam materiam, in qua verſari poſſit, ſuppeditavit. Eius nos laudabilem operam, quam orbi litterato praeſtitit, grati agnoſcimus, et merito commendamus. Praecipue icones, quae ſunt quamplurimae, omnes elegantes ſunt, et quibus oculus gnarus harum rerum magnopere delectari poſſit.

MICHAELIS CHRISTOPHORI HANOVII, PHILOS. Profeſſoris in Athenaeo Gedanenſi, Diſquiſitiones argumenti potiſſimum metaphyſici, propoſitae prius ſeorſum, iunctim nunc prodeuntes.

Gedani 1750. typis et impenſis Th. Io. Schreiberi, 3. Alph. 2. plagg. in 4to, cum 2. tabb. aeneis.

Viri Clariſſimi et Celeberrimi Diſquiſitiones, ſecundo alibi rumore exceptas, hic nondum laudare potuimus, copia obruti; donec novo tandem ornatu reſtitutas candidis meliorum litterarum aeſtimatoribus eo acceptiores prodire accipimus, quia famae publicae hoc tutius credetur, quo minus corruptionis in conſentiente eius praeconio a peritis rerum deprehenditur. Prodierant anno ſaeculi L. et avide direptae, undecim poſt annos iterata editione exhibentur. Quia benignis iam ubique iudiciis exceptae ſunt, nunc eo pauciora ad earum commendationem ſuffecerint, et ipſa argumentorum praeſtantia ſalubris doctrinae cupidos, ſola titulorum praeſcriptione indicata, ſollicitaverit. Prima de *criteriis exſiſtentiae*, notas certas et ipſo vocabulo clariores ſuppeditat, quibus animadverſis deprehendas, quid interſit inter ea, quae re ipſa, et quae cogitatione, exſiſtunt. Nec erit, quod opinemur, ut acumen iuxta atque iudicii acris ſubtilitatem aequi et idonei arbitri deſiderent, licet viri eruditione

ditione inſignes publice dubitarint, poſſitne omnino fieri, ut aliquis hoc praeſtet, quod hic inſigni evidentia et luculentis exemplis demonſtrari videmus. Altera nova inventionis glória nobilitata usque adeo, ut exactiſſimos rei nummariae ſcrutatores ad certamen quoddam diligentiae paſſim provocaverit, et, utpote in re inexſpectata, varias hominum eruditiſſimorum coniecturas, lectu iucundiſſimas, elicuerit, SAMUELEM nobis, regem PANNONIAE, hoc eſt, ſtilo iſtius aevi, terrarum intra Danubium et Savum Bulgaricae certe ditionis ab A. C. DCCCXXVII. ad Samuelem hunc usque (v. ANNALES REG. FRANC. NUENAR. ad h. a.) appellatione veterum Romanorum propria uſitate ſic dictarum, ex egregio numiſmate exhibet. Non ignoramus, ſed hoc ipſo tempore ad examen vocavimus SCHWARZII commentationem ea ipſa de re, qua ut obloqui Stiltingio potiſſimum inſtituit, Scriptori certe neque ab adparatu, neque a lima rudi, ita et Hanovii praeclaras obſervationes brevibus et crypticis effatis delere voluit; neque ipſe tamen ſatis prodit, quid per ea tempora, de quibus agitur, Pannoniae nomine venerit, et a quo initio ducenda ſit Hungarorum, ſeu potius Turcorum CONSTANTINI PORPHYROGENNETAE, veteris Pannoniae Romanorum inter Iſtrum Savumque poſſeſſio. Rationem vero huius pronuntiati luculente in epiſtola ad collegam nobis coniunctiſſimum, horum opuſculorum editorem, redditurі, lectores hic diutius haud morabimur. Sequitur *exſiſtentia Dei ex poſſibilium indole evicta.* Veritas aeterna, fundamentum totius diſputationis, ſpondet, nos adſenſum ſine ratione minime praebuiſſe, et elegantia in diſſerendo, ne a nobis alii diſſentiant, efficiet. *Aeternitas genuina ſucceſſionis expers*, pudorem exprimere theologis et philoſophis poterit, qui interdum parum conſcii ſunt, quam indecora de Deo effutiant, et quam inepta fulcimenta iis conquirant, quae ex ipſa definitione conſiſtere nequeunt. *Notio ignis Graeci*, dici non poteſt quanta nos voluptate perfuderit. Singularia quaedam, et animadverſione haud prorſus indigna meditatus eſt, et Ar-

 chi-

Digitized by Google

chimedis in exurendis Carthaginenſium navibus inventa, praeter omnium opiniones conſideravit CHRISTIANUS CRUSIUS, V. doct. Collega noſter coniunctiſſimus, Petropoli tunc, nunc Vitebergae Prof. P. ord. (in oratione Commentario de originibus pecuniae a pecore, Petropoli A. MDCCXLVIII. edito, praemiſſa p. 16.) Adhiberi huc poterunt inſuper FREINSHEMII, (ad CURTII l. IV. c. III. §. 2.) obſervata, IO. MALALAE etiam tradita, (in Hiſt. Chron. edit. Oxon. An. MDCXCI. Part. II. p. 119.) qui merum ex aliis auctoribus centonem, in antiquioribus praeter ordinem temporum conſarcinatum ſaepius, conſuit. Sed in propioribus ſuae aetati multa eximia ſervavit, ob amiſſos ſcriptores nusquam alibi reperiunda. Habet etiam BANGERTUS (ad ARNOLDI l. III. c. XXXVII. pag. ex errore typothetae 358. quae debuerat numerari 378., ſeu Aaa 4ta poſtrema) quae legiſſe haud poeniteat. Ex his, quantum quidem colligere nobis datur, diverſi plane generis artificia, una ſub adpellatione comprehenſa ſunt, eundem vel ſimilem ob effectum. Dolemus vero maxime, nobis ad manum in praeſens non eſſe Mathematicos veteres e typographia regia Pariſiis ſplendidiſſime editos, ubi in IULII AFRICANI fragmentis περι των κηϛων, ipſam compoſitionem huius ignis nos olim legiſſe bene recordamur, et ex illo loco in ſuſpicionem adducti ſumus, *phoſphori*, quem vocamus, paraturam veteribus fuiſſe iam notam, ex parte ſaltem. Quod, ut ſtatuamus, inducti fuimus expenſis iis, quae BARTHIUS (in Adverſariorum, nondum publicatorum, l. CXLVII. c. X. in voluminibus a RICHTERO, V. Ill. Conſil. Aul. Reg. et Pr. Elect. Heredis Celſiſſ. a theſauris antiquariis, quamdiu vixit, redemtis, quae perlegimus,) congeſſit; ubi etiam lingua Langobardorum hodierna conceptam confectionem ignis huius Graeci, magni et inauditi ſecreti inſtar e codice nondum vulgati uſus profert. Meminimus autem nitri mentionem, ſub adpellatione non protrita, hunc in modum opinandi nobis occaſionem dediſſe; quum praeſertim reliqua coniecturae mire blandirentur, ſi quis ſcientiae rerum naturalium haud omnino expers fuerit.

Inſi-

Digitized by Google

Infinitas ſoli Deo propria praeclare evincitur, diſcuſſis veterum et recentium ſapientum opinionibus, et indicatis nonnullis ſcopulis, ad quos adhaereſcunt multi, dum ignorant diſcrimen naturarum in rebus corporeis et incorporeis, compoſitisque atque ſimplicibus. Commentatio, quae inſcribitur *officia caritatis inimicorum*, ſupplet ea, quae in diſſertatione de amore inimicorum rationali tantisper dilata in aliam occaſionem fuerant. Habet vero et ſalis plurimum, et luminis, ut praeclara praecepta non minus, quam illuſtria exempla, lectores erudiant, optandumque ſit, ad hoc inſtar plura, quae fere negliguntur, in morum doctrina reſtituerentur. *Medii aevi aliquot numi argentei recenſiti*, praeclarum antiquariae doctrinae adiumentum praeſtant. Reperti erant A. Saec. huius XI. prope Gedanum, in urnis ſub terra. In primo, qui caput corona ornatum ab una parte, et ab altera crucem orbiculo incluſam, globulis interpoſitis inter divaricationes, exhibet, epigraphen anticae Hanovius V. Cl. legit: ENIRIC, et ex elementis diſtortis REX, aut: IMP. ſi ſigla ſtatuatur. Putat etiam ad Henricum I., quem Aucupem vocant, referendum. Quod ſi daretur, certe litterae, pone caput expreſſae, legi non poſſent IMP. Nam Henricus I. nunquam eo nomine uſus eſt, et nullo antiquo in monumento id gerit; imo inaugurationem ſollemnem, quam vocant unctionem, ipſe recuſavit, ut pleniſſime oſtendit SERRARIUS Rer. Mog. l. IV. in Herigero pag. ed. Mog. 674. Diceres forte Henrici animo id ſediſſe, *timeo Danaos et dona ferentes*, necdum abolita perfidiae Hattonis memoria, qui Albertum Babenbergenſem iure iurando deceptum prodiderat, nec alias artes erga Henricum meditatus id effecerat, ut, quae Conradus I. ipſi in Saxonia et Thuringia, veluti regio beneficio, contulerat, Henricus adhuc dux, compertis inſidiis, ſuo iuri adſerta occupaverit. Rem ipſam, licet fabulis nonnullis rudis aevi mixtam, ſatis Scriptorum iis temporibus locisque proximorum auctoritas firmat. Inde cauſſa idonea adparet, ſi ne a ſucceſſore quidem Herigero religionis obtentu obligari voluit, ne forte merces incommodior,

abla-

Digitized by Google

ablatorum reſtitutio, eo nomine repoſceretur. Sed ut ad nummum redeamus, in eo nullius Germaniae regis vel imperatoris caput videre nobis videmur, barbae certe argumento. Quamdiu vero ipſius nummi disiectas litterulas intentius contemplandi facultas non detur, fruſtra coniecturis indulgeremus, legendumne ſit: ERIC., et transverſa inde ſcriptura agnomen, aut titulus; an vero: ENRIC. III. R. et in poſtica: ANGLO . . . . . . ? Nam puſtulas ſaepe metalli, aerugine exeſis proximis, ſummas difficultates eruditis etiam oculis obiicere, abunde conſtat. Admonemus vero haec, ne quid ſollertiae Hanovianae detrahere aliquis nos voluiſſe opinetur. Namque is cauſſam, quae excuſationi apud quemlibet aequum ſufficiat, ſatis ingenue praemiſit, ubi narravit, ab aerugine nigra fuiſſe liberatos. Periti vero norunt, quantum inde notarum exeſarum veſtigiis depereat, ſi aes in ſplendorem detur. Praeterea, quam parum integre legi inſcriptiones poſſint, variae dubitationes oſtendunt, ut etiam in N. 9. chalcographi manus a lectione Hanovii diſcrepet. Alter nummus vultum regis coronati praefert cum epigraphe: HEINRIC. et in contraria parte templum, cui circumſcriptas litteras Auctor legendas putat: AVG∵STA CIV. i. e. *Auguſta Civitas.* Quod vero rurſus ad Henricum I. referre conatur, valde dubitamus, cuius numiſmata necdum quisquam proba proferre potuit. Nam GOLTZII nullam fidem eſſe, omnes idonei arbitri explorato ſciunt. Tertius in prima parte duo capita adverſa exhibet, Hanovio coronata viſa; ſed noſtra opinione, niſi figura aere cuſa fallit, duos ſanctos cum ſolitis ſtephanis deſignant. Ex litteris detritiſſimis Hanovius exſculpit, ſed mera divinatione: H RICVS IMP. Nos Archiepiſcopos potius, ſanctis adſcriptos, deprehendere nobis videmur. In altera facie clare legitur: SCA COLO AG. quod ſine dubitatione erit: *Sancta Colonia Agrippina.* Si ad manum in praeſentia haberemus SCHOLZII, V. Cl., commentationem, cui index *Colonia ſancta numis illu-*

illuſtrata, forte prioris partis imagines certius noſcere liceret. Qui N. 17. in tabula comparet, caput coronatum habet, inſcriptumque: H ⁞⁞ IRICVS REX. A tergo autem, quos pro cippis, ſeu poſtibus, liliis ornatis, vir clariſſimus habet, cruces potius rudius formatae videntur, neque inſcriptio legi poteſt, ut ille putat: AGRI*ppinae* TIGNA *Eccleſiae Nova.* Sed clariſſime exprimitur nomen Argentinae hoc modo, in formam crucis ordinata, quod frequentiſſimum, ſcriptura:

A
R
TI G NA
E
N

Idem monendum de eo, qui N. 16. praecedit in tabula; nam in prima parte caput imperatoris cum ſatis integra epigraphe oſtendit: HENRICVS IMP. V. nec ſuperſtites notae elementorum S E N. indicare *ſeniorem* poſſunt, titulo nusquam obvio; ſed ſunt reliquiae verborum: SEMP. AVG., ut ipſum ſpatium reliquum arguit. Pulcherrimus, et venerandae antiquitatis nummus eſt in tab. N. 4. Signatus cruce, cum tribus globulis per angulos, epigraphen gerit: HEIMRICVS DVX. Si nummum contemplaremur, haberemus dicere, an non potius, quod interdum in antiquioribus monumentis legitur, praeferat: HENNRICVS, vel: HENIRICVS. In poſtica cernitur templi ſpecies, forma vetuſta, et a Francicis ſtructuris non aliena, in cuius medio deſcripſit chalcographus: ECHO, quod negotium Hanovio V. Cl. faceſſivit: legit tamen aut *Eccleſia* CHO*lonienſis*, aut *Emeranni* CHO*rus*, vel *Collegium.* Sed nihil his opus. Nobis liquet eſſe debere: EC NO. Hoc vero erit: *Eccleſia Nova.* Circumſcribitur vero per orbem: REGINA CIVITAS o I. Urbis nomen *Reginae* antiquitatem arguit; quia paullo poſt Ottones obtinuit adpellatio *Reginaspurg;* olim quidem non prorſus inaudita, ſed rarior, ut palatium, non urbem, notaſſe videatur, donec et huic indita. Quare non dubitamus Henrico Rixoſo, vel Pio, hunc nummum vindicare. Is enim, ut optimis ex monumentis tradit ADELZREITER Annal. Boi. P. I. l. XIV. S. XXVII. cum S. Volfgango deli-

 berans,

berans, ut mali mores religioſarum femellarum corrigi debeant, accepto reſponſo, quia monaſteria ſub poteſtate regum ſint, id ab epiſcopis praeſtari non poſſe, d. Paulli monaſterium eo conſilio erexit Ratisponae, ut ipſe et epiſcopus ius iſtud tuendi et regendi haberent. En ergo, ſtilo certe illorum temporum, eccleſiam novam, auſpiciis ducis conditam, et monetam eo nomine cuſam, A. C. IↃCCCCLVII. Nam iſtud o I. vix aliter interpretandum fuerit, quam Anno I. conditae novae eccleſiae, i. e. monaſterii. Non invidebimus, ſi quis certiora proferat. Quem inde conſiderat, Ottonis M., numum, qui numero tabulae eſt 5., nihil plane difficultatis habet, et comparandus ſolum erit cum obſervationibus SCHOLZIANIS. De eo, qui numero tab. eſt 6., idem dicendum. Nam quod in illo rex, in hoc imperator Otto vocatur, ſolum aetatis diſcrimen facit. Bene ſtatuit Hanovius, ad Ottonem M. utrumque referendum. Secius res ſucceſſit ſollertiſſimo antiquitatis ſcrutatori in eo, quem tabula N. 12. exhibet. Nihil hic Alamanniae, nihil Sanctae Eccleſiae Anhaltinae deprehendi poteſt. Nos quia alia archetypa ipſi tractavimus, cum fiducia pronuntiare poſſumus. In primore facie crux habet nomen ODDO, per ſingulas litteras angulis inſcriptum. Margo, licet nunc exeſus, habuit: PAPIA ✠ REX ✠. Altera pars, non aedem, ſed caſtellum exprimit, et obſidionem Ticini et liberationem Adelhaidis deſignat; unde etiam circumſcriptum: ATELHAIT. ſic enim prorſus legendum. Et quid evidentius? Qui in tab. N. 13. ſiſtitur, ſine haeſitatione ſic agnoſcendus, ut cruci, globulis per quatuor angulos interſtinctae, in margine circumpoſitae legantur litterae: ODDO ✠ REX; a tergo vero legatur: THROTI ✠ MANNIA. Nam cruces, ſaepius ex more aevi interpoſitae, nihil aliud ſignificant quam religionis Chriſtianae profeſſionem. Quod auctor eruditiſſimus § 25. adfert de nummo non delineato, qui ſimillimus ſit illi in Tab. N. 4. nos non morabitur; quia eadem huc repe-

Digitized by Google

repetenda ſunt, quae de iſto attulimus, et in medio templi pro: E L' H., haud dubie legendum adparebit, ſi curatius inſpicietur: E c L N., quod rurſus nihil aliud, quam: *Eccleſia Nova.* Quae ſequuntur de nummis, quorum figura aere non expreſſa eſt, ſine accuratis iconibus diſceptari nullo modo poſſunt. Saepe unicus apex multum oberrantes in viam reducit, ut uſu callentes experiundo quotidie diſcunt. Qui in tabula ſequuntur N. 14. et 15. negligentius, quam par erat, a chalcographo tractati, nobis tamen nihil obſcuritatis obiiciunt. Prior ille habet vultum Conradi Salici, inſcriptum, ſi oculus uſu ipſo eruditior inſpiciet: CHVONRADVS IMP. ✠. Alter id ipſum multo clarius. In prioris poſtica quatuor marginalibus hemicyclis, ad deſignandas portiones quadruplicis regni, interſcribitur crucis in formam: +D V I R O V hoc vero eſt *Virodunum.* In altero idem conſpicitur, parva plane mutatione, ut ſcriptura plenius aliquid contineat, rurſus iſto cruciformi, (ſit venia verbo,) compendio: ✠ D B V I R C V S, quod nihil aliud, quam: *Chriſtianae Belgicae Civitas Virdunum.* Pretioſiſſimae haec ſunt vetuſtatis reliquiae, quia ingens hiſtoriae lumen adferunt. Vulgus hiſtoricorum ſupine in hunc diem fabulatoribus credidit, aut nihil ultra protritas chartas inquiſivit, ut Conradum Salicum iura imperii in Lotharingiae regnum neglexiſſe ſtatueret. Statuerunt enim, ducis Friderici et Epiſcoporum, nominatimque Virodunenſis, coniuratione, qua in foedus contra Conradum II. coierant, effectum fuiſſe, ut alia in ditionem Roberti, regis Galliae, armis Lotharingiam repetentis, conceſſerint; alia ab

im-

imperio avulſa, epiſcopis praeſertim relinquenda fuerint; quorum iactura imperator reconciliationem redemerit, et quae neque poſt oppreſſum Ottonem, Campaniae Comitem, recuperata, neque ex illo tempore portioni Moſellanicae, mortuo Friderico, in Gothelonem translatae, reſtituta ſint. Exornant haec vetuſtis documentis, in quibus poſſeſſores terrarum Lotharingicarum poſtea clientes Galliae prodantur: parum profecto memores, multos regionum in media Gallia dominos, iisdem et ſecutis temporibus obſequio imperii fuiſſe obſtrictos, idque in publicis inſtrumentis profeſſos, prouti hereditate bona quaedam intra illud adepti erant. Sed quid tandem tractui Lotharingiae Moſellanico detrahi potuiſſe ſub Conrado hoc ſtatuemus, ſi Viroduni agnitam eius maieſtatem nummi prodant? Nam tota huic metropoli ſubiecta regio, extremus Lotharingiae terminus, undique Gallicis incluſa limitibus continebatur. Haec quamdiu Germanici iuris, ſeu terra imperii, indignante quantum libuerit FEBURIO, et quodam audaciore ANONYMO, fuiſſe comperietur, non erit, ut temporibus Conradi amiſſas Lotharingiae portiones ſuſpicemur. Et ne de iſto Ottone Campanenſi, tanquam eximio iurium Galliae vindice, diutius glorientur, teſtimonium antiqui ſatis ſcriptoris, fidei praeclarae, et ob viciniam notitiis inſtructiſſimi, IOANNIS A BAYONO, quem utinam integrum dediſſet, qui excerpendum ſolum putavit, HUMB. BELHOMME in Hiſt. Mediani, ex p. 239. proferemus: *Otto etiam Comes*, ſcribit, *Franciae*, *filius Eriberti fratris*, *Stephani*, *adverſus Lotharingos procinctum movens*, *Leucham urbem in vigilia omnium Sanctorum ac deinceps per totam hebdomadam obſedit anno milleſimo — — (ſupple XXXVI.) Quia enim illud oppidum*, *IN TRIUM FINIBUS REGNORUM*, (intellige Gallicum, Lotharingicum, et Burgundicum,) *QUAS COMMARCHIAS VOCANT*, *POSITUM*, *argenti pondera*, *quae marchae Francicae vocantur*, *Francigenis ſolvebat*, *pro vitiati metalli redditus ſumta occaſione*, *prae-*

Digitized by Google

praedictus Princeps non ſolum hanc urbem, ſed et multa Lotharienſium loca devaſtabat. Miro accidit caſu autem, quod, DUM AB HAC OBSIDIONE ABSCEDERET, eius muri ſeptentrionem verſus corruerunt. Qui licet poſt, et tertio, advenerit, DEI NUTU CIVITATEM IPSAM, MULTA HOSTILITER AGENDO, ET LOCA SANCTORUM, MAXIME S. APRI, VIOLANDO, CAPERE NON POTUIT. Poſt nonnulla interiecta vero, ubi narravit, quam nihil ſucceſſerit huic Ottoni, inauſpicato Lotharingiae recuperatori, an tentatori? utque ipſe in pugna caeſus ſit, Theobaldo filio aegre manibus victorum elapſo, ſubiicit perquam notabiliter: *HAEC ENIM PUGNA OMNES HACTENUS MEROVINGORUM PROCERES FINIBUS SUIS CONTENTOS ESSE DOCUIT: NEC EORUM QUISQUAM, PRAETER GOFFRIDUM, ET ALIQUOS QUI NOCTIUM FURTIS INSIDIATI SUNT, LOTHARINGOS BELLO APPETERE AUSUS FUIT.* Ubi ergo iſtae vindiciae iuris Gallici, ab Ottone datae? Et ut graviorem adhuc auctorem producamus, BALDERICUS, ob raritatem libri paucis notus, paucioribus lectus, a pauciſſimis, quanti mereretur, aeſtimatus, qui temporibus iisdem, quibus haec acciderunt, vixit, ut docet editor COLVENERIUS, Chron. Camerac. l. III. c. L. p. 335. ita rem de Epiſcopis refert: *Tandem collecti Principes Saxonum apud Maguntiam praefecerunt ſibi in regem Conradum. Quorum ordinationi Dux Gothilo,* (inferiorem hic Lotharingiam obtinebat, poſtea etiam imperatori reconciliatus Friderici in Moſellanica ſucceſſor,) *Princeps videlicet Lotharienſium, contraire volens, Epiſcoposque Coloniae, Noviomagi, VIRDUNI, Traiecti, Leodii, allocutus, ſacramentum a ſingulis accepit, non niſi eius conſenſu manus ſe ei daturos, neque ad eum ituros. Hoc idem dux Theodoricus, Comesque Heynocenſium Raginerus, cum ſibi complicibus ſacramento firmaverunt. QUOD EPISCOPI PRIMI INFREGERUNT; QUI SE PRIMOS DE-*

Digitized by Google

DEDERUNT (Conrado Salico) *CANTICUMQUE POPULI MALUM FACTI SUNT.* Narrat inde Epiſcopi ſui Gerardi ſapientiam, qui rebellionem coniuratis diſſuadens, occulta legatione Imperatori fidem obſtrinxerit, interea tamen *Regem Francorum placare muneribus ſtudens, ne ſibi primitus uſurpationem* (en fundamenta iuris Gallici) *inferret, quam toto* (L. toti) *regno* (Lotharingiae) *facere ad conſilium habuit;* donec intra annum unum et dimidium rem eo adduxit, ut reconciliati defectores Aquisgrani Imperatori cum ipſo ſe dederent. Dici non poteſt, quantum lucis hiſtoriae haec BALDERICI narratio adferat; in quibus non poſtremum fuerit illud, Theodoricum adhuc, quum Conradus imperio potiretur, ducatui praefuiſſe Moſellanico, eumque per prolepſin ſaltem hiſtoricam Friderico, ſucceſſori eius, iam tunc a VIPPONE attribui, quod apud medii aevi ſcriptores, interdum ex adfectatione, ſaepius ex ignorantia, eſt frequentiſſimum. Sed nobis hic maxime ſerviant pronae Epiſcoporum ad obſequium cervices, ne quis porro eo quaedam extorſiſſe imperio ſuprema poteſtate obtinenda, ſomniet. Sed redeamus ad Hanovii obſervata. Conſpicitur in una parte caput, corona, ſicuti quidem chalcographus expreſſit, tectum. Nobis liquet mitram gemmatam, qualem in aliis exemplis S. Mauritius gerit, fuiſſe. Circumſcribitur: MVRIC . . . Niſi et hic detrita parte litterae M. ſupererunt veſtigia: . . . IAVRIC . . . h. e. Sctus Mauricius. Poſterior pars civitatis turritae, impoſita cruce, ſimulacrum oſtendit, cum epigraphe: MAGDEᗺVЯG. i. e. Magdeburg. Qui ſequitur, in medio vacuum circulum oſtendit, in quo tamen ab aerugine exeſam S. Mauritii imaginem fuiſſe, qualis exſtat in alio nummo perſimili, quem deſcribit LEUCKFELDIUS Antiq. Nummar. Magdeburg. §. 32. Tab. II. n. 34., dubitare non licet. Et ipſa vera inſcriptio ſic ex eodem Leuckfeldiano reſtituenda eſt: ꟷЄ S (fuit enim: SꟷЄ S, h. e. (Sanctus) MAVRITIVS. Poſtica convenit plane cum ſuperiore,

Digitized by Google

riore, niſi quod crux ſupra civitatis ſimulacrum periit detritu, an aerugine? Sequuntur duo nummi Angloſaxonici, cum capite AEdelredi regis, quorum inſcriptio ſic eſt legenda: ÆDELRED REX ANGLO2. hoc eſt, Anglorum. Inſcriptiones poſticarum hic extricare non poſſumus, quia caremus nunc libris FOUNTAINII, SPEELMANNI, RAPINI, et aliorum, in quibus comparando ectypa certiora quisque reperiet. Nos contemplando tabulam apud LEHMANNUM *de naulis Danicis* p. 26. id deprehendimus, loca officinarum ſignari, unum interdum, ſaepius duo. Quod vero in medio plerumque ſic exſtat: M—O. eſt ſigla, quae monetam notat. Ceterum Lehmanni argutiis, qui miras ſententias marginibus adſcriptas comminiſcitur, forte prudentiores parum delectabuntur. Supereſt ille, quem n. 9. in tabula expreſſum, auctor, ob inſcriptionem vetuſtatis iniuria truncatum, ad Anglo Saxonicos etiam referre inſtituit. Nos autem facies admonet, Ottonem hic Magnum comparere, clypeatum, et ſceptrum ferentem, qualis frequenter occurrit. Nec epigraphe aliter legenda, quam: ODDO REX GERM. Poſtica crucem habet, inſertis per angulos liliis. Inſcriptio forte: ADELHAID REGINA. Non erit fraudi Hanovianae gloriae, quod acutiſſimis cogitatis, et multis eruditis meditationibus, exactius eruere verum, atque certum, non contigerit, quum ipſe adſpectus, et cauſſae iam antea memoratae, quemvis admoneant, quam corrupta vetuſtate, aerugine, et male conſulta repurgatione, haec monumenta ipſi oblata ſint. In diſſertatione, quae *explanata definitionum foecunditas* inſcribitur, virtutes plenae et commodae definitionis egregio iudicio oſtenduntur, ut tractationis elegantia tituli felicitatem aequet. *Dilucidatae vires rerum in genere* ſequuntur; ubi ſubtilitas et evidentia certant cum dignitate argumenti. Quae inſcriptionem habet *limites et demonſtratio principii repugnantiae,* magnae accurationis eſt, et fluctuationi eorum opponitur, qui eſſentiam rerum immutabilem igno-

Digitized by Google

ignorant. In *Prometheo Scytharum philoſopho* auctor fabulas hiſtoriae adcommodare, BOCHARTI, HUETII, BANIERII, aliorumque exemplo inſtituit. Scythiae ipſum vindicat; multarum artium, vitae utilium, inventionem, grammaticae praeſertim et philoſophiae illi attribui oſtendit, putatque poſtremis Ioſephi patriarchae temporibus, e poſteris Iapheti regnum et ſedem in Scythia ſortitum, homines ad cultum vitae virtuteſque et ſapientiam erudiiſſe. Multos per hanc occaſionem antiquitatis receſſus ſcrutatus ſagaciter e ſuis involucris, iucundas et utiles notitias explicat. *Indoles genuina prope verorum* docte et acute expenſa, prudentiam in docendo inſtruit, ne omnia nimis moroſi reiiciant, quae nondum ex omni parte ad exactiſſimas veritatis rationes perducta ſunt, ſed inſtituto interea certo ſolum reſpectu, qui non fallat, ſerviunt. *Diviſio civilis Pruſſiae Polonicae*, et iuncta *emendatior geodaeſia eius*, praeclara hiſtoriae et geographiae praeſidia adferunt, et obſervationes lectiſſimas continent. *Examen ſomnambulorum pſychologicum*, exemplis mirificis et raris, obſervatis curioſis, et inquiſitionibus in naturam actionum animi et corporis doctiſſimis, abſolvitur. Neque elaborata minus aut pulcra occurrunt in ſequentibus: *de materia proprie dicta*, in *enucleata quadamtenus rerum ſimplicitate*, in *qualitate rerum quadamtenus excuſſa*, *de vicario ſenſuum uſu*, in quibus omnibus naturae interpretem feliciſſimum Scriptor agit. *Analecta de Orpheo philoſopho*, ex eruditione, litteratura elegantiore, et antiquitate philoſophica, eximia quaevis magna ubertate proferunt. *Excuſſio quantitatis generatim ſpectatae*, quam profunda meditatione, tam pulcra explicatione commendatur. *Fata regni Lithuani* ſic ex fide diplomatum et hiſtoriae recenſentur, ut multorum errores arguantur, et Mendovii praeſertim, primi regis, res in bono lumine collocentur. Oſtendit vero potiſſimum, qui ſucceſſus religionis Chriſtianae ſub hoc et poſtea fuerit, et poſt egregias ex hiſtoria et accuratiore geographia obſervationes, equitum cruciferorum res

geſtas

Digitized by Google

geſtas ſupplet, multa emendat, et plurima ad pleniorem iſtarum et regionum et gentium notitiam ſuppeditat. *Spatium verum et imaginarium contra Keilium; examen diviſibilitatis in infinitum contra eundem; indoles virium materialium et corporearum, ubi de nexu et motibus ſiderum, principia naturalia cognoſcendi libertatem dei, praeſertim a priori*, omnia ſic pertractantur, ut acumen philoſophi cum diligentia circa experimenta et nova obſervata certet. *De favore commerciorum* ea intra muſeum meditatus eſt Hanovius, quae omnes reip. idoneos adminiſtros et praeſides opportunis publicae felicitatis ſubſidiis inſtruere poſſint. *Receſſus funerationis Aegyptiorum priſtinae* archaeologiae non hiſtoricae minus, quam philoſophicae, pulcherrimam contemplationem habent. *Omnipotentia dei a priori oſtenſa, diſcrimen virium rerumque ſimplicium, compoſitio ſimplicium ortusque compoſitorum, independentia divina*, et *additamentum ad diſſ. de ſpatio*, in quo EULERI argumenta expenduntur, ſunt ſubtilis et perſpicacis philoſophi lucubrationes, qui pro capaciſſimi ingenii, quo praeditus eſt, viribus, nullam rem adgreditur, quin multa reperiat nova, antea notis meliorem lucem adferat, dubia ad certum perducat, et omnibus, etiam abſtruſiſſimis rebus, diſſerendi elegantia et demonſtrationum evidentia ac facilitate dignitatem et gratiam addat. Potuiſſent quidem exempla adferri longe plurima, quae Hanovii his in quaeſtionibus attingendis felicitas fuerit, ut vitato taedio, obſervatis ſcopulis, et caligine errorum ac fallaciarum diſcuſſa, ad puram et amoenam lucem ubique emerſerit; ſed in hac ubertate et copia rerum ſi nobis accidit, quod in coena dubia, ut quid primum tolleremus, neſciremus, quis mirabitur? Et habet alioquin tam concinnus ordo argumentationum, quo utitur, id occultae artis, nihil ut extra hunc eandem vim habeat, neque commode e ſuo contextu excerpatur. Ipſi tituli tam apte et argute concepti ſunt, ut vel iis lectis aeſtimatores reſtitutarum artium ad diſquiſitiones allectum iri confidamus.

ignorant. In *Prometheo Scytharum philoſopho* auctor fabulas hiſtoriae adcommodare, BOCHARTI, HUETII, BANIERII, aliorumque exemplo inſtituit. Scythiae ipſum vindicat; multarum artium, vitae utilium, inventionem, grammaticae praeſertim et philoſophiae illi attribui oſtendit, putatque poſtremis Ioſephi patriarchae temporibus, e poſteris Iapheti regnum et ſedem in Scythia ſortitum, homines ad cultum vitae virtuteſque et ſapientiam erudiiſſe. Multos per hanc occaſionem antiquitatis receſſus ſcrutatus ſagaciter e ſuis involucris, iucundas et utiles notitias explicat. *Indoles genuina prope verorum* docte et acute expenſa, prudentiam in docendo inſtruit, ne omnia nimis moroſi reiiciant, quae nondum ex omni parte ad exactiſſimas veritatis rationes perducta ſunt, ſed inſtituto interea certo ſolum reſpectu, qui non fallat, ſerviunt. *Diviſio civilis Pruſſiae Polonicae*, et iuncta *emendatior geodaeſia eius*, praeclara hiſtoriae et geographiae praeſidia adferunt, et obſervationes lectiſſimas continent. *Examen ſomnambulorum pſychologicum*, exemplis mirificis et raris, obſervatis curioſis, et inquiſitionibus in naturam actionum animi et corporis doctiſſimis, abſolvitur. Neque elaborata minus aut pulcra occurrunt in ſequentibus: *de materia proprie dicta*, in *enucleata quadamtenus rerum ſimplicitate*, in *qualitate rerum quadamtenus excuſſa*, *de vicario ſenſuum uſu*, in quibus omnibus naturae interpretem feliciſſimum Scriptor agit. *Analecta de Orpheo philoſopho*, ex eruditione, litteratura elegantiore, et antiquitate philoſophica, eximia quaevis magna ubertate proferunt. *Excuſſio quantitatis generatim ſpectatae*, quam profunda meditatione, tam pulcra explicatione commendatur. *Fata regni Lithuani* ſic ex fide diplomatum et hiſtoriae recenſentur, ut multorum errores arguantur, et Mendovii praeſertim, primi regis, res in bono lumine collocentur. Oſtendit vero potiſſimum, qui ſucceſſus religionis Chriſtianae ſub hoc et poſtea fuerit, et poſt egregias ex hiſtoria et accuratiore geographia obſervationes, equitum cruciferorum res geſtas

Digitized by Google

geſtas ſupplet, multa emendat, et plurima ad pleniorem iſtarum et regionum et gentium notitiam ſuppeditat. *Spatium verum et imaginarium contra Keilium; examen diviſibilitatis in infinitum contra eundem; indoles virium materialium et corporearum, ubi de nexu et motibus ſiderum, principia naturalia cognoſcendi libertatem dei, praeſertim a priori*, omnia ſic pertractantur, ut acumen philoſophi cum diligentia circa experimenta et nova obſervata certet. *De favore commerciorum* ea intra muſeum meditatus eſt Hanovius, quae omnes reip. idoneos adminiſtros et praeſides opportunis publicae felicitatis ſubſidiis inſtruere poſſint. *Receſſus funerationis Aegyptiorum priſtinae* archaeologiae non hiſtoricae minus, quam philoſophicae, pulcherrimam contemplationem habent. *Omnipotentia dei a priori oſtenſa, diſcrimen virium rerumque ſimplicium, compoſitio ſimplicium ortusque compoſitorum, independentia divina*, et *additamentum ad diſſ. de ſpatio*, in quo EULERI argumenta expenduntur, ſunt ſubtilis et perſpicacis philoſophi lucubrationes, qui pro capaciſſimi ingenii, quo praeditus eſt, viribus, nullam rem adgreditur, quin multa reperiat nova, antea notis meliorem lucem adferat, dubia ad certum perducat, et omnibus, etiam abſtruſiſſimis rebus, diſſerendi elegantia et demonſtrationum evidentia ac facilitate dignitatem et gratiam addat. Potuiſſent quidem exempla adferri longe plurima, quae Hanovii his in quaeſtionibus attingendis felicitas fuerit, ut vitato taedio, obſervatis ſcopulis, et caligine errorum ac fallaciarum diſcuſſa, ad puram et amoenam lucem ubique emerſerit; ſed in hac ubertate et copia rerum ſi nobis accidit, quod in coena dubia, ut quid primum tolleremus, neſciremus, quis mirabitur? Et habet alioquin tam concinnus ordo argumentationum, quo utitur, id occultae artis, nihil ut extra hunc eandem vim habeat, neque commode e ſuo contextu excerpatur. Ipſi tituli tam apte et argute concepti ſunt, ut vel iis lectis aeſtimatores reſtitutarum artium ad diſquiſitiones allectum iri confidamus.

Digitized by Google

NOVA CLAVIS HOMERICA, CUIUS OPE ADItus ad intelligendos ſine interprete Iliadis Libros omnibus recluditur. Interſperſae ſunt ſelectae Clariſſ. Virorum, Camerarii, Clarkii, Erneſti, cet. Annotationes et Scholia. Opera IOANNIS SCHAUFELBERGERI, Publici in Schola Turic. Paedagogi. Praefatus eſt IO. IAC. BREITINGER, Prof. Philolog. S. publ. et Canon. Turic.

Turici, Litteris Heideggeri et Sociorum, A. cIↄ Iↄ CCLXI. pll. XIX. octon.

Cum omnino litteris graecis admodum ſalutare fuit hoc, quod vivimus, ſaeculum, tum Homero inprimis longe fortunatiſſimum. Praeterquam enim quod omnium fere, non modo poetarum, verum etiam reliquorum ſcriptorum graecorum interpretes, qui ſunt ſane noſtra aetate permulti atque egregii, nactus eſt et ſuos, cum vix putarent, niſi fonte limpido, rivulos recte purgari poſſe; contigerunt ei peculiares interpretes, qui, ut eſſent exquiſita graecarum litterarum ſcientia praediti, ita et ingenii nervos intenderent omnes, ſummamque diligentiam adhiberent. Tanto enim, poſt *Ioachimum Camerarium*, aeternum illud Academiae noſtrae ornamentum, temporis intervallo facto, cum nemo ad Homerum interpretandum edendumque tot ac tantis praeſidiis inſtructus acceſſiſſet, ut cum illo noſtro comparari, nedum aequari poſſet; noſtra tandem aetas duumviros excitavit, *Sam. Clarkium* et *Io. Aug. Erneſtium*, qui, dubium videri poteſt, magisne ſuae ipſorum, an Homeri exiſtimationi laudibusque conſuluerint, opera ſua in edendis eius divinis poematis egregie collocata; quique eſſent Camerario ſocii digniſſimi.

In quo ſentire nobiſcum videtur *Schaufelbergerus V. C.* felix et ipſum atque ſalutare literis graecis nomen. Is enim, cum animum induxiſſet conſulere commodis ſtudio-

dioſorum litterarum graecarum, edendo hoc libello, de quo nobis, quid videatur, nunc eſt dicendum, illos potiſſimum triumviros loquentes quaſi docentesque induxit; hoc quidem conſilio, ne ubiubi vox vivi interpretis ullo modo deſiderari poſſet: neque tamen aliorum virorum in hoc genere literarum excellentium opera neglecta, qui vel mores illorum temporum et ritus explicarent atque illuſtrarent, vel grammatica etiam praecepta traderent.

Sed antequam plura dicere de hoc libello ſuſcipiamus, mentio facienda eſt praefationis Breitingerianae, ne vel ordinem deſeramus, vel inferiora iuſto exiſtimare videamur, quae ab huius Viri doctrina elegantique iudicio profecta, commendatione quidem non egent, ſed commendanda tamen inprimis videntur.

Vehementer autem cupit Cel. Breitingerus, qui eſt eius in bonas literas amor, commendatum eſſe iuvenibus graecae linguae ſtudium, cum non praeter rem dicat traditam eſſe Evangelicam doctrinam huius ipſius linguae ope, quae ante omnis ſapientiae et ſcientiae humanae quaſi promaconda fuiſſet; cuius etiam nunc, poſt renatas literas, diſcendae atque intelligendae multo plura praeſidia extent, quam quidem aliarum linguarum, quarum ſcriptores optimi quique non diffiteantur hauſiſſe ſe e graecis ſcriptoribus tantum non omnia. Quae omnia dicit eſſe eiusmodi, ut omnium maxime commendare debeant graecae linguae ſtudium: Iuliani quidem temporibus beneficio ſe affectos maximo exiſtimaturos fuiſſe Chriſtianos, ſi licuiſſet iis per callidum illud interdictum Graecos ſcriptores legere, inprimis poetas, quorum lectio explicandae doctrinae coeleſti facem praeferre, iudicium de rebus recte inſtituendum adiuvare, omnemque liberaliorem cultum afferre exiſtimata eſſet. Sed recentioribus etiam temporibus ſummos quosque viros, qui rem ſcholaſticam conſiliis, nominatim Turicenſem ſcholam inſtitutis adiuviſſent, eodem modo ſenſiſſe, partim teſtimoniis ex *Io. Oecolampadii*, *Zuinglii*, *Bullingeri*, *Rod.*

Collini, *Conr.* denique *Geſneri* ſcriptis deſumtis comprobatur, partim factis, diſciplina inprimis *Io. Ceporini* commemoranda, oſtenditur: utrobique autem fata ſcholae Turicenſis, quod ad hoc genus litterarum attinet, carptim enarrantur. Cui quidem nos non poſſumus non gratulari, nactae et ſupremos Rectores et vero etiam doctores, quorum auctoritate et intelligentia, abolita diſciplina vetere, quae non niſi Patrum Graecorum libellis aliquot enarrandis contineretur, veterum ſcriptorum, poetarumque inprimis graecorum lectio adiuvaretur et inſtitueretur. Cuius rei facile fidem fecerit induſtria Cl. Schaufelbergeri adhibita in conſcribendo hoc libello, ſtudioſae graecarum literarum iuventuti dicato, cuius forma et deſcriptio nobis nunc exhibenda eſt.

Nempe, cum editionum Homericarum ut quaeque eſt praeſtantiſſima, ita minime apta tironum tenuitati atque imbecillitati reperiatur; deſint autem vel eiusmodi editiones, quae non nimis provectos in his literis praecipue adiuvent, vel alia etiam ſubſidia, quibus, quae ab idoneo doctore dici ſolent, tradantur; (nam viva alius voce erudiri plerique eorum, qui, cum neceſſitatem et utilitatem graecarum literarum agnoverint, cupidi earum diſcendarum facti ſunt, nec volunt, nec poſſunt ſaepenumero), operae pretium ſe facturum putavit Cl. Auctor, ſi, quae tironum captui et uſui maxime deſtinata eſſent, in Notis Camerarii, Clarkii et Erneſtii ad Homerum, ſeligeret atque exhiberet. Addidit etiam notas Io. Scherpezelii, Io. Spondani, Daceriae denique, quotiescunque reperiſſet eas conſilio ſuo accommodatas. Nec minus habita eſt ratio Scholiorum graecorum, uti quidem a Barneſio edita ſunt.

Quae ex antiquitate ſcitu ſunt maxime neceſſaria iis, qui ad Homerum legendum accedunt, ſenſuque pulcri imbui cupiunt, ea petita ſunt e Io. Potteri Archaeologia Graeca, Riccii Diſſertationibus Homericis, Feithii Antiqui-

quitatibus Homericis, Lakemacheri atque aliorum Compendiis de Antiquitatibus Graecorum. Nam cum in omnibus ſcriptoribus hoc negotium antiquitatum cognoſcendarum ſuſcipi debeat, quae intellectum ſententiarum, omnemque ſenſum adiuvare posſint; tum in Homero tanto magis eſt neceſſarium, quo magis differunt mores illorum temporum ab his noſtris, quoque ſaepius reiici ſolet Homerus ab his, et pro ſtulto haberi, qui, neglecta antiquitatum Homericarum cognitione, Homerum tamen intelligere tentarunt.

Tum porro etiam ad uſum philologicum in explicando N. T. pertinere voluit Cl. Auctor operam ſuam in hac Clave Homerica expolienda, poſitam, ſecutus auctoritatem Raphelii, Blacvalli, Kypkii, Palaireti, aliorum. v. c. ad Il. ά. v. 424. haec dicta ſunt: „χθιζὸς heſternus, pro χθὲς heri. Graeci enim eleganter, cum „quid volunt certo die factum eſſe, nomen iſtud, quo „dies ſignificatur, perſonae iungunt. Duo etiam in N. „T. exſtant exempla Phil. III, 5. περιτομῇ ὀκταήμερος, „octavo die circumciſus. Io. XI, 39. de Lazaro dici„tur: κύριε ἤδη ὄζει· τεταρταῖος γάρ ἐστι· iam putiſcit; „abhinc enim quatuor diebus mortuus eſt.“ Cuius generis plura reperias.

Analyſis denique ſingularum propemodum dictionum ſecundum ordinem librorum et verſuum propoſita eſt, adhibitis eam in rem libris ſat notis et obviis, ad quos ablegantur ſtudioſi. Nos quidem etſi tantum abeſt, ut de conſilio Cl. Auctoris ſiniſtre ſentiamus, ut laudemus potius mirifice ſummum eius in iuvandis bonis literis ſtudium, cuius quin certisſimum documentum ſit in hoc ipſo libello editum nullo modo dubitamus: veremur tamen, ut maior ſit utilitas, quae exinde redundet in tirones, quam damnum, quod conſequatur, augenda negligentia, et pigritia, quae vel ſic ſatis occupavit animos iuvenum, cum quidem evolvendis libris ſuperſedere que-

ant, formaſque vocabulorum indagare ipſos non oporteat. Ceterum tamen et ὀψιμαϑεῖς, ut ante diximus, adiuvare egregie poteſt hic libellus, nec, quod aliqua parte invitus nocere poteſt, culpa in ipſum potiſſimum transferenda. Scilicet hae quoque divitiae ſunt in bonis numerandae, ſi bonus eſt eius animus, qui fruitur, ſi malus, in malis. Videtur autem plane V. Cl. iis ſcripſiſſe, qui primum omnium ad Homerum, nullo ante lecto ſcriptore Graeco, accedunt: quod niſi ſpectaſſet, vix erat additurus vulgatisſimae cuiusque vocis, ut κλέπτω, τέσαι, ὅσοι, aliarum interpretationem. Sed huius quidem generis tirones nos certe non vidimus, neque cupimus quemquam rudimenta Graecae doctrinae in Homericis carminibus ponere. Iam ea nimis diligenti ratione tenenda factum eſt, ut hoc libello quatuor duntaxat priores Iliados libros illuſtrando abſolverit Auctor, daturusque ſit nobis, ſi eadem via pergat, voluminoſum ſatis opus, quod facile adaequet pretium editionis Erneſtinae. Nos vero bene precamur illius ſtudiis, ad utilitatem iuventutis comparatis. Gratum etiam accidit nobis cognoſcere e praefatione Breitingeriana, viro docto, qui nuper in vertendis theotiſce *Pindaricis*, *Sophocleis* et *Euripideis* carminibus nonnullis felicem operam poſuit, *Ioh. Iac. Steinbrychelio* nomen eſſe; qui ut pluribus eiusmodi donis ornet linguam patriam, vehementer optamus. Aequum eſt enim, in ea gente, quae hodie cum paucis aliis amat tractatque ſcriptores Graecos plurimum, exſtare eorundem verſiones ſcitas et elegantes, amoris in has litteras teſtimonium perpetuum.

NOVA LITTERARIA.

HEREDES RENGERIANI
Bibliopolae Halenſes
LECTORI S.

Dudum eruditis innotuit hominibus, MICH. CHRISTOPH. HANOVIUM, Prof. Gedan. Celeberr., ut inte-

tegrum maioris ſyſtematis philoſophiae opus, quod morte occupatus abſolvere WOLFIUS, princeps ille inſtauratorum melioris doctrinae non potuit, eodem filo pertexeret; ultimam manum impoſuiſſe Politicae, quae IV. voluminibus, Wolfianorum forma et docendi ratione ac via ſimilibus, publicata plauſus omnium retulit, qui tam exactae et illuſtris diſciplinae ſunt cupidi. Ne vero ulla pars deſideretur, conſtituit, eodem exemplo elaboratam Phyſicam, ſequendo inſtitutum informatum a WOLFIO ipſo in tribus tomis Teutonica lingua conſcriptis, publicare, ſervata itidem forma Latinorum operum. Dedit vero, ut maxime, operam, ne aliquid ex inventis et novis obſervatis Academiarum, Londinenſis, Pariſienſis, Petropolitanae, Berolinenſis, et Bononienſis praetermittatur, quod WOLFII contemplationi naturae ſervire poſſit, ſive novam lucem adferant, ſive emendandi quaedam occaſionem praebeant. Phaenomenorum cauſſae ita reddentur, ut nihil ex vulgi opinionibus vel ſenſuum fallaciis temere adſumatur, et induſtria adhibebitur, ut plures repugnantiae ſpecies ſine re inter ſententias NEWTONI et LEIBNITII tollantur. Ne etiam praeter utilitatem pretium operis augeatur ex multitudine figurarum, experimentorum vulgarium et ſaepius inſtitutorum, quorum deſcriptiones obvii quique de rebus naturalibus libelli continent, nulla ratio habebitur. Primum volumen deſtinatum eſt Phyſicae coeleſti et aethereae, quod luci publicae prope diem exponemus. Omnes aequi arbitri nihil de praeſtantia ſcientiae, qua ad reliquas via panditur, dubitabunt, et plura, quam exſpectaſſent, ad eius provectum praeparata invenient. Conſummata HANOVII in rebus phyſicis doctrina ſatis publicae famae praeconio commendata, nihil, niſi elaboratum ingenio et perfectum induſtria, promittit, et eius Latina facundia et oris rotundi felicitas iam ex continuatis illuſtris philoſophi operibus maioribus apud omnes aeſtimatur.

Quid-

Quidquid ipſe WOLFIUS ordiendo ſuum ſyſtema ſibi propoſuerat, ſevera imitationis lege hic obſervabitur. Nos integrum hoc opus tributum in IV. volumina chartae quadruplicatae, quorum quodlibet IV. vel V. Alphabeta, quae vocant, impleat, et VI. circiter figuris ornatum ſit, tanta diligentia curabimus, ut nemo parſum impenſae circa nitorem et elegantiam cauſſari queat. Forma quoque operibus Wolfianis iam publicatis reſpondebit. Tomus primus exponetur inſtantibus huius auctumni nundinis Lipſienſibus, et reliqui, ſex quisque menſium, vel annuo certe, ſpatio interiecto, ſequentur. D. Halae Prid. Non. Maii A. S. R. cIɔIɔCCLXI.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Iunii Anno MDCCLXI.

Pars II.

CHRISTOPHORI SAXII ORATIO IN SEPTEM Artium Liberalium Magiſtros. Habita publice Traiecti Batavorum a. d. IV. Nonas Apriles, quum in doctorum hominum Panegyri Academiae ſe rectura ſolemniter abdicaret.

Traiecti ad Rhen. 1761. ex offic. Ioh. Broedelet, Acad. typogr. plagg. 9½. in 4.

S*axius*, Vir celeberrimus, cuius inſignem peritiam ut omnium humanitatis partium, ita eius maxime, quae pertinet ad monumenta antiqua, tot egregiis documentis ſpeciminibusque probatam, nos Germani, quorum ille apud Batavos ſummum decus ornamentumque vivit, vere vehementerque admiramur, Oratione iſta etiam Oratoris magni atque docti laudem ſibi vindicavit. tot praeclaris nos quidem gravibusque ſententiis illam, tam lectis exquiſitisque verbis, refertam exornatamque reperimus! In *exordio* narrat, praeter alia, *Saxius*, ante quatuor et ſeptuaginta annos a Conſulibus et Senatoribus civitatis Traiectinae, quibus inſcripta eſt Oratio, lege ſancitum eſſe, ut Rectores Academiae Traiectinae et adirent munus, et eo abirent publice, non privatim, ut antea; praedicatque, anno ſuo magnam humaniſſimorum iuvenum multitudinem et copiam confluxiſſe litterarum cauſſa et convolaſſe Traiectum. Oratio ipſa, quae *eorum* opinionem labefactare, atque adeo evertere conatur, *qui*

ſeptem Artes liberales, hoc eſt, Grammaticen, Dialecticen, Rhetoricen, Geometriam, Arithmeticen, Aſtronomiam, et Muſicen, *architectati* et commenti *ſunt*, deſcripta eſt in partes duas. *Prima parte* docetur et demonſtratur, nullum veſtigium, neque numeri iſtius, neque ordinis artium, reperiri in ſcriptis Graecorum Romanorumque veterum. De eo quidem conſentiunt omnes veteres una et mente et voce, qui verſari bene in ſtudio philoſophiae velit, eum inſtructum eſſe praeditumque oportere multarum aliarum artium ſcientia: ſed quaenam ſint artes illae, et quot, de eo valde diſſentire inter ſe videntur. Plato enim, vel potius Socrates apud Platonem in Philebo, [p. 90. ſ.] nominat Muſicen, Medicinam, Architecturam, Arithmeticen, Geometriam, Dialecticen, Rhetoricen: alibi artes alias, vel totidem [in Gorgia p. 282. ſ.], vel etiam pauciores [VII. de rep. p. 483 · 487.]. In nobili illa Cebetis tabula laudantur quidem ſeptem artium doctores, poetae, rhetores, dialectici, muſici, arithmetici, geometrae, aſtrologi: ſed celeb. *Saxius* locum illum, cum Petito, Thomaſio, aliisque, interpolatum et contaminatum arbitratur. Etiam a Cicerone celebrantur commendanturque alia artium genera, alia a Varrone, Philone, Seneca philoſopho, Quinctiliano, Galeno, Clemente Alexandrino: quorum omnium loca in notis adiectis diligenter laudantur. Etſi igitur veteres de numero et ordine artium liberalium tantopere diſſidere inter ſe reperiuntur; cuius diſſidii opinionis cauſſae *Saxio* videntur eſſe, vel interitus tot librorum veterum, maximeque Varronis, e quibus ſententia Graecorum Romanorumque ea de re cognoſci certius a nobis atque planius poſſet, vel animi magnitudo humanitatisque incredibilis et inſatiabilis cupiditas eorundem hominum, qua allecti et capti nullam artem contemnendam deſpiciendamque, immo omnes non tam attingendas leviter et guſtandas labris primoribus, quam imbibendas penitus devorandasque totas cenſuerunt, ut ridiculum ineptumque videretur ſingulas commemorare in ſcriptis, et veluti annumerare: tamen certiſſimum habetur, aucto-

Digitized by Google

auctoritateque Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Senecae, Plutarchi, Galeni, etiam Sexti Empirici, doceri plane poteſt, veteres dialecticen noluiſſe eſſe in numero artium, quae Sapientiae miniſtrae eſſent et adiutrices, ſed eam in ſuprema quaſi arce faſtigioque Sapientiae collocaſſe. Auguſtinus, celeber ille magnusque Hipponénſium Theologus, primus auſus eſt dialecticae locum inter Grammaticen et Rhetoricen medium aſſignare, artibusque tribus his adiungere alias quatuor, Arithmeticen, Muſicen, Geometriam, et Aſtronomiam [vid. lib. II. de ordine c. 12-16.]. Quae quidem artium deſcriptio et diſtributio a Martiano Capella primo, cuius Nuptias Mercurii et Philologiae nemo ignorat; deinde ab Severino Boethio, Caſſiodoro, Iſidoro, Beda Venerabili, Alcuino, Rhabano Mauro, Iohanne Sarisberienſi, probata eſt et propagata ad poſteros. Hactenus de prima Parte Orationis Saxianae. *Alterius Partis* ſumma haec eſt. Omnia ſtudia, ait Auctor doctiſſimus, eſſe vel *cognitionis*, vel *ſcientiae:* neque quod ex omni ſua parte unum ſemper, idem, et ſecum conſentiens ſit, cuius ſtabilitas nuſquam vacillet, quod penitus perſpectis, in unum exitum ſpectantibus, ſcientia comprehenſis, et nunquam fallentibus rebus abſolvatur, in id totum naturam *artium* nomenque cadere ullo modo poſſe; ſed vel *doctrinae*, vel *diſciplinae* nota ſignari oportere. Nam etſi Latini interdum *artem, doctrinam, ſcientiam, diſciplinam*, promiſcue dicant: tamen id non ubique fieri; id quod locis Ciceronis nonnullis confirmatur ab eruditiſſimo *Saxio* [p. 47.]: et Latinos ſaepiſſime diſcrimen facere inter *opinionem* et *ſcientiam*, inter *litteras* et *ſtudia doctrinae*, inter *ingenium* et *doctrinam*, inter *eruditos* et *doctos* homines: et a Graecis, veluti a Platone, Ariſtotele, Philone, τέχνην fere ſemper diſtingui ab ἐπιστήμη. Ubi enim opinabilis ratio extet, quae maximam partem ſenſuum et ingenii felicitate contineatur, ibi *Artis* vim poteſtatemque efflorescere. Itaque nec Mathematicen, nec Logiſticen, nec Geometriam, in numerum *Artium* referri debere; ſed Grammaticen, Rhetoricen, etiam Poeticen, ſolas eſſe iſto vocabulo appellandas:

das: et dialecticen non eſſe in Artibus, Matheſeos et Philoſophiae quaſi anteambulonibus, verum in medio Philoſophiae regno, ex mente veterum, collocandam. De quibus omnibus tam docte et ſcienter, tam ornate et copioſe, diſputat *Saxius*, ut magni *Chriſtii* noſtri diſcipulum [v. p. 44.] facile agnoſcas. Caeterum *concluſio* Orationis haec eſt, ut Orator, qui ante ſexennium docere humaniores litteras Traiecti publice iuſſus eſt, mortem *Irhovii* Theologi, qui ante eum Rectoris munere in Academia Traiectina functus erat, lugeat; de iniuria Burmanni, ſi dIs placet, ſecundi, conqueratur; Rectoris inſignia *Elſnero* Theologo publice tradat; ſalutem denique et incolumitatem Academiae Traiectinae precetur.

ELEMENTA PHYSIOLOGIAE CORPORIS HUMANI. Auctore ALBERTO de HALLER, Praeſide Societatis Regiae Scientiarum Goetting. etc. TOMUS TERTIUS. Reſpiratio. Vox.

Lauſoduni 1760. ſumtibus Sigiſmundi d' Arnay, Alph. 11. plag. 15. in 4.

Illuſtris HALLERUS, qui, quanquam graviſſimis occupationibus civilibus obrutus, non tamen deſinit de re litteraria et arte inprimis medica bene mereri, ſatis gnaviter inceptum opus pertexere pergit. Nos huius etiam Voluminis contenta, quam breviter fieri poterit, percenſebimus. Libro VIII. *Sect. I.* deſcribuntur inſtrumenta exteriora illa, quae reſpirationi inſerviunt. Itaque de vertebris dorſi coſtisque deſcriptio anatomica praemittitur. Coſtis non eandem firmitatem eſſe adverſus dubitantes pugnat, atque argumentis, partim ab anatomia, partim ab experimentorum fide repetitis, confirmat. Cum de ſterno diſſeritur, ſera cartilaginis Xiphoidis in oſſeam naturam mutatio notatur, ut et in femina centeſimo aetatis anno mortua apprime cartilaginea ab *Ill. Auctore* ſit inventa. Rarum eſt, nullam omnino cartilaginem eo loco ab *Auctore* inventam eſſe. In deſcriptione

Digitized by Google

ptione univerſae compagis thoracis monetur, cartilagineam naturam ad coſtarum fines conſpicuam, ad ducendum ſpiritum non perfecta neceſſitate requiri, ſed etiam rigidas omnino virgas locum habere potuiſſe; idque tum avium exemplis, tum hominum, quibus totae coſtae plerumque, absque mobilitatis detrimento, oſſeae fuerunt. Poſthaec thoracis diverſa mobilitas accuratius, ſed ita delineatur, ut compendium aegerrime admittant dicta. Sequitur deſcriptio virium, a quibus motus coſtarum perficiuntur, ubi idem fatendum eſt: neque enim praeter hiſtoricam narrationem, et ea, quae ex aliis celeberrimi viri ſcriptis iam nota ſunt, aliud quid reperias, niſi utilem beneque ordinatam doctrinam de rebus in controverſiam vocatis. Semper nos admirati ſumus ſummam celeb. virorum pertinaciam, internis externisque intercoſtalibus muſculis contrarias actiones vindicandi, eosque muſculos ſibi contrariantes ponendi, quorum neuter vel laxari, vel contrahi poteſt, quin alter ſimul aut brevior fiat, aut longior. De officio muſculorum, ſterno maſtoidei et cleidomaſtoidei, verba faciens, obiter utile felicis aliquando curationis ſeminium ſpargit: ſcilicet in curvati colli vitio contortique prudentius fore ac perinde efficax conſilium, alterius lateris muſculum maſtoideum repetito electrici torrentis motu confirmare, quam quidem, non facili aut metus experte adminiſtratione, adfecti lateris muſculum reſcindere. Monet quoque, capitis veram intortionem a ſternomaſtoideo, ut obliquiori, evidentius, a cleido - maſtoideo aliquanto lenius effici; item tum claviculam et coſtam primam a coniuncta actione utriusque muſculi ſurſum duci poſſe; eamque efficaciam hactenus ignotam fuiſſe. Muſculo pectorali maiori levationem ſterni et coſtarum tribuit, experimentis in ſe ipſo animadverſis ductus. Actionem diaphragmatis exponens, confirmat, non oeſophagum ſolum, ſed venam etiam cavam, a diaphragmate tempore inſpirationis conſtringi. *Sect. II.* partes thorace contentae enumerantur, eaque opportunitate ampliſſime et luculentiſſime diſſeritur de controverſia celebri, num aer verus et elaſticus inter pleu-

ram et pulmones reperiatur; omnibusque in utramque partem allatis experimentis demum concluditur, eum ibi non adeſſe. Bronchiales glandulas conglobati generis liquorem aliquem in bronchia mittere fatetur *Ill. Auctor*, vulgari eo experimento ductus, quo conſtat, nigricantes ſtrias frequentiſſime adultiorum hominum muco ſeſe immiſcere. Verum huic experimento nos parum aut nihil tribuimus, cum manifeſtum ſit, aerem inſpiratum particulas alienas omnium generum pulmonibus inferre; quibus igitur tingi et infici mucus ille haud dubie poteſt. Ab ea ſententia, qua aerem ex bronchiis in venas pulmonales penetrare poſſe clari viri putarunt, non prorſus alienus eſt *Auctor* noſter. Venas pulmonales arteriis minores eſſe probat. De veſiculis pulmonalibus ita decernit, cum omnibus a ſe factis calidorum et frigidorum animalium inciſionibus conſentire, non in aliquam ſingularem ampullam quemque ramum bronchi terminari, ſed celluloſum opus in humano, perinde ut in canino pulmone, eſſe, cuius cavernulae imperfectae inter ſe libere communicent, donec aeris iter lobuli cuiusque vagina moretur, prohibeatque, ne is de lobulo in vicinum lobulum tranſeat. *Sect. III.* aeris natura et qualitates percenſentur, ſic ut *Illuſtr. Auctor* nihil ſibi proprium quidem dicat, attamen aeris hiſtoriam, qua ſpectare Medicum poteſt, plene ſummoque labore contextam exhibeat. *Sect. IV.* docetur reſpirationis ratio. Multum docti viri diſputarunt de anxietate ea, quae hominem urget, ſi aerem inſpiratum impedita exſpiratione reddere nequeat. Reiectis aliis opinionibus, *Illuſtris Hallerus* corruptionem aeris pulmonibus recepti cauſam eius anxietatis eſſe ex eo colligit, quod aer talis elaſtica ſua vi privatur, fines igitur bronchiorum dilatare non poteſt; quare vires pulmonem contrahentes rurſus agunt, veſiculas aereas comprimunt, et vaſa ſanguinea breviora reddunt; hinc ea in plicas ſe colligunt, ſibique incumbunt, fitque is ſtatus pulmonis, qui erat ante inſpirationem. In quo ſtatu cum ſanguis per pulmones circumire nequeat, novus vero ſanguis continuo a corde adveniat, neceſſe eſt eum in pulmone

mone congeri, congeſtumque anxietatem ſummam creare. Poſt hanc alia, nec minus celebris attingitur quaeſtio, ea ſcilicet quae de cauſa neceſſitatis agitatur, qua exſpiratio poſt inſpirationem ſequitur. Mechanicam neceſſitatem multi clari viri anhelarunt. Sed horum opiniones parvi facit, et ad voluntatem animique imperium recurrit illuſtris *Hallerus*. Cum enim reſpiratio haud dubie voluntaria ſit, regitur, ut ea omnia, quae voluntati obſequuntur, voluptate et dolore. Doloris, et quidem minime tolerabilis, genus eſt anxietas. Anxietatem homo percipit, cui ſufflaminatur exſpiratio; exſpirat igitur eodem modo, uti ſternutat, faeces deponit, et urinam egerit, ut intolerabili incommodo ſe liberet. Ad vires, quibus exſpiratio perficitur, duplex poteſtas ſeſe contrahendi pulmonum ſubſtantiae adſcribitur: altera naturalis ea contractio, qua quaeque fibra animalis pollet; altera muſcularis, fibris carneis inſidens, iis quidem maxime, quae pulmonem undique decurtant, cum bronchiorum longitudinem ſequantur, atque adeo ab omni ambitu ſuperficiem viſceris verſus bronchi ingreſſum contrahant. Foetus, qui aerem non reſpiravit, pulmonem, ſi putredo acceſſerit, natare, ſibi perſuadere videtur vir eximius. Sed huic opinioni experimenta hic Lipſiae a magnis Medicis inſtituta repugnant. Allegat quidem teſtimonia doctorum hominum, quae, ſi fidem merentur, id a Viro ſummo poſtulare videntur, ut ipſe, qua eſt exquiſita diligentia et indefatigabili induſtria, experimenta capere velit. Momentum enim, quod ea res ad vitam hominum habet, nobis etiam tacentibus intelligit. De *Nixu* fere primus expoſuit *Hallerus*, eumque ita finit, eſſe diuturnam inſpirationem, et diaphragmatis maiorem deſcenſum, cum longa aeris detentione, dum interim muſculi abdominis una agentes vehementer exſpirationem moliuntur, neque ad affectum perducunt, quia diaphragma pari cum ipſis robore una laborat, et reſiſtit, ne in thoracem ſe repellant; glottis vero accurate clauditur. *Sect. V.* reſpirationis utilitas proponitur, ac primo quidem diſquiritur, unde ſit reſpirationis neceſſitas. Quod notum illud

Digitized by Google

illud problema Harveianum eſt, varie a doctis viris tentatum, videlicet ſi ita concipitur, cur foetus, qui mediis in aquis vixerat, nunc vero in aerem liberum expoſitus hiat, aeremque captat, continuo pereat, quam primum aeris uſu privatur. Ita autem id ſolvit vir eximius, ut miraculum ipſum molliat extenuetque; non enim tam ſubitam neceſſitatem reſpirationis urgere, niſi animal iam ſat diu et ſic aerem duxerit, ut vaſa pulmonum, hique adeo ipſi, plane explicata ſint. Hoc niſi ſit factum, animal, ſuppreſſa licet reſpiratione, aliquamdiu vivere. Primae autem reſpirationis neceſſitatem, et quam ob rem omnia tum animantia, tum vegetantia, aere indigeant, non ſatis luculenter explicari poſſe fatetur; quamvis de hac etiam quaeſtione non parum multa utilia dicat. Nobilem controverſiam illam, intretne aer re ipſa in vaſa et ſuccos animalium, ita explicat, ut certi quid, et quod ad ſuſtinendam vitam neceſſario requiratur, ex aere in ſanguinem omnesque partes corporis venire haud neget; aerem vero elaſticum in ſanguine reperiri non concedat. Negat porro, pulmonem ad refrigerium factum eſſe. De addenſatione ſanguinis per pulmonum aerisque actionem dubitanter ſcribit. *Liber nonus* diſputationem de voce et loquela complectitur, et *Sect. I.* quidem de voce, *Sect. II.* vero de loquela diſſeritur, eadem omnino diligentia, eruditionis et multifariae lectionis copia, ut neminem ex Medicis fore credamus, quin operis abſolutionem quadam impatientia nobiscum expetat exſpectetque.

IOH. ALBERTI EULERI

Acad. Berolin. Meditationes de motu vertiginis Planetarum, ac praecipue Veneris, ab Academia Petropolitana die VI. Septembris 1760. in conventu publico praemio affectae.

Petropoli typ. Acad. Scientiarum, 1760. in 4ta forma, pl. 48. cum duabus tab. aen.

Inter

Inter difficiliores in praxi aeque ac in theoria aſtronomica quaeſtiones merito refertur ea, quae motum Planetarum circa axes concernit. Solius enim telluris noſtrae vertiginis motum adhuc certo cognoſcimus: partim quia eius ratio in omnium coeleſtium corporum motu apparente cernitur; partim quia iſte telluris motus cognitu eſt facilis, quod non ſolum uniformiter peragitur, ſed etiam axis, circa quem revolvitur, perpetuo fere ſibi manet parallelus. Quodſi e contrario motus iſte vel non eſſet uniformis, vel axis multas et magnas titubationes pateretur, vix etiam nunc perſpectam eius cognitionem haberemus. Uniformis enim ille motus ita Aſtronomiae totius fundamentum conſtituit, ut ei certa temporis menſura unice innitatur. Cum itaque Aſtronomi ad determinandum reliquorum planetarum motum circa axes progreſſi ſunt, hanc, quae in noſtra tellure locum habet, hypotheſin ſupponebant, eique omnes, quas ex obſervationibus deduxerant, concluſiones ſuas inaedificarunt. Ipſa vero poſt obſervata axis telluris noſtrae titubatio, Lunae libratio, ac diſſenſus concluſionum, quas ſummi Aſtronomi ex obſervationibus ſuis elicuerant, graviſſimas ſuppeditant cauſas dubitandi, an hypotheſis haec ſit veritati conſentanea, ipſius adeo quaeſtionis difficultatem ſatis declarant. Academia itaque Scientiarum Petropolitana, cui augmenta Aſtronomiae potiſſimum curae cordique ſunt, ut diligentiam Aſtronomorum excitaret, in annum 1757. quaeſtionem: Motus diurnos planetarum circa axes proprios, imprimis Veneris vertiginem, accuratius obſervare, et inconcuſſis obſervationibus, iisdemque novis, una cum poſitione aequatorum, demonſtrare ac definire, pro praemio propoſuit, ſperavitque, fore, ut anni antegreſſi 1756. ſiderum ſtatus iis amplam ſuppeditet opportunitatem, neceſſarias obſervationes inſtituendi, arduumque problema ſolvendi. At fefellit ſpem eventus, nunciatumque eſt, nusquam locorum in Europa quibus Aſtronomi celeberrimi obſervandis coeli phaenomenis incumbunt, neque in ipſa Italia, quae faventiſſimo utitur coelo, obſervationes capi potuiſſe. Quamvis vero non licuit

Digitized by Google

Aſtronomis, ea, quam Academia praeſcripſerat, ratione, quaeſtionem propoſitam reſolvere: tamen eam non plane intractatam reliquerunt bene multi, et quam ex obſervationibus non poterant, ex theoria definire ſtuduerunt. Omnium vero diligentiam et ſubtilitatem vicit, palmamque praeripuit Cl. Eulerus, qui argumentum tam mirifica arte pertractavit, ut omnia quae ad motum vertiginis corporum in genere, ac in primis coeleſtium, pertinent, ex primis iisque indubitatis Mechanices principiis derivavit. Dignus itaque iudicatus ab Academia illuſtri, cui praemium cum inſigni laudum praefatione adiudicaretur. In ipſa tractatione, ut breviſſimis momenta admodum memorabilis ſcripti indicemus, Auctor clariſſimus primum monet, caput rei huc redire, ut, centro gravitatis planetae ad quietem perducto, inquiratur, cuiusmodi motus is recipere queat, primo quidem dum a nullis viribus externis afficitur, tum vero etiam quantum ab huiusmodi viribus motus gyratorius iam inſitus perturbari poſſit. Oritur inde vel *motus gyratorius ſimplex*, ſi planeta circa eundem axem gyrari pergat; vel *vagus*, quando planeta circa alium aliumque axem gyratur. In ſimplici requiritur, ut vires centrifugae, quae in ſingulis elementis naſcuntur, ſe mutuo perfecte deſtruant; et, ſi circa *axem* aliquem pro dato corpore haec conditio locum habeat, iſtum Cl. Auctor *principalem* vocat. Primum nunc Iſte eiusmodi axes principales in quocunque corpore vi inertiae praedito inveſtigat, et ex inventa aequatione cubica docet, unum, ad minimum, axem principalem, per *centrum* gravitatis, vel, ſi malis, *inertiae* corporis tranſeuntem, in eo locum habere. Pergit deinde Cel. Auctor examinare II. motum gyratorium corporis circa axem quemcunque; III. motum vertiginis Planetarum, quatenus a nullis viribus externis ſollicitantur; IV. perturbationem motus vertiginis a viribus extraneis ortam; et tandem V. motum vertiginis lunae, ſingulare iſtud phaenomenon *librationis* oſtendentem, quod manifeſto actionem vis externae indicat.

CAROLI

Digitized by Google

CAROLI FERDINANDI HOMMELII, PROFESSOris Lipſienſis, Litteratura Iuris.

Lipſiae 1761. ap. Io. Wendlerum, Alph. 1. plagg. 6. in 8. accedunt tabulae aeneae 3.

Elegantem et iucundiſſimum indicamus librum iis, qui elegantioris Iurisprudentiae ſtudio ducantur, et qui non contenti iis tantummodo, quae πρὸς τ' ἄλφιτα, hiſtoriam quoque nobiliſſimae ſcientiae, fata et vitas Iuriſconſultorum, et optimos de quaque re libros cognoſcere cupiant. Nam cum multi veterem Iuris hiſtoriam expoſuerint, exponantque tot quotidie, ut non tam de paucitate, quam de multitudine librorum queri debeamus: recentiorem quoque doctiſſimus *Hommelius* tradendi conſilium cepit, et cum illa in Irnerio aut Cuiacio plerumque deſinat, quae poſt illa tempora fata experta ſit, quos cultores habuerit, ſimul exponendi. Diſpeſcuit vero totum opus in *duas* partes, quarum altera notitiam librorum exhibet, altera vitas Iuriſconſultorum habebit. Quemadmodum igitur hanc avide exſpectamus, ita de illa nunc dicemus, quae, licet bibliographica ſit, habet tamen varia alia, quae in altera non aptum locum occupare poterant. Sed totius operis deſcriptionem lectoribus ante oculos ponamus. *Prima* pars in duas Sectiones deſcripta eſt, quarum *prima* notitiam librorum tradit. Commemorantur igitur in *c. I.* libri claſſici Iuris naturalis et gentium: in *c. II.* libri claſſici iuris Civilis: in *c. III.* libri claſſici iuris Canonici, et utriusque iuris Theſauri: in *c. IV.* libri claſſici iuris Germanici: in *c. V.* libri claſſici iuris Feodalis: in *c. VI.* libri claſſici iuris Criminalis: in *c. VII.* libri claſſici iuris Publici: in *c. VIII.* libri claſſici Proceſſus iudicialis. Sectio *ſecunda* complectitur varia ad librorum auctorumque notitiam pertinentia, aliaque. Inde exponit *Hommelius* noſter in *c. IX.* de diſſertationibus Academicis, programmatibus, deductionibus, aliisque minoribus Iuriſconſultorum ſcriptis: in *c. X.* de libris raris: in *c. XI.* de libris damnatis: in *c. XII.* de inſolitis quorundam librorum titulis:

lis: in *c. XIII.* de libris Iuriſconſultorum poſthumis: in *c. XIV.* de variis ius docendi diſcendique methodis: in *c. XV.* de controverſiis Iuriſconſultorum: in *c. XVI.* de libris ſine parente, ſeu auctoribus innominatis et pſeudonymis: in *c. XVII.* de furtis litterariis Iuriſconſultorum, aliisque fraudibus: in *c. XVIII.* de Iureconſultis polygraphis et agraphis: in *c. XIX.* de variis ad Iureconſultos pertinentibus: in *c. XX.* de foeminis Iuris notitia imbutis: in *c. XXI.* de Societatibus Iureconſultorum litterariis, de Facultatibus iuridicis, et de Ordinario: in *c. XXII.* de diviſione Iuriſconſultorum in Principes, Nobiles, et Plebeios: in *c. XXIII.* de vitarum ſcriptoribus. His praemiſſa ſunt *Prolegomena* de re litteraria iuris in univerſum. Prolegomena abſolvuntur Sectionibus *ſeptem*. *Prima* exponuntur notae, quibus res litteraria iuris a vulgari hiſtoria iuris dignoſcitur: in *altera* dividitur hiſtoria litteraria in univerſalem, quae omnium librorum auctorumque notitiam exhibet; in ſingularem, quae unius tantum diſciplinae, aut unius gentis, unius ſeculi, unius Academiae auctores librosve commemorat; et in ſingulariſſimam, quae de uno tantum Iuriſconſulto, aut libri cuiusdam fatis agit. Ubi Auctor ſimul ſingulares natales libri Pauli Aerodii, *de patrio iure*, commemorat. In *tertia* recenſentur ſcriptores rei litterariae Iuris, inprimis Gottl. Stollius, (quem non dicit eo perveniſſe in hac civili ſapientia, ut de omnibus recte iudicare potuiſſet;) Bunemannus, Eiſenhartus, Io. Heumannus, et Ioſephus Aurelius de Ianuario, cuius *Reſpublica ICtorum* meritis laudibus ornatur, atque argumentum libri per plures paginas enarratur. In *quarta* agitur de Lipenii Bibliotheca Iuridica, cuius Lipſienſem editionem laudat quidem, ſed illud reprehendit, multis in locis alphabeticum ordinem collectores cum ſyſtematico perverſa ratione confudiſſe. Recenſetur etiam Bibliotheca Buderiana Struvii ſelecta, epitome quaſi maioris Lipeniani operis. In *quinta* diſſeritur de Soloeciſmis ICtorum litterariis, et hiſtoriam litterariam iuris ſtudioſo plane neceſſariam eſſe oſtenditur. Id quod exemplo triſti Iacobi Friderici Ludovici probat, qui

in

in ſua doctrina pandectarum, hac cognitione deſtitutus, ridiculos errores commiſit. Multa praeterea iucunda exempla commemorantur ignorantiae hiſtoriae iuris litterariae. In *ſexta* exponuntur varii modi Iuriſconſultorum notitiam acquirendi, ad quos praeter alios refert catalogos bibliothecarum, inprimis Maianſianae, relationes litterarias, diaria iuridica, et collectiones imaginum ICtorum; de quo inſtituto copioſe agit. In *octava* cautio proponitur, ne nimium temporis litteraturae tribuamus, aut auctorum librorumque notitiam rebus ipſis et ſolidiori doctrinae anteponamus. Eos, qui titulos tantummodo librorum, editiones, et auctorum nomina recitare poſſint, appellat edaces ſine ingenio at humano tamen capite natas bipedesque tineas. „Poteram, paucis interiectis addit, profecto, ſi tale mihi propoſitum fuiſſet, ad ſtuporem usque litteratus videri. Nihil „hercules ea re facilius, utpote quae manus ſolas, ingenium „nullum poſcit. Has res dignitate eruditi hominis inferio„res qui ſcire cupiunt, ex librario quolibet obvio, aut, ſi „ille foras exierit, ex puero, qui tabernam claudit, aut Inſtitore requirant." Sed ad ipſum librum veniamus. In iuris igitur naturalis hiſtoria contexenda, *c. l.* primum nomina auctorum in iuris naturalis doctrina ponit; deinde de Ad. Frid. Glaſſei hiſtoria iuris Naturae exponit; denique Grotii, Puffendorſii, Hobbeſii, Schmauſii, ſuam denique, doctrinam recenſet. Inter Grotium et Puffendorſium eandem ait eſſe rationem, quae eſt inter Leibnitium et Wolfium, et hunc nihil aliud agere, quam ut illius doctrinam latius explicet. De Hobbeſio ita iudicat: „Non eſt alius mortalium, qui naturae regulas ſcrutetur, quam ille, profundius. „Eius demonſtrationes ad mathematicam exactitudinem ac„cedunt proxime." Et de libro de republica, quem Leviathan inſcripſit: „Hobbeſii autem principia, tametſi ſint „a Puffendorſii primis dogmatibus diverſiſſima, mirum ta„men eſt, utrosque in ipſis concluſionibus accuratiſſime con„venire. At Theologi tamen illa ſolent morſibus admodum „acerbis undique appetere, quos nihil curo. Nam iidem

„Puffendorfii ius naturae, cum primum appareret, alieniſſi„mum a chriſtiano cultu, et impium iudicaverunt quam ma„xime, quod cum nihil proficere poſſent, nunc etiam ve„nerantur et laudant.“ Denique doctiſſ. Auctor ſummam Schmauſſianae ſuaeque doctrinae exhibet; nempe, inſtinctus naturales iuſti et aequi radices eſſe. Tres vero huius doctrinae formavit regulas: I. Quicquid in omni animali reperitur, de hoc quin iuſtum ſit dubitari non poteſt, et refertur ad Ius naturale. II. Quicquid autem pro iuſto reputatur, neque tamen reperitur in beſtiis, illud non eſt iuris naturalis, ſed iuris Gentium. III. Quicquid neque ad ius naturae, neque ad ius gentium referri poteſt, attamen pro iuſto reputatur, illud omne ad ius Civile referas. „Ex his itaque „dictis in noſtro libello, addit, eo devenimus, ut inceſtum „natura nullum eſſe, gallo gallinaceo doctore, oſtendere„mus: neque iure gentium improbari, quod ad neminem „inde ulla redundat iniuria. Ergo ſtupra non violenta, nullo „iure, niſi civili, turpia eſſe; imo eum, qui non ſobolis pro„creandae, ſed libidinis extinguendae cauſa matrimonium „inierit, naturali quidem iure nullo modo peccare, propte„rea quod omne genus animalium in coitu, Veneris ſolius, „non prolis ſuſcipiendae rationem habet, nec ulla laeſio alio„rum ex eo oritur.“ In *Cap. II.* primum nomina elegantiorum ICtorum ponuntur: deinde de adminiculis diſcendi ius Romanum, lingua nimirum Graeca et Latina, de antiquitatibus iuris, faſtis conſularibus, notitia dignitatum utriusque Imperii, hiſtoria iuris in genere, et hiſtoria inſtitutorum civilium per ſingulas iuris materias ſpeciatim agitur: poſt indicantur fontes iuris civilis, ad quos leges XII. tabularum, corpus iuris, codex Theodoſianus, Baſilica, Theophilus et Harmenopulus, Novellae Iuliani latinae, nec non Graecus earum textus, leges Rhodiorum navales, et reliqua, pertinent; tum commemorantur commentarii in Inſtitutiones, Pandectas, Codicem, et Novellas, optimi, nec non compendia: denique enarrantur libri promiſcui melioris notae: Eckhardi hermeneutica, Wielingii Iurisprudentia

dentia reſtituta, Gothofredi quatuor fontes, Barboſae, Tuſchi, et Bertochii promtuaria, Cuiacii, Noodtii, et Merillii opera, Bynkershoekii Obſervationes, Alberti Iurisprudentia Medica, Leyſeri meditationes, et alii. De Heineccii Antiquitatibus Iuris iudicat Vir Cl. „Quasdam materias iuſto pro„lixius, alias contra multo, quam par eſt, conciſius tractat. „Quanquam eo libro Heineccius ſibi gradum honoris, et apud „Batavos famam, comparaverit, tamen meo iudicio inter „caetera eius ſcripta levisſimum videtur, rel.“ De Brunnemanni commentario in Codicem dicit: „ſingulas leges inter„pretatur, neque tamen grammatice ſenſum legis, quem ſae„pius ne vidit quidem, ſed eius potius applicationem et „uſum fori oſtendit; neque hominem nominaſſem, niſi „quaedam eſſet his temporibus in foro eius auctoritas.“ De Chriſt. Frid. Eckhardi Hermeneutica Iuris, ed. Ienae a. 1750. ſic pronuntiat: „Non ſenſit Academia Ienenſis, immo Ger„mania univerſa, vulnus, Eckhardi praematura morte, hoc ſe„culo gravius. Novimus, quid ei ars diplomatica, et bo„nae litterae debeant etc.“ et de Bynkershoekii Obſervationibus: „in quibus criticum, ut tempora fuerunt, mox „audaciorem, mox timidiorem, ubique autem ingenio plus „quam par eſt confidentem, agit. Auctorem vix alium novi, „cuius lectio iudicandi vim magis acuat, inprimis ſi quis „ſubtiliter eius inventa ad rationis normam exigere, et pro„babilia a perquam coniectis diiudicare velit. Genere di„cendi utitur ſuo, neque tamen fluido, ſed aſperiore et „conciſo.“ Iucundiſſima vero ſunt, nec ſine riſu legi poſſunt exempla feſtiviſſima, quae ex Io. Bunonis Memoriali Inſtitutionum Iuris, Ratzeburgi A. 1672. edito, profert. Sed proferamus pedem ad *cap. III.* Hic, ut in prioribus, primum nomina claſſicorum auctorum in Iure Canonico enarrantur: tum adminicula addiſcendi illius, nempe hiſtoria Chriſtianae religionis, cognitio rituum Iudaicorum et Chriſtianorum, antiquitates eccleſiaſticae, et iuris canonici hiſtoria, explicantur: poſt recenſentur fontes, corpus Iuris Canonici, Conciliorum et Canonum collectiones Gratiano antiquiores, Bul-

larium

larium magnum: hinc commemorantur meliores commentarii in Decretum, Decretales, Clementinas, Extravagantes, et Lancelloti Inſtitutiones: dein compendia iuris Canonici probatisſima, et alii praeſtantiores libri, ut Puffendorfius de habitu religionis ad ſtatum, Cironii obſervationes, Strauchii Amoenitates, Petri de Marca Concordia ſacerdotii et imperii etc. laudantur: denique recenſentur Theſauri iuris utriusque, Ottonis et Meermanni, atque Tractatus Tractatuum. In hoc capite praecipue notatu ſunt digna, quae a p. 93. usque ad p. 98. de caeremoniis ethnicae religionis a Chriſtianis receptis docte diſputantur. De notis Ziegleri et Thomaſii in Lancelloti Inſtitutiones p. 103. hoc A. iudicium fert: „Habent hoc Zieglerus et Thomaſius commune vi„tium, ut non tam eleganter ius pontificium interpretentur, „quam potius naevos eius aperire ſtudeant, neque tamen „erudite ſatis; unde non ſolum Romanis, verum etiam do„ctis Proteſtantibus, ſe multis in locis praebuerunt deriſui, „licet negandum non ſit, hinc inde etiam notulas ſatis bo„nas obvenire." Quae inde usque a p. 108. de Tractatu Tractatuum dicuntur, et excerpuntur, ſuavia ſunt, quibusque non poteſt non animus lectoris exhilarari et recreari. *Cap. IV.* habet Ius Germanicum privatum. De eo quidem iure Germanico, quod vulgo iurisprudentia Romano-Germanica appellatur, libere iudicat Vir acutisſimus, illiusque rationem minus ſibi probari dicit. Miſeram ait eſſe conditionem Germaniae noſtrae, quae tot contraria et ſibi inimica iura, e tot diverſis fontibus derivata, in unum caput coegerit: appellandam eſſe hanc farraginem Iurisprudentiam Natura-Canonico-Romano-Longobardico-Moſaico-Germanicam: „immo, ait, non variegatus Iohannis Farciminis, ex„cellentisſimi Germanorum morionis, cucullus, magis diſ„color aut riſui movendo aptior illo legum in Germania re„ceptarum turpisſimo centone." Addidit etiam imaginem aere expreſſam, qua hanc confuſionem adumbravit, ſimilem illam mulieri Horatianae, quae deſinit in piſcem formoſa ſuperne. His expoſitis, nomina Iuris Germanici conſultisſimo-

rum

rum ponuntur: tum indicantur adminicula, atque de Cangii, Haltauſii, et Wachteri Gloſſariis agitur. Sequitur index fontium Iuris, ad quos Vir Cl. refert Tacitum, Georgiſchii Corpus Iuris Germanici, Wilkinſii leges Anglicanas. Qua occaſione recenſentur etiam libri alii, ut ille, quem dicunt *Kayſer - Recht*, Speculum Saxonicum et Suevicum, Weichbildum, Receſſus Imperii, Statutorum Collectiones. Tum commemorantur Beyeri, Heineccii, Engavii, Elementa, et denique libri promiſcui: Schilteri Exercitationes, Gieſeberti Iuſtinianus Harmonicus, Heumanni Ius Politiae, etc. *Cap. V.* complectitur ius Feodale, ubi, ut in prioribus, recenſitis Feodiſtis celeberrimis, Senckenbergii et Lünigii corpora Iuris Feodalis commemorantur; iuris huius clientelaris adminicula indicantur; commentarius Bitſchianus et Schilterianus laudantur; Struvii, Roſenthalii, et Schraderi Syſtemata, atque Maſcovii compendium recenſentur; iudiciumque de Ienichenii Theſauro fertur. De Bitſchio ſic iudicat noſter: „Eſt Bitſchius in hoc iure qualis in ſcena Ro„ſcius, aut in iure civili Cuiacius. Ergo is nunquam falſa „docet? Inepta concluſio, quaſi vero non ipſe Cuiacius fal„lat:" de Ienichenii autem Theſauro ſic: eum neque pulcherrimum dicendum eſſe, neque peſſimum. In *Cap. VI.* quod ius Criminale exhibet, nomina iuris criminalis peritiſſimorum, hiſtoria huius iuris, eiusque adminicula, fontes, commentatores optimi, Antonius Mathaei et Kreſſius, Engavii Elementa, recenſentur, commemoratis Carpzovii Practica rerum criminalium, et Doepleri Theatro Poenarum, qui liber Auctori parum probatur. *Cap. VII.* traditur ius Imperii publicum. Hic primum narratur hiſtoria huius iuris, et nomina eorum, qui publicarum in Germania legum peritiſſimi habentur: tum quoad adminicula Germanorum inprimis hiſtoria commendatur, in eaque Struvius excelluiſſe dicitur: deinde de fontibus huius diſciplinae agitur, ubi Auctor non omnes attingit, ſed tantum Auream Bullam, Inſtrumentum pacis Weſtphalicae, et Capitulationes. Diſſeritur etiam de Schmauſii Corpore Iuris publici, et Lünigii

Reichs-Archiv, atque de Struvii, Moſeri et Maſcovii, Syſtematibus. His adiunguntur reliqua huc pertinentia ſcripta: Müldneri et Koenigii Capitulatio Harmonica, Pfeffingeri Vitriarius illuſtratus, Glaſſei hiſtoria Germaniae Polemica, Boehmeri introductio in ius publicum univerſale. Notabilia nobis videntur, quae Cl. Hommelius de Petri Ludewigii illuſtrationibus Aureae Bullae dicit: „hic, ait, multa more „ſuo ſubinde comminiſcitur, atque novarum opinionum por„tenta non raro veris miſcet. Itaque timide et diffidenter „legendum cenſeo, etiam in iis rebus, quas nulli dubitationi „ſubiectas arbitramur. Etenim *Quicunque turpi fraude ſemel* „*innotuit, Etiam ſi verum dicit, amittit fidem.*“ De Io. Iacobo Moſero autem dicit, eum ſub ſigno Veneris natum eſſe, ſub quo qui natus, ex Manilii ſententia, *ſcriptor erit velox*. *Cap. VIII.* exhibet proceſſum iudicialem. Primo loco exhibetur hiſtoria Proceſſus Saxonici, quam paucis verbis repetemus. Scilicet, inde a tempore Caroli M. usque ad a. 1430. proceſſus in Germania fuit eiusmodi, qualis in *Landrecht* et *Lehnrecht Richtſteige* deſcribitur. Ab eo tempore in Germanicum forum proceſſus Italici forma translata fuit, Tancredo et Durando regnantibus, usque ad a. 1495. Hoc anno Camerale fuit iudicium inſtitutum, cuius ordinationem omnes Germaniae principes ſuis moribus iunxerunt: ſed a. 1572. ordo iudiciorum prima parte Conſtitutionum Electoris Auguſti in meliorem formam fuit transductus. Tum a. 1622. ordinationem proceſſus veterem edidit Iohannes Georgius I. et denique a. 1724. Fridericus Auguſtus I. novam ſanxit fori ordinationem. Atque haec quidem omnia copioſiſſime ab Auctore enarrantur, variaque de antiquarum legum conditoribus diſputantur. Iucunda ſunt quae de Iacobi Ayreri proceſſu Satanae contra Chriſtum, et ſimilibus hominum otioſorum et male ingenioſorum libris, dicuntur. Ultimo loco Gribneri, Ferdinandi Auguſti Hommelii, meritiſſimi ſenis, Wernheri, Volckmanni, et Pittavali libri, qui hanc materiam illuſtrant, recenſentur. Quae de Volckmanno Auctor iudicat, veriſſima ſunt: „Scribas non ſemel

„pue-

Digitized by Google

„pueroſque, in colorata veſte lecticam domini ſecutos, is li-„ber cauſarum patronos fecit, immo iudices univerſo muni-„cipio venerabiles, licet illi litterarum eſſent ceteroquin „ignari omnium, et peſſime cordati. Ob hanc cauſam Volck-„mannianum opus ſoleo omnium potentiſſimum, ipſum au-„tem auctorem libri ducem magnificum et vervecem ſecta-„rium dicere.“ Graviter etiam et vere queritur de Cyclopibus, ut ait, res graves ſuavi ore negantibus tractari poſſe, neque ore humano loquentibus, ſed ferino latrantibus; dein vehementer ad imitationem Pitavalianae elegantiae cauſarum patronos adhortatur. Haec de Sectione *prima*. Accedamus ad *alteram*, quae varia et promiſcua continet. Inde in *Cap. IX.* agitur de diſſertationibus Academicis, programmatibus, orationibus, deductionibus, epiſtolis, aliisque minutis ICtorum ſcriptis, et optima colligendi illa ratione. *Cap. X.* exhibet libros Iurisprudentiae rariores. Commemoratis primum cauſis raritatis, ubi etiam obiter Auctor dicit, ſe, omnes et univerſos libros, in Lipenii bibliotheca enumeratos, quinque aut ſex millibus imperialium facile comparari poſſe, exploratum habere: atque huc referuntur Pandectae ex editione Taurelli, Haloandri Pandectae, Perraei edicta praetoria, editio prima Platinae de vitis Pontificum, Iunii Bruti Vindiciae contra tyrannos, et libellus, cui titulus; *Salomon et Marcolphus Iuſtiniano Gregoriani, h. e. Sapida et Inſipida; nimirum Theologica, Iuridica, Paradoxa, Hiſtorica, Politica, Poetica, Muſica; Proverbia, Soloeciſmi Grammatici etc. ex utroque iure collecta, auctore* Δ. X. Δ. qui liber Francofurti et Dreſdae a. 1678. editus, inconditus cento eſt, et ridicula quaedam atque abſurda ex corpore iuris et gloſſis collecta continet. Huc itidem referuntur, Hippolithi a Lapide de ratione ſtatus in imperio Germanico liber, cuius auctorem Noſter facit Bogislaum Philippum Chemnitium, natione Suecum. Quam quidem ſententiam iam fovit Conringius, qui in Conringianis p. 39. „ſub Hippolithi, ait, a Lapide nomine latet Boguslaus Philippus Chemnitius, Mar-„tini nepos, Hiſtoriographus Sueciae, olim centurio.“ Praeter

Digitized by Google

ter alios, quos tacemus, libros, rarioribus etiam adnumerat Petri Burmanni diſputationem inauguralem, de vectigalibus populi Romani, a. 1688. habitam, de qua veriſſime dicit: „illam diſputationem raram faciunt grammaticalia peccata, quae in iuventute, quis crederet? omnium Grammaticorum princeps graviſſima commiſit.“ In *Cap. XI.* agitur de libris ICtorum in indice expurgatorio damnatis, ubi primum quaeritur, an fas ſit ſupplicium de libris ſumere? et commemorato tempore, quo librorum cenſura orta ſit, libri a Pontifice damnati recenſentur, ut Philippi Decii Conſilium pro auctoritate Concilii generalis contra Papam, Duareni liber de SS. eccleſiae miniſteriis, Rittershuſii differentiae Iuris civilis et canonici, et quamplurimi alii. *Cap. XII.* habet inſolitos quorundam librorum titulos: quales ſunt Franc. Salgado de Samoza Labyrinthus creditorum concurrentium, qui quoniam de bonorum ceſſione agit, „neſcio, „ait Noſter, annon melius Roſarium Advocatorum inſcribi „potuiſſet:“ Maſſolae Triſmegiſtus legalis, Thomae Murneri Chartiludium Inſtitutionum etc. Sed lubet titulum ſatis ridiculum, licet longiusculum, huc adſcribere: ***Velitatio civilis ex ſalebroſo ſubſtitutionum tractatu, cuius fluctuantem cymbam, ſupremo proſperitante flatu, navarcho Henrico Davide Chunone, remigio publico ad veritatis portum propellere ſataget die ſecunda Aprilis Godofredus Reichmannus, Auctor et Reſpondens: Herbornae Naſſoviorum, a. 1650.*** In *Cap. XIII.* enarrantur libri ICtorum poſthumi, ut Iacobi Gothofredi commentarius in codicem Theodoſianum, Donelli commentariorum pars tertia, et complures alii. *Cap. XIV.* agitur de variis ius docendi diſcendique methodis. Monitis quibusdam de Hoperi, Coraſii, et Ehemii inſtitutis, notabilia haec verba adduntur: „dicam, quid mihi acciderit, cum primis „labris quondam legum doctrinam leviter deguſtaſſem; tunc „bene memini, frequenter me fere eadem, quae Heroſtratus, conſilia agitaſſe, nempe. ut incenſo univerſo iurisprudentiae templo, ſacrilegam inde mihi gloriam compararem: „ubi vero plenioribus iurisprudentiam hauſtibus plene imbi-

„biſſem,

„biſſem, atque eius ordinem omnino pervidiſſem, non ſine „pudore coepi hanc praecocem et puerilem meam ſapien„tiam ridere." Recordentur vero haec verba illi, qui Iuſtiniani methodo ſublata, in novo ordine excogitando, novaque ratione invenienda, ſibi acuti et ingenioſi videntur. Tum noſter de ſchola Ramiſtica exponit, de dichotomia, de methodo Connani, Lagi, Donelli, Gregorii Tholoſani, Vigelii, Althuſii, Vulteii, Leibnitii, Placcii, aliorum, denique de methodo mathematica et Heinecciana. De illa vere ſic iudicat: „Mihi vero illa nimia atque taedioſa ſubtilitas, cum „per inanes frivolorum atque futilium verborum circuitus „aliquid tandem extricant, de quo nemo dubitavit, e lon„ginquio ſordet. Quae enim, malum! veſania, res, quae „tribus verbis dici, et ſine ulla difficultate intelligi poterant, „per mille circuitus ſine fructu diducere, etc." *Cap. XV.* complectitur controverſias Iuriſconſultorum: ubi primum ex antiquioribus de Proculianis et Sabinianis, de Legiſtis et Decretiſtis, de Humaniſtis et Realiſtis, de ſectis Romanizantium et Germanizantium, ſive diſſidiis Facultatum iuridicarum cum Scabinatibus, de lite Principiſtarum cum Caeſareis, agitur, et deinde variae controverſiae enarrantur. Nos quidem tantum ſumma rerum capita repetimus, ponimusque nomina controverſiarum, de quibus praeclare et copioſe Cl. Auctor diſſerit. Habet igitur hoc caput controverſias Irnerii cum grammatico ſuper aſſis partibus: Martini cum Bulgaro: Bartoli cum Tigrino, de vera lectione L. 7. §. 2. ff. de diſtr. pign. Cuiacii cum Roberto et Hotomanno: Salmaſii cum ICtis, an in mutuo ſit alienatio: Iacobi Gothofredi et Salmaſii cum Sirmondo, de ſuburbicariis eccleſiis: Vulteii cum Riemero, utrum obligatio ad perſonas vel res deferenda? Grotii cum Seldeno, de mari libero: Taboris cum Conringio: Salmaſii cum Miltono, de iure civium in regem: Salmaſii cum Heraldo, ſuper teſtamenti ſubſcriptione: Carpzovii cum Eichelio, an poſſeſſio in heredes tranſeat? Hahnii cum Bornio, de ſpeciebus iuris in re: Puffendorfii cum Becmanno, Velthemio, aliisque

Digitized by Google

Zollii cum Zaunſchliſſero, an emtor conductorem expellere poſſit: Strykii cum Lynkero: Bynkershoekii cum Pagenſtechero, de auctore authenticorum: Strykii cum Beyero, de iure diei dominicae: Glaſſei cum Hillero, ſuper tutela pactitia: Kayſeri cum Menkenio, ſuper divortiis iure naturae licitis: Bynkershoekii cum Noodtio, de iure occidendi liberos: Brencmanni cum Schwarzio et Grandio, utrum omnia Pandectarum exemplaria e codice Florentino manaverint? Bilderbekii cum Lubbio, an nobilibus venatio in praediis ſuis ipſo iure competat? Ludewigii cum Gebauero, de ſucceſſione Clericorum in beneficia: Crameri cum Senkenbergio, de ſucceſſione foeminarum in beneficia, quibus renunciaverint: Bornii cum Magdeburgenſibus, ſuper Lipſienſi ſtapula: Hommelii cum Hombergio, de novellarum lingua: Baueri cum Boehmero, an ſimultanea inveſtitura ob neglectam renovationem amittatur? Pertſchii cum Barthelio, circa epiſcopale pallium. In hoc capite multa ſunt iucundiſſima lectu. Quam ſuavia ſunt, quae p. 239. ſeq. contra noſtrae aetatis realiſtas, (hoc enim nomen in deliciis habent,) diſputat! quam belle eorum imperitiam irridet et perſtringit! quam acute et docte de Novellarum Conſtitutionum Iuſtiniani lingua originaria diſſerit! Sententia vero, ut paucis rem complectamur, illius haec eſt. Putat nempe, a Iuſtiniano primum latine ſcriptas Novellas eſſe, deinde vero, ut omnia Iuſtiniani, translatas in Graecum, ita tamen, ut amiſſo primogenio eoque latino exemplari, ſola ſuperſtes manſerit graeca verſio, quae a Burgantione iterum facta fuerit latina, atque ideo illum, qui in iuris civilis corpus relatus eſt, latinum textum, meram eſſe verſionis verſionem. In *Cap. XVI.* primum commemorantur celebriores Iuriſconſulti anonymi, ut Hombergius zu Vach, Loger, Io. Niekampius, Franciſcus Ory, Dupinius, alii complures: et deinde pſeudonymi: denique, quo artificio hi detegi poſſint, oſtenditur. *Cap. XVII.* habet furta et fraudes litterarias Iuriſconſultorum. In catalogo Iuriſconſultorum de furto ſuſpectorum apparent Hotomannus, Bartholomaeus Chaſſanaeus, Auguſti-

guſtinus Barboſa, Bernardus Urſinus, Ioh. Wineus, impudentisſimus homo, et alii. Fuerunt enim omnia ſecula feracia talium hominum. His adiungit auctor aliud nebulonum genus, qui ſui ingenii foetus aliis adſcripſerint, eorumque ſub nomine ediderint. Ultimo loco recenſetur libellus Klotzii V. Cl. *Mores Eruditorum* inſcriptus, atque epiſtola quaedam excerpitur. *Cap. XVIII.* recenſet ICtos polygraphos et agraphos. In *Cap. XIX.* exponuntur varia, quae ad micrologiam litterariam pertinent. Inde prodeunt in medium Iurisconſulti medici, et ſacerdotes legum periti: mox Iurisconſulti in ſanctorum numerum relati: deinde Iurisconſulti ad Pontificatum Romanum evecti: tum ICti Romanae ecclesiae Cardinales et Archiepiſcopi: poſt Electores Imperii, qui Iuris Doctores fuerunt: quos ICti medici, philoſophi, mathematici, poetae, ex concubinis nati, caelibes, excipiunt. Ultimo loco adduntur varia de ridiculis Iuris peritorum elogiis, et ICtis homonymis. Docta ſunt et utilia, quae in hoc capite de numinibus ICtorum tutelaribus, et de iurisprudentia poetica dicuntur. In *Cap. XX.* foeminae iuris notitia imbutae producuntur, ut Themis, Egeria, Afrania, Hortenſia, Iulitta, Amaeſia Sentiarea. Plotiana, Bettina, Milancia, innominata Accurſii filia, Beltizia Gozadina, Marcia Proba, Theodora, Mathildis. Neque praeterit Auctor famoſam Cuiacii filiam, Suſannam, et Henrici Stephani coquam. In *Cap. XXI.* primum de oraculo Iuris, a Rothero Doctore compilato, noſter exponit: tum ad libros communi ſtudio ſcriptos tranſit: poſtea de Facultatibus Iuridicis agit, et titulum Ordinarii explicat. Originem quidem verbi Facultatis inde repetit, nempe quoniam Italiae quaedam civitates, earumque rectores, Paci Conſtantiae ſe Poteſtates ſuſcripſerint, eodem modo Facultatis nomen dignitatem quandam indicaſſe: haec in Academiis collegia videri ab Imperatore hunc honorem accepiſſe, reipublicae ſeu civitatis aemulum: ne tamen reipublicae omnino aequarentur, ſimilem quidem titulum, attamen paulisper diverſum Imperatores dediſſe. Denique, origine verbi Ordinarii evoluta, catalogus Ordinariorum

riorum Facultatis Iuridicae in Academia Lipſienſi contexitur. In *Cap. XXII.* primum Cl. Auctor in numerum ICtorum, qui adhuc vixerint, inquirit, eumque ad quindecim millia adſcendiſſe ſic probat: „Numera, ait, nomina Iurisconſulto„rum in indice Lipenii nominali, quod ipſe quidem feci. „Itaque, pergit, auctorum numero conſtituto, ex illo libel„lorum quodammodo operumque multitudo diiudicari po„terit. Licet enim non ſingulatim, neque tam curate, quam „ipſos auctores, numeraverim, ſed aeſtimaverim circiter: ta„men certum eſt, volumina, diſputationes, epiſtolas, libros „denique libelloſque omnes, uno numero comprehenſos, iam „ultra 200, 000. adſurgere." Tum de claſſibus agitur, in quas commodiſſime omnes ICti dividi poſſent. Optime quinque conſtitui poſſe dicit, atque ad primam eſſe referendos primae magnitudinis Iurisconſultos, ſive principes, ad alteram ſecundae magnitudinis, nobiliſſimos: ad tertiam nobiles, ad quartam plebeios, ad quintam capite cenſos, ſeu gregarios. *Cap. XXIII.* praecipuis auctoribus, qui vitas Iurisconſultorum ediderunt, recenſitis, vitia, biographis fere omnibus communia, recenſentur, et nomina Iurisconſultorum ſecundum ſeculorum ſeriem exhibentur. Haec eſt brevis delineatio Hommeliani operis, e quo maioremne utilitatem, an voluptatem capiat lector, neſcimus. Magna et diffuſa ubique apparet lectio, accurata optimorum librorum cognitio, elegantiſſimum in iudicando acumen, et ingenua in ſententiis dicendis libertas, multisque leporibus conſperſum, hilare, et ſuave dicendi genus.

Heinrich Chriſtian Freyherrns von Senckenberg, Kayſerl. Majeſt. würcklichen Reichshofraths, Gedancken von dem iederzeit lebhaften Gebrauche des uralten deutſchen bürgerlichen und Staatsrechts ꝛc.

i. e.

HENRICI CHRISTIANI L. B. de SENCKENBERG, S. Caeſ. Maieſt. Conſiliarii aulici imp. actualis, Meditationes de ſemper vigente obſervantia priſci germanici

civilis

civilis et publici iuris in ſubſequentibus Imperii legibus et conſuetudinibus, praeſertim in doctrinis de Regum electionibus et Archiducatibus. Ope Speculi Suevici, additorumque diplomatum hactenus ineditorum.

Francof. ad Moen. 1759. plagg. 22. in 8. cum fig. aen.

Opus hoc in quatuor capita partitus eſt celeberrimus Auctor. *Primum* inſcribit de odio priſcorum Germanorum erga ius romanum. *Secundum* de uſu iuris romani in Germania aetatis ſecutae et recentioris. *Tertium* de vigore iurium germanicorum collectionumque ab omni aevo ad noſtra usque tempora. *Quartum* de edendo Speculo Suevico, opere quodam magnae utilitatis. Singula haec ordine ſuo videbimus.

Cap. I. Maioribus noſtris, quando memoriam eorum accerſimus ultimam, leges romanas intolerabiles fuiſſe, conſtat inter alia ex clade Variana. Arminius enim, Princeps Cheruſcorum, Germanici populi, inſignem victoriam reportaverat de Quintilio Varo, quem Auguſtus Caeſar cum exercitu in Germaniam ablegaverat, civium libertati inſidiantem. Tum vero dura ſors exiit cauſarum patronis, quippe quos vario mulctabant cruciatu victores, ut cuidam etiam os conſuerit miles, reciſa lingua, quam manu tenens Germanus: tandem, inquit, vipera, deſine ſibilare. Sic parentatum eſt eo tempore advocatis, tanquam quisquiliis, et iuri romano in Germania. Nec maiori fere in iurisprudentiam ultramontanam favore duci ſolebant, quum proſpero armorum eventu in romanorum provincias, Galliam, Italiam, Britanniam, Hiſpaniam, Africam, effunderentur. Condiderunt potius collegeruntque ibi ſuas leges, quae tamen iam romani nonnihil ſpirant, ne bello ſubactorum ingeniis penitus abhorrerent. Senſim amiciores fiunt iuri romano, maxime chriſtiana religione caput efferente, ubi ſacerdotes immunitatibus ſuis invigilant, codice Theodoſiano et Iuſtinianeo. Loquimur de Germanorum ſedibus extra Germaniam mag-

Digitized by Google

nam ſeu liberam. Hic enim, in magna ſcilicet, e re publica non eſt viſum, mox in ſcripturam redigere conſuetudines, quia nihil earum obſervantiam turbabat. Quod ipſum effecit, ut ius romanum ſero cis Rhenum perſonuerit fora, nilque praeter mores patrios et pauxillum iuris ſcripti in tribunalibus fuerit auditum. Imo leges diſertis verbis latae abibant in ius tacitum, atque conſuetudinum numero cenſebantur, niſi confirmatae eſſent a novo quolibet Rege. Accedebant autem tractu temporis pontificiae ſanctiones, ſacerdotes magis magisque in partes ſuas vocabant ius civile, et Germani noſtri conſilium ceperunt, ſua quoque requirendi ſcita, et uni corpori conſuetudines inveteratas inferendi. Cui inſtituto, licet tempus collectionis lateat, ius caeſareum originem debet, vernaculo ſermone conſcriptum, et Conradi II. Imp. et aliquot aliorum leges continens, de quo uberius agitur in P. I. corp. iuris germ. literatiſſimi noſtri Auctoris, ubi iam exſtat. Si Speculum Suevicum ſpectes, poterit illius haberi continuatio, tradens quae ſunt domus regnatricis Hohenſtauficae, cuius memoriam in iure caeſareo fruſtra quaeſiveris. Auſpicatur a Conradi III. et Friderici I. legibus, id quod pariter fit in Speculo Saxonico. Unde non immerito divinaveris, utrumque illum librum eiusdem et unius aetatis eſſe. Concordant etiam plerumque in reliquis, abeunt in ius provinciale et feudale, novellas ſubiungunt conſonas ex conſtitutionibus Imperatorum poſt ſtirpis Suevicae exceſſum, imo vix unquam ab invicem diſſident. Et quid obſtat, quo minus credamus, ambo Specula iuſſu caeſareo coaluiſſe? Deeſt quidem teſtimonium eo nomine aſſervatum in annalibus, ſed non opus diplomate ſolenni fuit, potuit Caeſar iuſſiſſe ore tenus, ut colligerentur; ceu Carolus V. Imperator collectionem quandam Receſſuum imperialium Spirenſi Sculteto demandavit. Ius illud Suevicum et Saxonicum ſub Henrico VI. et Friderico II. Auguſtis iuris civilis aut ſecularis elogio iam celebratur, et Speculum Saxonicum paſſim ius Imperatorum chriſtianorum audit, ut anno MCCV. a Livonica gente diſcimus, quae ſacerdoti ſuo Alo-

brando

brando iurisdictionem quoque in negotiis civilibus iniungit ſecundum iura Imperatorum chriſtianorum. Quis vellet his iuribus romanum intelligere, quum eo nunquam penetrarit? Quis non Saxonicum potius, quod in hunc usque diem ibi floret. Speculum vero Suevicum denominationem hanc debet Imperatoribus familiae Suevicae, quibus clavum publicae rei tenentibus prodiit, ipſaque Germania omnis dicta eſt Suevia: quod poſtremum is minime mirabitur, qui norit, Germaniam ſub Carolingis Franciam, ſub Saxonibus Saxoniam, ſub Francis Regnum Francorum appellatam eſſe. Quod ad terras ſpectat, in quibus ius Speculis dixerunt, iuvabit praefationem codicis cuiusdam, ſeculo decimo quarto exarati, ex Ludevigii Tomo decimo reliquiarum manuſcr. in conſilium adhibere. Is primo teſtatur, Caeſaris electionem et conſenſum praeiviſſe Speculo Saxonico, et ordo iudiciarius, vulgo *Richtſteig*, ait Fridericum I. aut II. iuſſiſſe illius confectionem. Inſuper Brand a Tzerſtad, patricius Lunaeburgenſis, conſcripſit antiquitates iuris Germanici et Saxonici, et anno MCDXLII. clavem Saxonici iuris elementorum ordine, quae Lunaeburgi in curia ſenatoria adhuc conduntur; ibi annus MCLVIII. ut natalis Speculo Saxonico adiudicatur. Deinde regiones, in quibus regnat, ſequentem in modum commemorat: Poloniam, Bohemiam, Marcam Brandenburgicam, Saxoniam, terras Ducum, intellige Brunſuicenſes, Pomeranicas et Meklenburgicas, Weſtphaliam et Thuringiam, terras rhenanas, puta Comitatus Marcae, Bentheimenſes, Iuliacenſes, Clivicas, Geldricas et Batavas, inde ad vaſtum usque mare, ſcilicet Bremenſes, Holſaticas, ad mare Germanicum usque. Reliqua Germaniae, Helvetia comprehenſa, quatenus Alemanniae partem conſtituebat, addicere licebit Speculi Suevici iurisdictioni. Ubi tamen obſervari velimus quam maxime, tametſi ambo Specula vicem iuris communis obtinuerint, tamen nationes Germaniae interdum habuiſſe adhuc iura ſua domeſtica et peculiaria, pactoque tali ius Bavaricum, Lubecenſe, et alia cum illis ſtare potuiſſe et viguiſſe. Habebant praeterea Germani cum duo-

Digitized by Google

duobus illis Speculis alterum ius commune, caeſareum, tanquam antiquius, in promtu. Modus vero procedendi, et iis iuribus in foro utendi, hic fere fuit, ut verbi gratia in Saxonia litigantes fidem facerent iudici cauſae ſuae, Speculo Saxonico inſiſtentes, tanquam communi iuri, addentes robur quoddam et locum ex iure caeſareo, quam in rem exempla proſtant in adultum usque ſeculum decimum ſextum. Et haec credebantur ſufficere litibus coram tribunalibus dirimendis, nemo cogitabat de ſupplemento quodam iuris romani. Nihilo tamen ſecius hoc ipſum ſenſim penetrat in fora, miſcetur, quod incommodis multifariam viam aperit, iuri Germanico, tantamque adipiſcitur poteſtatem, ut ipſe Fridericus III. et Maximilianus I. Auguſti eam putarent nimiam, penitusque pellendam.

Cap. II. A principio ſtatim Auctor monet, ius romanum a ſe odio haberi nunquam, quum multis documentis in aprico ſit, ad occupationes ſuas principes illud pertinuiſſe. Eius valori, tanquam ſcriptae receptaeve conſuetudinis, nihil vult obverti. Docet porro, iuri Iuſtinianeo vix aliam contingere potuiſſe formam, quam nunc quidem haberet. Nam quod ad Inſtitutiones, acquieſcendum nobis eſſe in voluntate Imperatoris, utut ſit optabile, ut Triboniano ſociisque iniunxiſſet, plus impendere temporis rei ſatis bono ſuſceptae ordine, ſuperflua omittere, neceſſaria cuncta inſerere, ut commodum inde coactum eſſet legum breviarium. Nec reprehendendum autumat Iuſtinianum, quod Pandectas et Codicem ediidiſſet, quem utrumque librum, ex aliorum animo, uno volumine potius complecti, inque vulgus emittere potuiſſet. Nam priſca libertatis ſchemata retinenti fides a populo romano habenda erat, ſe vetere adhuc uti iure. Hinc edicti perpetui, hinc prudentum reſponſorum ratio habebatur, ita tamen, ut additionibus aut contractionibus novam ſortirentur faciem. Quum vero Imperatores nec ad praetores, nec ad Iureconſultos referri poſſent, ex eorum legibus aliud opus erat exprimendum, quod ordine, quoad eius fieri poſſet, adaequaret alterum; ideoque hinc Codex, inde

inde Pandectae ortum traxerunt. Quod vero Pontifices, methodum eandem ſecuti, Decretum, Decretales, ſextum Decretalium librum, Clementinas et Extravagantes dederint, alia ratione fulcitur, quam nunc non tangemus. Reſtant Novellae, quibus anteriora iura corrigebantur, ſupplebantur, aut prorſus abrogabantur, ut Novella CXV. factum eſt; quae quidem res copioſius, ſed difficilius quoque reddidit ius. Interea talis poteſtas Imperatori non poterat denegari, nec Senatus Conſtantinopoli tantae erat auctoritatis, qui contràdicere Caeſari valuiſſet. Praelocutionum ampullas, et verba ſesquipedalia, condonabimus ſpiritui orientali, geniove. Hi ſunt libri legum Iuſtinianearum, quos uno nomine corporis iuris hodie novimus adhuc. Is idem tamen titulus unde ſupervenerit, non aeque expeditum eſt, ni transſumtum dixeris ex illo iuris corpore, quod Longobardi ex legibus romanis ſtatim poſt Iuſtiniani tempora ſibi ſtatuerant, ut fructuoſius eo uterentur in tribunalibus, quodve Auctor noſter iam alia vice literatae reipublicae vulgavit. Sane Iuſtinianus ipſe opera ſua, quae nunquam in unum redegit volumen, tali titulo multo minus inſignivit, ſed tum videtur is ipſe transiiſſe in eadem, quum haec in Italiae foris triumpharent, libro Longobardico in exſilium acto. Pervenit itaque ad patres noſtros Corpus Iuſtinianei iuris. Pervenit ad nos ex Italia magna cum difficultate intellectionis, quum Graeci iam ab eo deflexiſſent, et neceſſitate adacti Baſilica ſua concinnius adornaſſent. Acceſſit ad nos cum gloſſa et interpretatione doctorum; quae res Germanorum ingenia, paucis in foro contenta, non poterat non mirifice turbare. Hinc multum interceſſit temporis, priusquam cum eo in gratiam redirent, eive faſces ſubmitterent. Ex anno MCXXX. clerici in eam curam incumbebant, Imperatorumque nonnulli favebant iuri romano. Nihilo tamen ſecius in civium commercium aegre adgregabatur, videturque nomine Graeci iuris aliquando citatum, quod exemplo anni MCLXXXI. illuſtratur. Nimirum Henricus et Wernerus fratres de Stechov, villam ſuam Borſendorp, iure emti venditi tradiderant monaſterio Portenſi

ſecundum ius Francicum. Poſtea tertius frater advena urget ſe Graecum eſſe, non Francum, et ideo acta omnia non conſtare, ſed irrita et nulla eſſe, quod forte ob abſentiam, aut minorem aetatem, ſecundum iuris civilis praecepta, reſtitutionem in integrum praetenderet. Forte is, qui Graecum ſe dicebat contra iure Francico utentes, in Italia commoratus, ſeque iure romano, quod, ob collectionis a Iuſtiniano factae originem, Conſtantinopolitanum ſeu Graecum erat, profeſſus fuerat ibi ſe vivere. Tam inſolito nomine leges romanae, et raro admodum, a diſceptantibus invocabantur. Longior dies eas nobis reddidit familiariores. Iam ſub Sigismundo Imperatore uſus quidam iuris romani, quod ad veniam aetatis et praecipua alia iura Caeſaris, invaleſcit, multo tamen cum labore usque ad Maximilianum I. Hoc imperante dicitur ius caeſareum et commune, quo nomine Germanicum quoque legum ſyſtema claret. Quae tamen res multum peperit confuſionis. Interea controverſiae liberatum eſt alea, ius illud Germanicum manſiſſe commune, romanum vero a maioribus noſtris in ſubſidium, id eſt tum, quum illud cauſae decidendae non ſufficeret, adhibitum fuiſſe. Anno MDXXXII. ſoli iuri romano denominatio iuris communis, aut caeſarei ſcripti, nondum competebat, ſed Receſſus Imperii et aliae LL. Germanicae, eodem nomine veniebant. Inter haec non deerant viri docti, qui aliquid induſtriae in eo collocarent, ut iuris romani interpretationes a doctoribus ſcriptae in linguam vernaculam transferrentur; quod iterum commixtioni utriusque iuris anſam dedit. Et quantae molis fuit ius repraeſentationis in obliqua linea, teſtamenta, tutelam maternam et teſtamentariam, pluraque alia ex iure romano Receſſibus Imperii inſerere, et civitate quaſi inter Germanos donare? Habemus itidem in conſtitutione criminali Caroli V. veſtigia iuris romani, aſt tam levia et fere obliterata iure Germanico, ut vix oculatiſſimo appareant. Supervenit ius canonicum, poſt reſtaurationem per Lutherum ſacrorum, Auguſtanae Confeſſioni addictis. Sed nunc diſputari coepit, utro potius ſtandum eſſet in foro, quodnam prae-

riperet

riperet alteri palmam, et ſic Germanica tantum non cuncta iura privabantur uſu ſuo et pondere. Praevaluit romanum, et diiudicandis civilibus, publicis, feudalibus cauſis, aut lege integra, aut legis argumento, inſerviit. Trahi coepit ad negotia omnino Germanica, tandemque Auſtraegae, mandata, iura retractus, pax publica, oppignorationes, communio bonorum inter coniuges, res militaris et forum bellicum, metalla, cambia, commercium, imo ipſa Caeſaris et Ordinum imperialium auctoritas, non niſi transalpino metienda erant modulo. Si quae confectae ſunt inter annos MDXL. et MDXC. ordinationes provinciales in Germania, dici ſane non poteſt quam anxia cautione, dum conflarentur, praeviſum ſit, ne nimium a iure romano deſciſcerent; unde emerſerunt quamplurimae LL. obſtantes, aut adeo tenebricoſae, ut Delio natatore opus habeant. Haec clades iuris Germanici quamvis ex multorum accidiſſet voto, quibus nihil dulcius demulcebat aures, quam triumphus a iure romano poſt tantam cantus victoriam; tamen nec paucos alios viciſſim male habuit. Propterea nominandi ſunt Ioh. Schneidewinus, Melchior Klingius, Ioh. Borcholten, Ioh. Thomas Cludius, qui conſuetudines Germanicas, ut exceptiones a regula iuris romani, inculcare non dubitabant, iisve ſcripta ſua locupletare, praecipue ſecundum uſum ſuperioris et inferioris Saxoniae. Eo pacto natus eſt uſus modernus iuris romani, perperam adaptatis licet vocabulis, quippe rem recte putantibus dici poterat uſus contra ius romanum, non vero modernus iuris romani, meliusve conſultum eſſet cauſae, ſi fundus conſtitueretur Germanicum ius, additis obſervationibus ex romano, tanquam conſuetudine nova contraria. Henricus Bocerus primus videtur fuiſſe ex iis, qui recitationibus ſuis civilium legum Germanicas quoque, tanquam perpetuum uſum contrarium, inſperſerint. Secuti ſunt Beſoldus, Lauterbachius, Zoeſius, et plures, rati, conſilio tali ſe ſubvenire civitati. At quis putaſſet, rebus ſic ſtantibus, novam Germanicae iurisprudentiae incubuiſſe tempeſtatem? Erat haec, quod nemo extra Saxoniam ius Germanicum ex

fon-

Digitized by Google

fontibus ſuis haurire geſtiebat. Crevit potius immenſum ſtudium hiſtoriae civilis iuridicae, auctisve Iurisconſultis humanioribus, augebatur inſectatio quaedam legum priſcarum, quas ne ipſe quidem Iuſtinianus curaverat, domeſtica vero noſtro ipſorum detrimento iacuerunt.

Cap. III. Antequam ius romanum Germanorum tribunalia uſu caperet, habebamus conſuetudines noſtras, utcunque tandem digeſtas nomine legis Salicae, Ripuariorum, Alemannorum, Boioariorum, edicti Gothici, legum Viſigothorum, Saxonum, Werinorum, Longobardorum, Capitularium; idque genus plura ex Anglorum, Suecorum, Danorumque moribus repeti poſſent. Quumque pars Teutonum ex maris Caſpici vicinia inundarit Germaniam, forte a Tartaris, morum veterum tenacibus, quaedam diſci poſſent, quibus eniterent noſtra. Neque eſt quod dicas, obſoleta ſaepenumero et inutilia occurrere vendique emacibus. Nihil potius ex iis, licet vetuſtiſſimis, pro derelicto habendum eſt, quippe ſemper aliquid lucis adfert noſtrae rei, et analogiae iuris Germanici inſervit. Enimvero nunc ſubſiſtimus circa illa tempora, quae legum noſtrarum codices pararunt. Tum nihil romani interſtrepuit, usque ad Carolum IV. praeterquam in crimine maieſtatis, quod coercuerunt ſecundum romanam legem. Specula, Saxonicum et Suevicum, ſub Friderico I. collecta ſunt, manſeruntque ius commune usque ad Maximiliani I. obitum, quod variis diplomatibus probari poteſt. Et in ordinatione camerali de anno MCDXCV. et MDLV. nomine iuris communis Germanicum quoque comprehenditur. Neque obmutuit in tribunalibus Imperii ſummis et inferioribus, gliſcente romano. Sique ſalubria nonnulla ex hoc diſertis verbis introducenda videbantur, id ipſum multa fiebat cum contentione, antequam auctoritate legali gauderent: quemadmodum anno MDXLV. civitas imperialis Francofurtum allaborabat, ut tutores abſtinerent ab arbitrio, pupillorum alienandi fundos, ex mente iuris romani. Ipſi huius iuris doctores incaſſum dabant operam, Germanico vim quandam inferendi, quod ex publico praeſertim

ſertim Imperii iure conſtat. Hinc doctrina eorum de poteſtate Caeſaris abſoluta ſecundum ius civile; de lege regia, quam affingebant capitulationi caeſareae; de praefectis praetorio, quorum nomine cenſebant Electores; de praeſidibus provinciae, quibus reliquos Imperii Principes aequiparabant; de Comitibus romanis, quibus Imperii noſtri Comites putabant pares; de iure romano in ſucceſſionibus illuſtrium obſervando, loco ſuo mox movebatur exulabatque. Potius Comes provincialis Ludovicus Fidelis Haſſo-Darmſtadienſis, Gieſſae, et Princeps Holſatico-Schaumburgicus, Rintelae, iubebant, praelectiones haberi in utrumque Speculum. Quanto minus igitur iuri romano valoris dare poterant in publico Imperii, tanto acrius pro eo militabant in privato; quod tamen non obſtitit, quin eidem ſeculo decimo ſexto et ſeptimo quaeſtio ſtatus, ut aiunt, mota fuerit. Kulpiſius et Thomaſius adeo dubitarunt, an romano iuri nomen communis impertiendum ſit in Germania; quae ſententia quibusdam quoque Batavorum arriſerat. Cura Iohannis Schilteri laetius renatum eſt ius Alemannicum ſeu Speculum Suevicum, et Auctor noſter reſtituit ius caeſareum cum aliis iuris Germanici praeclaris monumentis. Poſt Schilterum laudabili ſtudio multa prodierunt ſyſtemata Iurisprudentiae Teutonicae, cui nec antea obeſt, quod iureconſulti tacuerint leges noſtrates, rem tamen ipſam ſervantes. Et ii, qui hodie iisdem adverſantur, et bellum quaſi indicunt, laborant praeiudicatis plerumque opinionibus, et inani ducuntur conſilio, ut Ludevigii exemplo docemur, Specula prementis, quod eius ſcitis de ſeptem provinciis et Archiprincipibus non reſponderent. Alii, melius ſubducta ratione ad ſentiendum, lubenter uſi eſſent Speculis, ſi ea intellexiſſent ob priſcum idioma, et propter plura hodie obſcura ibi regnantia: verbi gratia, quando Speculum Suevicum ait, Regem uti Francorum iure, quod p. 105. ab A. explicatur, et uſu quotidiano defenditur. Similiter Aurea Bulla Caroli IV. confirmat ſeptenarium Electorum numerum: ſed dum id facit, ſequitur Speculum Suevicum, quod iam Moguntino, Trevirenſi, Colonienſi, Pa-

Digitized by Google

latino, Saxoni, Brandenburgico, Bohemo, adſignat ius optandi Imperatorem, et tempore Friderici I. iam certus eſt Principum Electorum in Imperio numerus, iam certa ſunt eorundem archiofficia, ut Peucerus quoque adſtruere nullus haeſitavit. Sed haec omnia, noſtro iudicio, non niſi coniectura nituntur, ſi ipſa acta Friderici I. electionis inſpexeris, ubi Principes Regni, (qui potuerunt eſſe ſeptem Electores,) ceterique Proceres, cum totius populi favore, leguntur caput novum Imperio conſtituiſſe. Interea Auctor excitat loca quaedam de Principibus archipalatinis, de palatinis Archiducibus, de Electoribus, de Archiprincipibus teſtantia. Inprimis utitur eius cauſa diplomate, Auſtriacis anno MCLVI. a Friderico I. ſuper dignitate ducali dato, quod emendatiſſimum ex Sereniſſimae domus tabulario communicat, eoque merita ſua in rempublicam inſigniter auget. Hac occaſione ſimul veteres creandi Caeſaris et Archiofficialium rationes indagantur, oſtenditurque, tempore Carolingorum et Saxonum Regnum maxime fuiſſe hereditarium. Poſt Ottonis III. obitum Henricus II. quidem, domus eiusdem Saxonicae Princeps, ſed tamen iure electionis, capeſſivit Regnum, quandoquidem proximior conſanguinitate aderat Otto Dux Franconiae et Carinthiae. Suffragati ſenſim ſunt populi Germaniae. Poſt Henrici II. mortem duo Conradi per praetaxationem ad faſtigium imperiale propoſiti ſunt; quumque tres Archiepiſcopi elegiſſent Conradum Salicum, is acclamatus eſt ſtatim a reliquis Principibus et ab omni populo Rex. Eius vero filius, nepos et abnepos, potiſſimum iure ſanguinis ſucceſſerunt; tametſi iam anno MLXXIV, ut Bruno de bello Saxonico refert, Forchemii communi voluntate decretum eſſet, nemini regiam in Germania poteſtatem hereditate cedere debere. Mortuo Henrico V. id apparuit in Lothario Saxone, qui libera eligentium ſuffragatione vincebat Fridericum Sueviae Ducem. Henricus quidem VI. diu multumque id ſaxum volvebat, ut Regnum efficeret ſuae genti hereditarium, ſed oleum perdidit operamque. Quis eſt proinde qui dubitet, quin electio praevaluerit aliis modis

dis perveniendi ad noſtrum Regnum? Fiebat per Archiofficiales, qui, quod magnis praeeſſent provinciis, interdum reges dicebantur, unde honos Electoribus, quo Regibus aequiparantur, adhuc hodie durat. Archiofficialibus erant ſubofficiales, qui vicem illorum ſupplebant; his deficientibus officiales aulici, qui munia illorum occaſione ſic ferente ſubibant, ut Caroli IV. Aurea Bulla legaliter tradit, ſervaturque in hunc diem uſu. Archiofficia illa ad tres Archiepiſcopos iure perpetuo, et ad quatuor Principes ſeculares iure hereditario, devenerunt; licet, quo tempore id contigerit, de ſingulis exacte doceri nequeat. quod iuris publici caput multo eruditionis apparata exornatum p. 153. ſeqq. reperies. Sed revertimur ad Specula, eorumque iuridicum uſum. Sane modus praetaxandi, quo quidam Principum nominabant candidatos Imperio vacanti, quidam Imperatorem eligebant, quive ritus usque ad Rudolphi I. aetatem viguit, iam fundatur in Speculis. Quid? quod illa, quae Carolus IV. edicit in Aurea Bulla, quod ad locum electionis caeſareae, ſcilicet Francofurtum, quod ad iudicium palatinum in Caeſarem dubie ſatis, coronationem Aquisgrani, primam curiam Norimbergae ab Imperatore habendam, diffidationes, vicariatum, revocationem privilegiorum, inveſtituras imperiales, feloniam, conſpirationes, phalburgeros, et alia plura, iam praeſto ſunt in Speculo Suevico. Haec ergo repetit Caeſar, confirmat, et nonnunquam auget, tantique intereſt, noſſe accuratius Specula, tanquam fontes iuris noſtri hodierni.

Cap. IV. Hoc conſilio editurus eſt Auctor Speculum Suevicum, cum commentario continuo et gloſſario Hieronymi de Lahr, Doctoris Francofurtani, qui ſuperavit induſtriam et felicitatem conquirendi exempla vetera calamo exarata, eorum omnium, qui hactenus edendo illi legum libro ſunt operati, quo nomine nobis revera gratulamur.

Coronidis loco accedunt chartae quaedam, item ſupplementa in Lindenbrogii leges antiquas Wiſigothorum, ex codice

Digitized by Google

dice membranaceo; et Auctor in his omnibus tanquam iuris romani et germanici privati publicique peritiſſimus, hoc eſt, tanquam Aulicus Imperii Conſiliarius, haud exiguo prudentum commodo, egregie verſatur.

IO. FR. GRUNERI OPUSCULA AD ILLUSTRANdam Hiſtoriam Germaniae pertinentia.

Coburgi, ap. Io. Car. Findeiſen, VOL. I. 1760. plagg. 19. VOL. II. 1761. Alph. 1. in 8.

Conſilium cepit Vir Cl. hiſtoriam medii aevi patriae noſtrae illuſtrandae, atque, quibus illa implicita eſt, difficultates et tenebras diſpellendi dimovendique. In *prima* quidem horum Opuſculorum parte continentur diſſertationes *octo*, quarum argumenta recenſebimus paucis. Neque enim multis ea exponenda eſſe exiſtimamus, quae non ad multos pertinent. I. *De Henrici Raſpe, Landgravii Thuringiae et Comitis Palatini Saxoniae, in regem Romanorum electione, rebus in imperio geſtis, et vitae exitu, Exercitatio.* Nondum huius *Henrici*, Anticaeſaris, fata ita expoſita fuerunt, ut omnes partes optima poſitae eſſent in luce. Inde Auctor vitam illius contexuit, et tempus, quo natus mortuusque eſt, ſollerter indagavit. II. *De Electione Rudolphi I. Caeſaris Auguſti, Diſſertatio.* Eſt hiſtorica vitae *Rudolphi* expoſitio, atque diſputatio de die, quo *Rudolphus* rex deſignatus ſit. III. *De Henrici minoris, adverſus Ottonem II. Imp. rebellantis, genere.* Evincere ſtudet noſter, *Henricum* hunc non *Bertholdum*, Bavariae ducem, patrem habuiſſe, quod vulgo traditur; et contra varias obiectiones vindicat narrationem Annaliſtae Saxonici, qui illum e *Bertholdo*, Marchione Norici, et *Eila*, filia *Lotharii*, Comitis *de Walbeck*, procreatum eſſe dicit. Fatetur etiam, et probat, fatorum *Henrici* Suinfurtenſis maximam partem cum *Henrici* minoris fatis adeo cohaerere, ut unius et eiusdem hominis fata fuiſſe non levis

levis inde conieſtura oriatur; quam rerum non levium conſpirationem, de genere *Henrici* inquirentibus, non contemnendam videri debere arbitratur. IV. *De Margaretha, Popponis XIII. Comitis de Henneberg filia, Conradi Comitis de Wildberg uxore, Obſervatio.* Probare nititur Auctor, patrem *Margarethae* fuiſſe *Popponem* XIII, qui ſe Comitem *de Straſe* nonnunquam in diplomatibus ſubſcripſit, caſtro, cuius rudera hodie conſpiciuntur in agro praefecturae Heldburgenſis, prope oppidum *Rodach*, alias *Rotha* dictum: eam vero natam eſſe altera *Popponis* uxore, *Iutta, Hermanni I.* Landgravii Thuringiae filia, *Theodorici* Afflicti, Marchionis Miſniae, vidua. V. *De Comitibus de Truhendingen, ducum Meraniae haeredibus.* VI. *Origines monaſterii Ordinis S. Benedicti in Bantz.* *Bantz*, ſive *Banth*, Ordinis S. Benedicti monaſterium, cis Moenum fluvium, inter Coburgum et Bambergam, ſitum in monte, origines ſuas ab *Alberada*, quam *Alberadin* etiam, et brevius *Bertam* vocant, illuſtri femina, A. repetit. Noſter igitur cum de genere illius, tum de exſtructo ab illa monaſterio, exponit. VII. *De inſtauratione Monaſterii Ordinis S. Benedicti in Bantz, facta per Ottonem S. Epiſcopum Bambergenſem.* Diſputatur in hac diſſertatione de *Rapotone*, Comite de *Wolfesbach;* exhibentur tum litterae inſtaurationis; et quoniam in iis *annua advocatorum ſervitia* nominantur, *quae de frumento cellario perſolvebantur*, quae illa fuerint, explicatur. VIII. *Faſciculus diplomatum hactenus non editorum.* Diplomata hic exhibentur novem, quorum indicem addemus. I. *Embrichonis*, Epiſcopi Herbipolenſis, confirmatio permutationis quorundam hominum cum *Poppone* Comite a. 1145. II. *Eberhardus*, Epiſcopus Babenbergenſis, fontem ſalis iuxta *Lindenowa* delegat ad altare beatae Mariae in *Lanckheim*, a. 1151. III. *Conradus* rex confirmat traditionem fontis ſalis iuxta vicum *Lindenowa*, factam ad altare b. Ma-

riae in *Lanckheim*, ab *Eberhardo* Epiſcopo Babenbergenſi a. 1152. IV. Conventio inter *Iringum*, Epiſcopum Herbipolenſem, et *Bertholdum*, Comitem de Henneberg, ad aſſiſtendum contra cives Herbipolenſes, pro 240. marcis argenti, a. 1265. V. *Bertholdus*, Comes de Henneberg, obligat *Henrico de Wachenhuſen*, villam *Germutheſheim*, molendinum in *Schwarza*, et feodum in *Lichenowe*, pro XX. marcis argenti, retrovenditionaliter, a. 1267. VI. *Rudolphus I.* Rom. Rex, *Eberhardo*, Comiti de Catzenelnbogen, quem ſibi et Imperio Caſtellanum ſive Caſtrenſem hominem in caſtro *Oppenheim* conquiſiverat, pro hoc D. marcas legalis argenti promittit, et pro . . varia bona obligat, libere iure feudalis pignoris poſſidenda, a. 1276. VII. *Otto*, Comes de Orlamunde, manſum et dimidium in *Taubeche*, et dimidium manſum in *Wallendorf*, appropriat Sanctimonialibus in *Obern Wimar*, a. 1279. VIII. *Ludovicus IV.* Imp. *Friderico de Truhendingen* facultatem concedit conſtruendi civitatem munitam in *Baunach*, atque dictae civitati eadem cum civitate *Bamberg* iura dat, a. 1328. IX. *Kaiſer Ludewig der IV. beſtätiget Graf Heinrichen von Truhendingen die Graf Friedrichen obiger maſſen ertheilte Freiheit, das Stadtrecht zu Baynach betreffend*, a. 1341. X. *Kaiſer Ludwigs IV. Diploma für Graf Heinrich zu Henneberg, über die Veſte oder das neue Hauſs zu Schweinfurth auf Söhne und Töchter*, a. 1346. XI. *Kaiſer Ludwigs IV. Verſicherung für Graf Heinrichen zu Henneberg auf 1000. Pfund Heller*, a. 1346. XII. *Boppo* et *Bertholdus*, Comites de Henneberg, confirmant *Hartungi* dicti *von der Eych* teſtamentum unius librae Hallenſium annui cenſus Collegio Sanctimonialium in *Troiſtat* de bonis ſuis ſolvendi, a. 1347. Singula horum diplomatum notulis illuſtrat Vir Clar.

Volumen *alterum* habet diſſertationes *tres*. I. *Antiquitates Coburgenſes*. In hac Auctor res Coburgenſes ab anti-

antiquiſſimis temporibus usque ad ea tempora deducit, quibus Coburgum ex Hennebergenſium ditione ad Brandenburgenſes pervenit. Ipſe vero fatetur, ſe opus aggreſſum eſſe, ob monumentorum penuriam admodum impeditum, ſeque in multis illud ſecutum, quod maxime probabile viſum ſit. Habet enim, recte addit, hoc hiſtoria, cum Germaniae noſtrae in univerſum, tum multo magis ſingularum eius civitatum, ut antiquiora tempora obſcuritate et tenebris, quibus quaſi involuta ſunt, plane liberari nequeant. Inde etiam Noſter ſatius duxit, opiniones aliorum de antiquiſſimis harum regionum incolis laudare, quam multa verba perdere. Huius generis diſquiſitiones, uti in univerſum admodum lubricas eſſe, ita inexplicabiles prope videri, ait, ubi de terris quaeſtio ſit, quae in populorum olim confiniis ſitae fuerint. Sed excerpi aliquid ex continuata hiſtoriae ſerie vix poteſt. II. *Res Hermanni II. Comitis de Henneberg.* Plura Auctor iudicat poſt *Glaſeri* etiam et *Spangenbergii* diligentiam ſupereſſe in hiſtoria Hennebergica, nondum ſatis exculta: alia neglecta prope iacere. Dignam vero eſſe illuſtrem familiam, cum ob ſpectatam antiquitatem, ſummamque nobilitatem, tum propter multa atque eximia in Germaniam noſtram merita, cuius hiſtoria diligentiſſime pertractetur. Noſter in *Hermanno II.* periculum fecit, et eum de origine, tum de vita, denique et de rebus geſtis illius accurate expoſuit. III. *Faſciculus diplomatum hactenus non editorum.* En tibi eorum argumentum. I. *Ottonis*, Epiſcopi Babenbergenſis, confirmatio conditi a *Goteboldo*, et *Liutgarda* uxore, monaſterii *Veſſerae*, a. 1137. II. *Embriconis*, Epiſcopi Wirceburgenſis, confirmatio ſacrorum monaſterii *Veſſerae*, circa a. 1137. III. *Embricho*, Epiſcopus Wirceburgenſis, confirmat permutationem bonorum quorundam, factam cum monaſterio *Veſſera*, a. 1137. IV. *Godeboldi*, Comitis de Hennenberg, Concambium

cum

cum monaſterio *Fuldenſi*, a. 1141. V. *Imbriconis*, Epiſcopi Herbipolenſis, concambium cum *Poppone*, Comite de Henneberg, a. 1144. VI. *Conradi*, Abbatis Fuldenſis, concambium cum *Poppone*, Comite de Henneberg, de villis *Trohſtat*, *Sigehartes* etc. a. 1181. VII. *Hermanni*, Epiſcopi Monaſterienſis, litterae de dedicatione baſilicae in *Troſtatt*, et capellae beatorum apoſtolorum Ioannis et Andreae apud templum *Veſcere*, a. 1182. VIII. *Conradus*, Archiepiſcopus Moguntinus, monachis *Veſſerenſibus* permittit uſum ſuperpelliciorum, a. 1194. IX. *Poppo*, Comes de Henneberg, reſtituit monaſterio *Veſſerae*, quae per *Herdegenum* villicum ablata erant, a. 1212. X. *Conradi*, Praepoſiti eccleſiae *Veſſerenſis*, transactio cum eccleſia Sororum in *Franckenhauſen*, de bonis quibusdam in *Ettilleibin*, a. 1219. XI. *Hermanni*, Epiſcopi Herbipolenſis, reverſales de commiſſa ſibi et ſucceſſoribus ſuis defenſione et tutela bonorum monaſterii *Lanckheim*, ad curiam *Burckersdorff* pertinentium, a. 1226. XII. Compoſitio diſcordiarum inter *Hermannum*, Epiſcopum Herbipolenſem, ab una, et *Popponem* eiusque filios, *Henricum* et *Hermannum*, Comites Hennebergiae, ab altera parte, a. 1240.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Iulii Anno MDCCLXI.

IURISPRUDENTIA ANTIQUA, CONTINENS Opuſcula et Diſſertationes, quibus Leges Antiquae, praeſertim Moſaicae, Graecae, et Romanae, illuſtrantur, curante DANIELE FELLENBERG. TOMUS I.

Bernae, ſumtibus Societatis Litterariae, MDCCLX, apud Abrah. Wagner, filium, Alphab. 3. plagg. 14. quaternis.

Praeclari inſtituti, cuius nunc *Tomum Primum* indicamus, rationes, etſi quilibet Lectorum ex ipſo titulo poteſt cognoſcere; tamen digna eſt vaſti Operis, quod moliuntur Collectores, rei antiquariae et Iuris civilis potiſſimum commodo, claritas, quam penitius exponamus. Non poteſt hoc fieri exactius, quam ſi Editoris doctiſſimi Praefationem huc transſcribamus, atque deinceps, quid hoc Primo Volumine contineatur, commemoremus. Ita igitur FELLENBERGIUS, V. Cl.

„Quamvis Nomothesia, ſive illa ſtatum publicum ſpectet, ſive varia actionum privatarum genera regat, fortunae, innumerorumque affectuum humanorum, publicam utilitatem parum curantium, ſaepiſſime videatur eſſe ludibrium, multaeque adſint cauſſae, quae ſperare nos vetent, fore unquam, ut ſapientiſſimis legibus gens unaquaeque regatur: decet tamen inquirere, quaenam eae ſint, eſtque pulcherrima haec philoſophiae materies, ſapientum omnium digniſſima

ſtudio. Quodſi enim decretum eſt, ut ad maiorem felicitatis gradum mortales eſcendant, humana ratione nulla id fieri poterit, niſi ope Philoſophorum, qui praeiudicatarum opinionum diſcuſſis tenebris, legum omnium ad publicam felicitatem infelicitatemve habitus oſtendant, eaque ratione ad ſapientiorem nomotheſian viam ſternant.

Illa vero praeclara philoſophia non mirum quod vix adoleverit, cum nulla ſit neque ars, neque ſcientia, cuius perficiendae vera methodus non demum poſt innumerorum vanos labores patuerit, nullaque adeo veritas reperta eſſe videatur, ad quam per multiplicium ineptiarum ambages nobis non fuerit penetrandum.

Intellexerat quidem antiquae philoſophiae princeps ille et pater, in quo admirando vel negligendo, mira animorum converſione, modum nullum inſecuta aetas tenuiſſe videtur, intellexerat, inquam, Ariſtoteles, ad Politicam, ſive legum ferendarum perficiendam ſcientiam, accurata variarum nomotheſiarum cognitione opus eſſe, quam ipſi ſententiam ſediſſe patet ex Rhetor. L. I. c. 4. et ex praeclaro de Politica opere; luculentius vero conſtaret, ſi deſcriptio centum et quadraginta Politiarum, ab ipſo concinnata, aetatem tuliſſet. Placuit quoque haec methodus Theophraſto, aliisque antiquis Philoſophis, quorum ſi opera ſupereſſent, de rebus publicis atque legibus, quantum illi profecerint in politica, certioribus argumentis liqueret.

Plerorumque vero, qui poſt Ariſtotelem in hac doctrina fuerunt verſati, hic fuiſſe videtur primus error, haec princeps retardatae praeclariſſimae ſcientiae cauſſa, quod legum latarum ſcientiam plane neglexerint, praeceptaque in legibus ferendis obſervanda, non ex aſſidua vitae humanae, omnisque aevi hiſtoriarum inſpectione, ſed aut ex parvo exemplorum numero deduxerint, aut excogitaverint fallacis ope ingenii. Noſtrae itaque conditionis ignari, fictitiaque ſummae felicitatis deluſi imagine, non animadverterunt, et privatam, et publicam vitam moderantibus, eligenda ſemper mala minora, ut effugiantur maiora; cum vero mali eius-

dem

dem magnitudo ſive quantitas, intenſitatem vocant, pro vario populorum ſtatu diverſiſſima ſit, Politicorum munus praecipuum eſſe, exquirere matheſin illam malorum: ſed ad ſumma quaeque ambitioſe tendendo, dum nimia conſequi voluere, nihil obtinuiſſe videntur, et pauca contuliſſe ad eam nobis parandam felicitatem, quam in iſto humanarum ineptiarum regno poſſumus adſequi. Effinxerunt enim theoriam legum, aliquando ingenioſam quidem, at nimis generalem, neque ad ſingularum civitatum, quarum diverſiſſima conditio eſt, minuenda mala comparatam, errorem noxium aeque errantes, ac Medici, qui diverſiſſimos hominum morbos iisdem ſemper medicamentis ſuperare conantur.

Etſi vero Philoſophorum omnia ex ſe ipſis aranearum more texentium ſecta, dominetur adhuc in variis Europae partibus, multisque placeat philoſophia illa ſublimis, quae ſolo freta ingenio, nihil ſibi putat impervium, et veluti ex alto idearum generaliſſimarum faſtigio, hiſtoriarum omnis generis humilitatem deſpicit: noſtra tamen aetas, praeeunte Viro immortali, Praeſide de Montesquieu, intelligere coepit, Politicam, et morum univerſam doctrinam, eadem, qua rerum naturalium ſcientia fuit exculta, perficiendam eſſe ratione; unde conſequitur, quaenam ſit legum ferendarum ratio, ſtatui uniuscuiusque populi maxime accommodata, quales forma imperii, terrarum indoles, temperies coeli, aeque ac populorum ingenia mire variegata, innumerarumque denique circumſtantiarum varius ſemper concurſus ſuadeat leges, ſola legum latarum obſervatione, earumque obſervationum accurata comparatione erui poſſe, indeque deduci vera nomotheſiae principia, quae eo erunt magis definita, atque ad ſocietatis humanae uſum aptiora, quo ex ampliori obſervationum copia erunt derivata.

Hoc itaque obſervandi ſtudio peragrandus philoſopho terrarum, qua patet, univerſus orbis, generis humani ab eius infantia ad noſtram usque aetatem perluſtranda hiſtoria, veterum recentiorumque populorum omnium noſcendae leges, mores, inſtituta, quid iis ortum dederit, quinam

Digitized by Google

eorum effectus fuerint, ſedulo ipſi indagandum, nonnumquam attendenda quoque minuta, quae ſaepe rerum magnarum indicia ſunt, aut cauſſae. Nulla enim gens, ſive illa ob morum ſimplicitatem, aut inſolentiam barbara vocetur, ſive univerſae vitae cultu atque ornatu reliquis gentibus eminere videatur, nulla, inquam, gens tam fera aut exculta, tam beata aut miſera, quae inſtitutis ſuis bonis pravisve, Politicae doctoribus praecepta felicitatis ſuppeditare non poſſit, nihil fere in vaſto hoc hiſtoriarum campo minutum, nihil eorum, quae ad noſcendos hominum mores facere poſſunt, dignum neglectu. Neque poenitebit quemquam ſuſcepti huius itineris, quamvis immenſi, et impediti; erroribus enim non minus ac ſapientia gentium omnium, omniumque aetatum edoctus, non ignorabit multiplices cauſſas malorum noſtrorum, eorumque remedia, pro vario populorum ſtatu varia; ſed ſpe omni abiecta ad ſummam felicitatem evehendi genus humanum, omniaque tollendi vitae humanae ac civilis incommoda, a plerisque quibus fruimur commodis vix ſeparanda, naturam rerum ſequetur, vitaeque docebit, non ſcholae.

Superfluum videtur monere, nullius eſſe uſus obſervationes illas, niſi hiſtoriarum veritati innitantur. Animadvertere autem licet, ſolere plerosque eorum, qui methodi huius utilitatem agnoſcunt, aut in doctorum itineratorum figmentis, aut factis dubiis falſisque, et iam abunde refutatis, ad firmanda ratiocinia ſua non raro abuti. Multi quoque innumera conquirendi legendique detrectantes laborem, nimium ſaepe confugiunt ad incertas falſasque hypotheſes, quarum amor, ingeniis maxime philoſophicis proprius, ſummum quoque libri de Cauſſis legum auctorem ſaepius a vero abduxiſſe videtur. Certe ſummorum Philoſophorum, phyſicorum moraliumque doctorum, ea fuit eritque ſemper inconſtantia, ut hypotheſes confingendi libidinem inſectentur cuncti, at earum inveniendarum gloriam pauci faſtidiant.

Breviter haec indicanda videbantur, ut pateat inde neceſſitas ſubminiſtrandi Philoſophis accuratiſſimas notitias omnium

omnium nomotheſiarum, quae quo magis erunt ab hominibus huic ſtudio unice deditis illuſtratae, eo facilior erit labor perficiendi ſcientiam, cuius perfectio poterit generi humano ſi minus felicitatem, certe miſeriarum levamen, afferre. Eadem enim Politicae et univerſae morum doctrinae ratio eſſe videtur, quae Phyſicae, ad cuius incrementa ii quoque non parum contulerunt, qui minutiſſimis naturae partibus deſcribendis, inſectorumque obſervationi toti inhaeſerunt. Operariis opus habet Philoſophia, quos ne neceſſaria omittant, aut afferant otioſa et impedimento futura, idea quadam exſtruendi aedificii inſtructos ad laborem accedere convenit.

Has praeſertim ob cauſſas laude Philoſophorum digniſſima videtur eorum induſtria, qui depulſa barbarie, erutisque veteris aevi monumentis innumeris, linguarum hiſtoriarumque lucem ad priſci orbis incolarum explicanda inſtituta et mores attulere. Leges intelligo praeſertim Moſaicas, Graecas, atque Romanas, quarum ſcientia, quamvis exculta multorum praeclaris laboribus, maiora adhuc, aeque ac reliquae ſcientiae omnes, incrementa cepiſſet, ſi arctiore literarum ſocietate cultiores gentes coniungerentur, minorque eſſet eruditionis peregrinae ignoratio. Pauciſſimis enim nota peregrinorum omnium eandem, quam ipſi adgrediuntur, materiam illuſtrandi conamina. Hinc ſyſtematum ieiunitas, hinc errorum iam confutatorum frequens repetitio, hinc immenſam librorum multitudinem legendi neceſſitas, multiplicatus ſtudiorum labor, et difficilius ad veritatem iter.

Sapientiſſime profecto magnus ille Franciſcus Baco, in Atlantide ſua, mercatores lucis inſtituiſſe nobis videtur, ſaepeque nos ſumus mirati, quod ad noſtram usque diem tam utili mercatura careamus, quodque, cum ab eo inde tempore, quo commerciorum ope ſociari coepit Europa, omnium fere terrarum fructibus gaudeamus veluti propriis atque indigenis, veſtes, alimenta, mores, quicquid denique peregrini luxus excogitavit ſolertia, ſtudioſe arceſſamus ex

Digitized by Google

ultimis oris, in peregrinae ſapientiae fructibus conquirendis multo minorem adhibeamus diligentiam. Obfuit quoque haec cauſa Iurisprudentiae Antiquae progreſſui. Quamvis enim varias eius opes diſperſas collegerint viri ſumma eruditionis fama illuſtres, *Graevius*, *Gronovius*, *Salengrius*, *Polenus*, Ev. *Otto*, et nuperrime Ger. *Meermannus*, quibus adiungendus quoque Io. Gottl. *Heineccius:* multa tamen in omnibus fere Europae regionibus ſuperſunt opuſcula, quae non ſine magno huius ſcientiae damno hucusque latuiſſe putamus. Minutiora enim ſcripta, quibus ſaepe meliora continentur, quam voluminoſis operibus, Diſſertationes in primis Academicae, intra naturalis ſoli anguſtias fere deliteſcunt, externis innoteſcunt nunquam, ab ipſis indigenis fruſtra ſaepe quaeruntur, quod brevi tempore prorſus evaneſcant.

Ut igitur legum antiquarum ſtudioſis, quicquid ubique de es ab eruditiſſimis viris, fugitivis chartis conſignatum extat, n promtu ſit, placuit ex immenſa illa Diſſertationum et opuſculorum farragine optima quaeque ſeligere, atque in unum colligendo a raritate ac pene ab interitu vindicare.

Locus itaque in novo hoc Theſauro dabitur Opuſculis et Diſſertationibus, quibus leges antiquae, praeſertim Moſaicae, Graecae, atque Romanae, linguarum hiſtoriarumque ope illuſtrantur, quarum ſenſus et cauſſae non ex luxuriantium ingeniorum figmentis, ſed ex veteris aevi monumentis explicantur, Iurisque hiſtoria, innumerae viciſſitudines atque mutationes, exponuntur.

De Iure Moſaico non multa hucusque invenimus noſtra Collectione digna. Plerique enim eorum, qui legibus iſtis interpretandis operam dederunt, indoctos Rabbinos nimium ſecuti videntur, neque ea fuiſſe inſtructi morum linguarumque Orientalium cognitione, quae ad divini legislatoris mentem aſſequendam neceſſaria eſt. Certe praeclarum hoc ſtudium, diu neglectum aut male tractatum, plane exoleſceret, niſi illud iterum excitaret *Seldenus* alter, et maior Seldeno, celeberrimus Profeſſor Goettingenſis, Io. Dav. *Michaelis*, qui varias iam leges Moſaicas praeclare ex-

poſuit,

poſuit, integramque Iuris Moſaici enarrationem ſperare nos iuſſit.

Neque multo plura noſtrae Collectioni inſerentur opuſcula, illuſtrantia Ius gentium Graecarum, quod olim a viris magnis, quorum opera fere omnia Gronovii Theſaurus habet, excultum feliciter, ab aliquo inde tempore negligi coepit. Utinam vero ſpem eruditi Orbis impleret eruditae Angliae decus, Io. *Taylor*, veterum monumentorum ſumma peritia, legalique ſapientia clarus, qui ſi Themidem ſuam Atticam promiſſam iam olim et anxie exſpectatam ederet tandem, haberemus opus reliquis omnibus longe anteferendum, haberent Atticae leges dignum interpretem. Nihil autem huic ſtudiorum generi deeſſet, ſi eximia illa literarum Graecarum decora, *Hemſterhuyſii*, *Weſſelingii*, *Valckenaerii*, *Geſneri*, *Erneſtii*, omnesque ii, qui Muſis Graecis litant, Cereri quoque Legiferae litarent, et feraciſſimae omnium virtutum matris Graeciae leges illuſtrarent, earumque cauſſas mentemque nobis exhiberent.

Quamvis vero non magnum promittamus numerum opuſculorum Iuris Moſaici Graecique, invenientur tamen non pauca harum legum capita docte explicata in iis opuſculis, quae Iuri Romano illuſtrando praeſertim inſerviunt, quorumque abundantia magis laboramus, quam penuria. Illa autem ſola ex infinita hac copia ducimus ſeligenda, quorum auctores critico acumini Romani Imperii Hiſtoriarum accuratiſſimam cognitionem adiunxiſſe nobis videbuntur. Mere Critica hinc abeſſe volumus, aeque ac ea, quae Romanorum ICtorum vitas ſpectant: digna utraque ſeparata Collectione, quam ut aliquis in his ſtudiis probe verſatus ſuſcipiat, vehementer optamus.

Nobis autem hanc optimorum de Iure Moſaico, Graeco, atque Romano, ſcriptorum Collectionem molientibus, ſpe noſtra longe maior felicitas obtigit. Nulla enim fere pars cultioris Europae, in qua non fautores promotoresque noſtri laboris invenerim. In primis vero immortales gratias debeo Viro in literis aeque ac in republica ſummo, Ampliſſimo Gerardo

Meer-

Digitized by Google

Meermanno, qui non ſolum cuncta, quae ipſi adſunt digna Collectione noſtra, mira humanitate iam ad nos mitti curavit, ſed noſtrum inſtitutum ita adiuvit promovitque, ut ſi labor hicce aliquam laudem mereatur, iſta non nobis ſed illi tribuenda videatur. Eadem dicta intelligo de Viro Clariſſimo *Ioſ. Aur. de Ianuario*, qui doctiſſimorum Italorum nobis promiſit opuſcula, primumque hoc Volumen elegantiſſima ad me data epiſtola dignatus eſt condecorare. Nec absque ſumma gratiarum actione nominandi mihi ſunt viri et eruditionis fama, et honoribus clari, *Henr. Chriſt.* Baro de *Senckenberg*, *Io. Taylor, Greg. Mayanſius, Petr. Kofod-Ancher, Io. Matthias Geſnerus, Io. Dav. Michaelis*; *Caſp. Lud. Valckenaer*, *Herm. Cannegieter, Io. Rod. Iſelius, Io. Frid. Iugler*, qui omnes, vel impertitis conſiliis, vel indicatis, promiſſis, iamve miſſis opuſculis rarioribus, noſtro labori faverunt. Is ut feliciter cedat, eruditoque orbi probetur, et ſelectu noſtro efficere ſtudebimus, et utilitatis publicae cauſſa optamus."

Atque haec eſt Fellenbergiani inſtituti ratio, elegantiori iurisprudentiae, humanitatis ſtudiis, reique antiquariae apprime profutura: cui ut doctorum virorum facilitas omnibus modis ſuccurrat, vehementer cupimus. Sunt autem *Tomo* hoc *Primo* ſequentia propoſita. *Ioſ. Aur. de Ianuario*, Anteceſſ. Neapolit. ad Fellenbergium V. Cl. Epiſtola, qua de Sapientiae origine, progreſſu, atque eo quo nunc floret ſtatu, docte atque eleganter diſſeritur, eo potiſſimum conſilio, quemadmodum ipſe Ianuarius profitetur, ut pateat cuique, *quanto facilior veteribus patuerit, quanto nobis difficilior ad Sapientiam ipſam via ſternatur; quibus adiumentis illos carere nihil nocuerit, nos vero privari plurimum officiat.* Hanc epiſtolam, quae eſt 36. paginarum, excipiunt Diſſertationes X. quarum hi ſunt tituli: I.) *Iul. Car. Schlaegeri* diſſ. de debitore obaerato, ſecundum ius Hebraicum et Atticum, Creditori in ſervitutem adiudicando: Helmſt. 1741. II.) *Io. Dav. Michaelis* Commentatio, de mente et ratione legis Moſaicae, uſuram prohibentis, Erford. 1746. III.) *Eiusdem* Lex Moſaica Deuter.

Digitized by Google

Deuter. XXII. 6. 7. ex hiſtoria naturali et moribus Aegyptiorum illuſtrata, Goettingae 1757. IV.) *Io. Guil. Hofmanni* ad Legem Iuliam, de Adulteriis coercendis, Liber ſingularis, in quo multa Iuris et veterum Auctorum loca explicantur et illuſtrantur, Francof. ad Viadr. 1732. V.) *Eiusdem* ad Legem Oppiam, de Matronarum cultu. Ibidem 1736. VI.) *Herm. Cannegieter* diſſ. philologico iuridica ad Legem Numae Pompilii, de Ara Iunonis Pellici non tangenda. Lugd. Bat. 1743. VII.) *Io. Ludov. Hag. Baronis de Waſſenaer* diſſ. iuridico philologica inaugural. ad Tit. D. de Collegiis et Corporibus. Lugd. Batav. 1740. VIII.) *Ioſ. Gabaleonis Comitiis Sarmatorii* (de Salmour) ad Legem Iuliam de ambitu Commentatio. Lipſ. 1743. IX.) *Ant. Henr. van Hees* diſſert. philologico iurid. inaugur. de iis, quae antiquitus apud Romanos inter litigatores, ante litem conteſtatam, fiebant, Lugd. Batav. 1747. X.) *Ioh. Taylori* Commentarius ad L. Decemviralem, de inope debitore in partis diſſecando. Cantabrigiae 1742.

Erunt forte qui putent, inſeri huic collectioni, quae adhuc in librariorum tabernis venales proſtant, commentationes non oportuiſſe: ſed ubi iſti perpenderint, non noſtrae aetatis hominibus magis, quam venturae, hanc Syllogen parari, poſſeque ſucceſſu temporis perire ea, quae nunc parabilia ſunt, facile et iſtud Collectoris conſilium laudabunt, qui non ſolum rariora, ſed quaecunque ad rem faciant, et bona ſint, promere adgreſſus eſt. Eſt tamen aliquid, in quo vellemus habitam Lectorum rationem fuiſſe, indice nimirum fini Voluminis attexendo. Sunt enim in his commentationibus permulta, quae, iucunda lectu, et grata cognitu, tamen nonniſi ὡς ἐν παρέδῳ propoſita ſunt, ita ut, niſi lectis a capite ad calcem paragraphis, vix iis locis quaeſiveris. Talia igitur ſi fuiſſent alphabetico indice indicata, videtur nobis Collectioni ipſi ſplendoris aliquid et commendationis ſuperaddi, lecturis autem commodi non parum conciliari potuiſſe, Ceterum vehementer optamus, ut *Fellenbergius* V. Cl. diligenter hanc Syllogen, quemadmodum coepit, perficiat,

 deque

Digitized by Google

deque bonis litteris, nam iſtae ad Iurisprudentiam inprimis pertinent, praeclare mereri, pede inoffenſo pergat.

TRANSITUS VENERIS PER SOLEM obſervatus Francofurti ad Oderam, ſub Elev. Pol. 52°26'. die 6. Iunii 1761. a IOHANNE FRIDERICO POLAC, D. et Profeſſ. Iuris atque Matheſeos Ord. P. Academ. t. t. Rectore.

Appropinquante ſole magis magisque ad ortum, qui ſecundum meridianum noſtrum hora $3^h 51'$ expectandus, tota plaga orientalis ab horizonte usque ad eximiam altitudinem ſpiſſis nubibus obducta cernebatur, quae nubes, flante Thraſcia, caeli locum, in quo ſol apparere debuiſſet, pedetentim obtegebant, ita ut poſt haud exiguum temporis intervallum omnis ſpes videndi hoc rarum et iucundum Veneris in Sole ſpectaculum ademta et collapſa videretur. Diſcusſis tamen praeter expectationem nubibus, uno obtutu Sol, quamvis ſemitectus, et adhuc pauliſper obvelatus nubeculis, tubo aſtronomico decem pedum, et Venus in Sole apparebat - - - - -

	H.	M.	S.
Venus in Sole apparebat	6	15	15

aufugiens tamen iterum et ſe abſcondens ad horam fere, lamentantibus omnibus qui ad id ſpectandum ſuſpenſo vultu convenerant.

Interim ad rite inſtituendam hanc obſervationem praeparabatur antea cubiculum verſus orientem ſitum, ex quo ipſe Solis ortus, et eius in caelo progreſſus, fere usque ad octavam horam perſpiciebatur, collocata in eo Machina Heleoſcopica, cui tubus aſtronomicus 4½ pedum applicatus, repraeſentans in tabula diſcum Solis 6''. 6'''. et in qua more conſueto circulus obſervatorius ſex circulis concentricis in duodecim digitos, ipſa vero peripheria a puncto Zenith in 360°, partitus; in altero hypocauſto, cuius feneſtrae et ad orien-

	H.	M.	S.
orientem et ad meridiem patebant, utebamur tubo aſtronomico decem pedum, et ſimul teleſcopio reflectente anglicano 18 digitorum, adhibita, ſimulac ſol ex obſcurata praedicta camera exceſſerat, parva illa machina heleoſcopica, ex inventione inclyti quondam Mechanici Elbingenſis, Dom. Enderſch, quam fuſius deſcripſit celebris Dom. Profeſſor Gymnaſii Elbingenſis. M. Ioh. Iacob Woyt, in Scripto: Tranſitus Mercurii per Solem 1743. d. 5. Nov. ab ipſo edito.			
Integra hora praeterlapſa, diſperſis tandem maxima ex parte in plaga orientali nubibus, Sol prodibat, et in tabulam utriusque machinae proiiciebatur, et Venus veluti nigra rotunda macula prope ad tertium circulum a peripheria limbi occidentalis computandum,	7	15	15
quae Veneris facies eo diſtinctius inſtar circuli ad amuſſim, rotundi ſubnigricantis, et ſi eam ad diſcum Solis referas non contemnendae magnitudinis, in diametro viceſimae diſci ſolaris partis, prout in tabula proiectionis circino capiebatur, elegantisſime apparebat iis quoque, qui praedictis tubis ſimul admovebantur; quem tamen Veneris diametrum Hevelius, et plerique Aſtronomorum cum eo, ultra triceſimam diametri partem hucusque admittere noluerunt.			
De caetero Venus aliquantiſper propior fiebat circulo obſervatorio tertio - - - -	7	35	30
intervenientes nubes adimebant iterum aliquamdiu Solis et ſic ipſius Veneris faciem; ſed his ſemotis, Venerem in proiectione prope circulum ſecundum limbi occidentalis in conſpectum dabant - - - - -	7	56	35
quem attingebat - - - - -	9	6	10
et fere tranſcendebat - - - -	9	16	25
ad extremum demum circulum properabat -	9	20	55

	H.	M.	S.
et quamvis ſe iterum immiſcentes nubes ipſam emerſionem, quam tam anxie expectabamus, dubiam reddere videbantur, nihil tamen morabamur, quin, ut eo exquiſitior obſervatio tunc potiſſimum procederet, remotis machinis ipſi tubi dirigebantur ad ſolem, qui demum prodiens, Venerem circa exitum, pro dimidia iam extra ſolis diſcum egreſſam, non aliter ac ſi in magnitudine Veneris ſemicirculus ex diſco ſolari exciſus eſſet, monſtrabat - - - - -	9	26	5
Tandem obſervatores ad tubos ſuos maximopere intenti, ſimul una voce exitum, adeoque totalem emerſionem, annunciabant - -	9	30	45

Si diverſas tabulas aſtronomicas, et ex his eruta temporis momenta, quoad initium, medium, et finem huius tranſitus conſulamus, cum ipſa noſtra obſervatione apprime et ad minuta prima quoad emerſionem conveniunt tab. Halleianae et Caſſinianae, reductae ad noſtrum meridianum. Tabulae de la Hirianae, Streetii, et Morini, aliquot horis aberrant; priores praemature iam hora matutina quinta, poſteriores tarde nimis, nunc hora XII, nunc III. pomeridiana, exitum ponentes.

Quod ad diſtantiam Veneris a Solis centro attinet, hanc quidem obſervare non licuit, cum Venus quo primum conſpicua hoc centrum iam transgreſſa, et ultra dimidium viae per ſolem confecerat; ſecundum emerſionem, et indicatas obſervationes concludere licebat, quod, diviſo circulo obſervatorio a puncto Zenith ad dextram in 360. gradus, ut circuli ſolent, immerſio Veneris ad gradum 110. emerſio vero ad gradum 248. limbi occidentalis inciderit, adeoque diſtantia a centro ultra 6. minuta prima vix aſſumenda, et quam Caſſini ultra quatuor minuta nempe a centro ſolis 10. minutorum adoptaſſe videtur. Obſervationi ergo noſtrae, quoad hunc paſſum, et durationem, magis conveniunt tabulae de la Hirianae et Streetianae. Altitudines aliquot ſolares, tempore Obſervationis, aut nocte praecedente quarundam ſtellarum aſcenſiones, metiri ob caeli inclementiam non licuit.

I. A.

Digitized by Google

I. A. BRAUNII

Acad. Scientiar. Petropolit. Membri, et Philoſ. utriusque Profeſſ. Ordinar. de admirando frigore artificiali, quo Mercurius eſt congelatus, Diſſertatio.

Cuique tempori ſua inventa, et quaſi ſuis perſonis reſervata videntur. Hiſtoria Scientiarum omnium saeculorum, praecipue vero ſuperioris et huius, ſatis ſuperque hoc poteſt probare, inventionibus Antliae pneumaticae, Barometrorum, Thermometrorum, Tuborum opticorum, Electricitatis, praecipue naturalis, Magnetis artificialis, Phoſphori, aberrationis Stellarum fixarum, et multarum aliarum rerum, teſtantibus. Neſcio an non admiranda Mercurii congelatio, quam nuper detegere mihi contigit, huc quoque pertineat. Quis enim Mercurium non habuit pro fluido perpetuo, in omni frigore perſeverante et perſeveraturo? Nec iudicium et ratiocinium hoc fundamento ſuo deſtituitur, ſi de frigore naturali intelligatur in hoc terrarum orbe. Quodſi enim contingere poſſet, ut frigus naturale tantum in tellure noſtra oriretur et regnaret, vaſtitas illius continuo futura eſſet et inanitas, dum homines, animalia, plantae, neceſſario peritura eſſent, et alium plane ſtatum orbis terrarum accepturus eſſet, aliamque faciem. Equidem iam in diſſertatione de gradibus caloris, quos certi liquores et certa fluida ferre poſſunt ad ebullitionem usque, atque de gradibus frigoris, quos pati poſſunt et ſolent, donec in glaciem abeant, indicavi, ſuſpicionem fuiſſe, Mercurium in Barometris et Thermometris quibusdam in Sibiria congelatum fuiſſe: ſed quum in maioribus frigoris gradibus Mercurius fluidus permanſerit in aliis Barometris et Thermometris, hanc immobilitatem et duritiem obſervatam, Mercurio plumbo, vel Bismutho adulterato, veriſimiliter tribuimus, adeo ut pro vera congelatione Mercurii haberi non poſſet. Sed hoc nunc extra omne dubium poſitum eſt, poſtquam purum Mercurium, ſub tam parvis frigoris gradibus, etſi naturaliter

Digitized by Google

raliter magnis, congelari nequire certo conſtat. Experimenta, quae cepimus ad conglaciationem Mercurii producendam, hoc quam evidentiſſime monſtrabunt, quae nunc fideliter proponemus, non omnia quidem, ſed ea, quae momentum aliquod trahunt, et nova Phaenomena monſtrant.

Erat Decembris 14. 1759. quo frigus inſigne incidit, cui aequale, certe eo maius, nunquam antea hic Petroburgi in Academia obſervatum. Nam inter horam nonam et decimam a.m. frigus ad 205. ſcalae Delilianae auctum eſt, quum hora 7. antea fuerit 201. qui gradus frigoris ſummus ad hoc usque tempus, ſecundum obſervationes Kraftii et meas, fuerat *). H. 1. p. m. autem 197. rurſus Thermometrum monſtrabat. Occupatus iam a Decembris ſeptimo eram in explorandis frigoris gradibus, quos certa fluida ferre poſſunt donec in glaciem abeant: partim ad ea confirmanda, quae in citata diſſertatione Academiae tradita propoſui; partim ut fluida nova, in quibus experimenta nondum a me capta erant, explorarem, quum a die dicto iam inſigniores frigoris gradus ſint obſervati, ut d. 7. 189. d. 8. 188. et 189. d. 12. 193. et 195. d. 13. 181. et 191.

Hunc inſignem frigoris gradum 205. in aere regnantem aptiſſimum iudicabam ad explorandum una, quo usque arte hoc frigus naturale augeri poſſet, non dubitans, eo maius frigus artificiale futurum, quo maius frigus naturale eſſet; quod et quaedam experimenta antea capta iam docuerant, teſtante diſſertatione citata. Aqua fortis ſub gradu 204, quem teſtante Thermometro immerſo adſumſerat, erat maiorem partem gelata, glacies ſpecie cryſtallorum nitri adparebat, quae vero in calore continuo rurſus reſolvebantur. Hanc aquam fortem, cuius media pars adhuc, ut in congelatione

*) Quamvis *Delilius* iam 1733. Menſe Ianuario in uno Thermometro gradum frigoris 204. obſervaverit, tamen eodem tempore alterum Thermometrum tantum 202. monſtravit. Vid. illius *Memoires* pag. 274.

Digitized by Google

ſatione ſolet, fluida erat, cepi, captam infudi in glaciem contuſam, portionem ſcilicet circiter tantam, quantam Fahrenheitius, auctor frigoris artificialis, ope ſpiritus nitri, requirebat; antea vero exploravi utrum Thermometrum, glacies contuſa, et aqua fortis, eandem temperiem haberent; quam perfecte eandem, ſcilicet 204. deprehendi, qui gradus frigoris nunc in aere obſervabatur. In prima infuſione Mercurius ad 20. gradus circiter deſcendit: effudi ſpiritum ſecundum Methodum vulgarem, id quod aliquoties repetii, ſed ultra triginta gradus frigus naturale augere non potui, ita ut Mercurius ultra 234. gradus ſcalae noſtrae deſcendere non viſus eſſet. Dum igitur Fahrenheit frigus artificiale ultra 40. infra ciphram, nullitatis notam ſcalae ſuae, qui gradus cum 210. Thermometri noſtri convenit, producere non potuit; neque alii, qui haec experimenta repetiere, inter quos viros celeberrimos Reaumurium et Muſchenbroekium honoris cauſſa nominare liceat, ulterius frigus artificiale augere potuere: parum aberat, quin contentus fuiſſem his experimentis *), et ſatis habuiſſem, viginti gradibus magis auxiſſe frigus artificiale, quam alii ante me producere potuerunt.

At enim vero quoniam fructum hunc experimentorum meorum nimis exiguum reputavi; mecum conſtitui, experimenta haec, ſed alio modo, continuare, et tentare, an non frigus arte ad ſuperiorem gradum perducere, adeoque ampliorem laboris mei et tolerati frigoris fructum conſequi poſſem. Sumſi nivem loco glaciei contuſae, quae, uti dixi, iam conſumta erat, quam in vitrum aliud mundum indidi, illudque fere ad ſummum implevi, ita tamen, ut nivem ſimul leviter comprimerem; antea autem nivis frigus Thermometro

*) Inprimis quum glacies contuſa deficeret. De experimentis huc pertinentibus a *Reaumurio* factis vid. Hiſtoriam Academiae Scientiarum Pariſinae Anni MDCCXXXIV, et quae *Muſchenbroekius* ceperat ad hunc finem experimenta vid. in Tentaminibus Academiae del Cimento, pag. 174. P. I.

tro exploravi, quod perfecte idem erat, ac aeris ambientis, nunc 203. graduum. Quum igitur nix, aqua fortis, et Thermometrum, eandem temperiem haberent; immerſi Thermometrum in nivem vitro contentam, et primum aliquot guttas tantum, ubi Thermometrum immerſum erat, inſtillavi, quo facto obſervavi Mercurium ad 260. in Thermometro noſtro deſcendiſſe. Gaviſus hoc ſucceſſu egregio, ſpem concepi maiorem, fore, ut, ſi porro experimentum urgerem, frigus artificiale ulterius promoveri poſſit: nec eventus ſpem feſellit. Nam repetito experimento eadem Methodo ſimplici, tantum paullo maiorem aquae fortis quantitatem infudi, et ſtatim Mercurium ad 380. deſcendiſſe vidi; quo facto Thermometrum in aliud vitrum nive repletum, antequam hos frigoris gradus plane amitteret, immerſi, et tandem hoc tertio experimento Mercurius ad 470. gradus ſcalae noſtrae deſcendit. Quum tam ſtupendum frigoris gradum obſervarem, oculis vix fidem habere potui, quin credidi bulbum Thermometri eſſe fractum. Sed laetus vidi Thermometrum extractum illaeſum quidem, at Mercurium plane immobilem, quamvis ultra 12. minuta iam in aere libero eſſet. Portavi hoc Thermometrum in conclave 125. graduum calidum, et poſt aliquot minuta Mercurius rurſus mobilis factus, adſcendere coepit. Ut certus fierem, an non Thermometrum detrimenti quid cepiſſet, et an cum Thermometro meo ordinario, quo obſervationes inſtituo, adhuc perfecte concordaret, ſuſpendi hoc Thermometrum in eodem loco, ubi Thermometrum meum ordinarium ſuſpenſum erat, et poſt 20. circiter minuta Mercurius temperiem aeris ambientis rurſus adſumſerat, ita ut perfecte ambo Thermometra concordare conſpicerentur.

Thermometrum, quo uſus fui, bulbum habebat ſphaericum, et ſcala diviſa erat in 1200. partes, quarum 600. ſupra ciphram, calorem aquae bullientis notantem, et 600. infra eam numerabantur. Uſus eram iam hoc Thermometro in explorando calore Mercurii ebullientis et oleorum. Erat alterum Thermometrum ad manus, cuius ſcala infra o

tantum

tantum capiebat 360. partes. Repetii et cum hoc idem experimentum, et ſtatim Mercurius ita deſcendit, ut totus intra bulbum eſſet, quem tamen perfecte non implebat. Mercurius et in hoc bulbo ſphaerico immobilis conſpiciebatur, et licet Thermometrum concuterem, nullus tamen motus obſervari potuit, donec poſt 15. circiter minuta in aere libero rurſus adſcendere coepit. Adſcendere perrexit in hoc Thermometro Mercurius ad multo maiorem altitudinem, quam aeris ambientis temperies requirebat. Miratus hoc Phaenomenon paradoxum, Thermometrum adcuratius conſideravi, et inveni bullulas quasdam aereas Mercurio fuiſſe interſperſas, quod in priori Thermometro non contigerat. Ex his, et quibusdam aliis experimentis, (omnia enim ennarrare nihil attinet,) ſatis certus factus fui, Mercurium in Thermometris ſolidum et fixum frigore factum fuiſſe, adeoque congelatum. Enimvero, quoniam Mercurium ſolidum et fixum extra Thermometrum non videram et examinare potueram, quoniam bulbos Thermometrorum frangere nolebam, quum alia ad manus non eſſent: congelationem Mercurii tantum tamquam veritatem probabilem ex Phaenomenis concluſam propoſui in proximo ordinario conventu Academico, die 17. Decembris habito, quo inventum meum una cum Methodo mea ſimpliciſſima, qua uſus ſum, fideliter communicavi, uti quoque in Novellis Petroburgenſibus No. 102. congelatio Mercurii, tanquam veritas quam veriſimillime ex phaenomenis collecta, tantum eſt propoſita. Ut igitur conglaciationem Mercurii per claram et indubiam experientiam quam certiſſimam redderem, mecum conſtitui, Thermometra in proximis experimentis capiendis frangere, quo indoles Mercurii congelati propius examinari poſſet, et explorari. Exſequi hoc conſilium non prius poteram, quam Decembris 25. quoniam Thermometra plura citius parata non erant. Frigus naturale, quod in aere regnabat, erat inter horam 9. et 10, quo tempore experimenta nova inſtitui, ſecundum Thermometrum meum ſcalae Delilianae 199. Uſus ſum eadem Methodo ſimplici, cum variatione tamen

Vu qua-

quadam: ſcilicet modo Thermometrum prius immerſi in vitrum nive leviter compreſſa impletum, quam aquam fortem inſtillarem, et ſuperinfunderem; modo in nivem prius infudi aquam fortem, quam Thermometrum indidi; modo ſpiritum infudi primum, nam rem ſemper eodem redire, quis non perſpicit? quoniam omnia ad ſolutionem nivis ab aqua forti redeunt, quam contingere eodem modo debere, ſive ſpiritus nitri primum infundatur, et deinde nix ſuperaddatur, per ſe quilibet facile intelligit, quamquam interdum alterum altero eſt commodius, et ad ſcopum ſpecialem adcommodatius. Quum itaque Mercurius deſcendiſſet, ita ut immobilis ſtaret, fregi bulbum Thermometri, qui aliquot rimas iam ceperat, adhuc tamen cohaerebat, quo facto obſervavi Mercurium ſolidum, non tamen ex toto, nam in media globi parte portio quaedam fluida deprehendebatur. Superficies convexa externa perfecte continua adparebat, interna vero concava, quam portio fluida egreſſa reliquerat, admodum aſpera conſpiciebatur, ita ut ex parvis globulis compoſita videretur. Tududi tudite mortarii, quod ad manus erat, Mercurium; ſolidus et extenſus erat, durities vero illius, uti fere plumbi, aut paullo minor mihi videbatur, cuius etiam clangorem percuſſus edebat. Lamellas Mercurii ſolidi dicto inſtrumento extenſas ſcalpello ſecui facile, et nunc mollior iam Mercurius ſenſim fieri coepit, poſt 12. autem et quod excurrit minuta prima in aere libero priſtinam fluiditatem recuperavit; temperies autem aeris nunc 197. erat. Color Mercurii congelati a fluido vix differebat, adparebat vt argentum politiſſimum, tam in ſuperficie convexa, quam ubi ſectus erat Mercurius.

Sequenti die 26. frigus ad 212. crevit inter h. 9. et 10. a. m. antea h. 8. erat 208. Hic frigoris gradus igitur tantus eſt, ut ſuperet ſummum antea obſervatum 7. partibus. Quum ita frigus faveret, iteranda et continuanda experimenta et hoc die duxi, ad confirmanda partim antecedentia, partim ad nova Phaenomena detegenda. In duobus Thermometris ratione Mercurii congelati idem obſervavi, quod

quod die antecedenti, et hic Mercurius in bulbis, quos fregi, totus ſolidus non erat, licet portio admodum exigua tantum, multo minor, quam die antecedenti, ſupereſſet, quae fluida manſit; ceterum eodem modo Mercurium tractavi, ac die antecedenti, malleo tutudi, ſecui, et omnia hoc reſpectu eadem quidem obſervavi; at differentia haud exigua ſe conſpiciendam praebuit reſpectu deſcenſus Mercurii, qui nunquam a me perfecte idem eſt deprehenſus, neque in his experimentis, neque in antecedentibus et ſequentibus. Ex ſuperioribus iam patet, Mercurium in primo experimento tantum deſcendiſſe ad 470, donec immobilis ſteterit, bulbo tamen illaeſo; in experimento die 25. capto ad 530, et in duobus thermometris die 26. ad 650. deſcendit. Aſt tam in thermometro, quo uſus ſum d. 25, quam in duobus, quae adhibui d. 26. bulbi rimas quasdam habebant; cohaerebant tamen adhuc, nec minima pars vitri bulbi ſeparata erat, et Mercurius congelatus arcte omnibus bulbi partibus adhaerere videbatur. In ſequentibus experimentis multis praecipue ad hunc ſcopum captis obſervavi, Mercurium ſemper profundius deſcendiſſe, ſi plane et totus congelatus erat, quam ſi portio quaedam fluida maneret. Deſcendebat autem ut plurimum ad 680. et 700, tamen bulbi nunquam ſine rimis erant, quin deſcendit ad 800. et ultra ad 1500, ſed in hoc poſteriori experimento bulbus plane fractus erat, ita ut globus Mercurii plane congelatus excideret, quo lapſu 3. circiter pedes alto, globus Mercurii perfecte congelatus paullum compreſſus factus eſt; in priori vero partes quaedam bulbi tantum exciderant. Ceterum ſemper quo frigus naturale erat maius, eo facilius, ceteris paribus, et celerius, experimenta mihi ſucceſſere.

Ceterae conditiones omnino pares ſint, eſt neceſſe, inprimis, ut idem ſpiritus nitri adhibeatur. Quo fortior enim hic ſpiritus, eo melior quoque effectus erat, hinc ſpiritus nitri purus ſimplex minorem ſemper effectum praeſtitit, quam aqua fortis, fortior ſpiritu nitri ſimplici, maiorem autem ſpiritus nitri fumans, quippe fortior aqua forti, quam-

Digitized by Google

quam, ſi verum fatendum eſt, haec poſterior differentia effectuum, reſpectu aquae fortis, ſi bonae erat notae, et ſpiritus nitri fumantis, ſaepius non admodum notabilis mihi videbatur. Interim ſpiritus nitri ſimplex ſuum quoque effectum mihi praeſtitit, et congelationem Mercurii produxit, artificio quodam a me adhibito. Quum ſpiritus hic nitri ſimplex nivi mixtus deſcenſum Mercurii tantum ad 300. deprimeret, et paullo ulterius diverſis tentaminibus; implevi ſex vitra nive more conſueto, et poſtquam Thermometrum in primum immerſeram, ſtatim in ſecundum, tertium, et quartum ſucceſſive immerſi, antequam gradum frigoris acceptum notabiliter amitteret; in quarta immerſione, Mercurius erat congelatus, quum in qualibet nova immerſione deſcenſum Mercurii profundiorem obſervaſſem. Aqua fortis, quae in capiendis experimentis ſaepius gelata fuit, regelata eundem effectum praeſtitit, quam portio fluida in medio non gelata relicta.

Alia Phaenomenorum differentia ſe manifeſtabat in diverſis experimentis reſpectu modi deſcenſus Mercurii. Conſtans ac perpetuum ſemper mihi obſervatum, quod Mercurius primo lentius, deinde cum ſummo impetu in Thermometro deſcenderit: non videtur autem certum eſſe illud punctum, ubi impetus incipiat, quoniam obſervavimus initium huius celeritatis circa diverſos Thermometri gradus, circa 300. 350. et ultra, quin in citato experimento, quo Mercurius ad 800. deſcenderat, usque ad 600. regulariter ſatis deſcendit, quo gradu cum maximo impetu deſcendere coepit, quo bulbus Thermometri fractus eſt, Mercurius autem perfecte totus congelatus erat. Alia differentia notanda quoque eſt, ſaepius mihi obſervata, quod, dum ſpiritus nitri infuſus eſt, primum adſcendere coeperit Mercurius, quamvis ſpiritu nitri, nix, et Mercurius in Thermometro, ad eandem temperiem antea eſſent redacta. Quia hoc Phaenomenon nonnunquam tantum contigit, attendi adcuratius ad omnes circumſtantias; et contigiſſe hoc viſum eſt, quoties infudi aquam fortem in bulbum Thermometri non perfecte

fecte nive ſepultum, adeoque in bulbum Thermometri a nive vacuum directe. Differentia porro notatu digna eſt, quam bis videre mihi contigit, quod Thermometrum ex mixtura nivis et aquae fortis iam extractum, tamen in aere libero ulterius deſcenderit, quin ad punctum conglaciationis Mercurii usque.

Reſpectu diverſorum Thermometrorum, nullam phaenomenorum differentiam obſervare potui, ſive enim longiora, ſive breviora Thermometra adhibuerim, ſive tubi Thermometri ex vitro bohemico, ſive huius loci, viliori et meliori conſtiterint, ſub iisdem circumſtantiis eadem phaenomena et eundem effectum praeſtitere ſemper Thermometra, quamvis pro diverſitate vitri, diverſa eius contractio, quam ſummam in tanto frigore pati debet, quoque fiat neceſſe eſt. Quod ſi vero haec implevi diverſo Mercurio, diverſitas quaedam omnino adparebat.

Nam uſurpavimus partim Mercurium ordinarium, tam purum tamen, quam haberi potuit, quem ipſi quoque more conſueto, preſſione per corium, et filtratione per tubos capillares, purificavimus ita, ut puriſſimus videretur; partim vero uſi ſumus Mercurio revivificato ex ſublimato. Hic poſterior procul dubio priori purior, quum puriſſimus haberi ſoleat, inertiam tamen quandam monſtrare mihi viſus eſt, certe tardius, lentius deſcendere videbatur in Thermometris Mercurio revivificato repletis, quam in aliis; quin in Thermometro quodam eiusmodi Mercurio repleto, non ſolum deſcenſus fuit lentiſſimus, ſed frigus ultra 300. augere non potui, quamvis in aliis Mercurius ad conglaciationem ſub iisdem circumſtantiis deſcendiſſet, in minoribus tamen Thermometris haec differentia tam notabilis mihi non eſt obſervata. Obſervata haec mea tamen vix mihi ſufficere videntur ad ſtabiliendum, quod haec differentia conſtans atque perpetua ſit; pluribus opus eſſe videtur in poſterum inſtituendis. In omnibus tamen Thermometris Mercurio revivificato a me impletis, ad vitrum Thermometri adhaeſionem obſervavi quandam, ita ut quaſi unguinoſus videretur.

Vix tamen a vero aberrare exiſtimandus erit, qui contendat, generatim et univerſe congelationem Mercurii eo fieri faciliorem, quo Mercurius impurior, adeoque e contrario difficiliorem, quo purior fuerit. Hae ſunt potiores differentiae phaenomenorum, quas mihi in captis cum Thermometris experimentis obſervare licuit. Sed inſtituimus quoque alia, ubi ut Thermometra adhiberem ſcopus non permittebat. In congelationibus liquorum aquoſorum ſuperficiem fieri convexam, vulgari experientia cui non conſtat? quod tamen ſecus eſt in liquoribus oleoſis, qui, ſi ex ſtatu fluiditatis in ſtatum ſoliditatis frigore abeunt, ſuperficiem non convexam, ſed paullo concavam, ut et ſebum, cera, et alia monſtrant, et quod experientia vulgaris et artificialis ſatis docuit, ſulphure excepto. A priori per rationes ſatis certum iam eſſe poterat, Mercurium ſuperficiem concavam eſſe in congelatione induturum, propter condenſationem tam inſignem, quam patitur, uti metalla reliqua fuſa, ſi ferrum, biſmuthum, et antimonium exceperis; quando rurſus ex ſtatu fluiditatis in ſtatum firmitatis certo frigoris gradu tranſeunt, ſuperficiem concavam induere ſolent, et propter maiorem contractionem et condenſationem debent. Cepi tubum communicantem primum, cuius diameter duarum linearum erat, in quem Mercurium infudi, ut altitudo duarum linearum eſſet, quem quum immerſiſſem in mixturam nivis et ſpiritus nitri, obſervavi in una Mercurii extremitate Mercurium plane fuiſſe congelatum, et ſuperficiem fuiſſe concavam, quum in altera extremitate Mercurius tantum ita gelatus eſſet, ut media pars adhuc fluida eſſet. Effeci, ut efflueret pars liquida inclinatione tubi, quo facto Mercurius congelatus in hac parte tubulum repraeſentabat intus cavum, et aſperum, effluxu autem Mercurii altera extremitas nihil patiebatur, quoniam plane ſolida erat. Eadem eventa obſervavimus ſaepe aliis inſtrumentis, tubis ſimplicibus et globis vitreis Mercurio ſemiplenis.

Phaenomena hactenus recenſita nunc adhuc adcuratius conſideranda erunt, et explicanda, atque, quae inde ſequantur

tur,

Digitized by Google

tur, expendenda. Primum ſatis manifeſtum eſt, ſolum calorem eſſe cauſſam fluiditatis Mercurii, uti aquae aliorumque fluidorum. Quodſi igitur corpus mundi exiſtat, ubi tantus frigoris gradus regnat, qui Mercurium ſolidum facit, dubium eſſe non poteſt, quin Mercurius aeque firmum corpus, ac metalla reliqua in tellure noſtra, adparere debeat. Deinde patet, Mercurium vere et proprie congelaſcere, et in glaciem propriam abire, quamvis glacies mercurialis a glacie aquae, liquorumque aqueorum, quodammodo differat. Idea congelationis certe nihil aliud involvit, et involvere poteſt, quam tranſitum fluidorum ex ſtatu fluiditatis in ſtatum firmitatis ſive ſoliditatis, ſolo frigore effectum, quod ex omnibus caſibus ſpecialibus et exemplis manifeſtum eſt, unde idea glaciei eſt abſtracta. Aquae, et liquores aquei, an aliam ob rationem congelata et glacies dicuntur, quam quod frigore ſolida, firma, et dura corpora facta ſunt? Recte igitur omnibus fluidis, cuiuscunque ſint generis, ob eandem rationem conglaciatio vera et propria tribuenda erit, ſi frigore fiant firma atque dura; cui enim competit definitio, eidem definitum quoque erit tribuendum. Sed prouti fluida ipſa ſunt diverſa, diverſa quoque eorum glacies fieri ſolet et debet, hinc oleoſa corpora frigore indurata diverſam glaciem a glacie aquarum repraeſentant, quae quoque diverſa phaenomena exhibere ſolet; uti glacies diverſae diverſorum ſpirituum, diverſarum ſolutionum ſalinarum et aliarum, teſtari quoque poteſt. Sed videtur eſſe attributum proprium glaciei, natare in fluido, ex quo nata eſt, item fragilem eſſe, non ductilem. Si de aquarum glacie intelligatur prius, concedi in tantum poteſt, in quantum nulla glacies ex aqua nata vel naturaliter, vel arte producta, ad hoc usque tempus reperta, quae non aquis ſuis ſupernataverit, ſed ad eſſentiam glaciei non ſpectat; poteſt natare et non natare, eſt et manet glacies, neque deſperandum puto fore, ut ipſa glacies aquae non ſupernatans reperiatur, arte maiore, quam adhuc, adhibita. Neque igitur glaciei aquarum attributum, ſed modus eſt, et accidens, natare in aquis ſuis.

Idem

Digitized by Google

Idem valere quoque debet de fragilitate, quae quidem proprietas glaciei aquarum, ſed modus et extraeſſentiale reſpectu glaciei generatim tantum eſſe poteſt. Eſſe igitur glacies poteſt, ſive ductilis ſit, ut in Mercurio, ſive non, ut in aliis fluidis. Omnia metalla qua ſolida glaciem conſtituunt, item cera, ſebum, vitrum, et alia, generatim omnia corpora ſolida et dura, quae calore fluida fieri poſſunt, nihil ſunt niſi ſpecies glaciei.

Quemadmodum igitur aqua recte glacies fuſa dicitur, quum revera nil aliud ſit; ſic Mercurium vivum et fluidum eſſe glaciem Mercurii fuſam, recte dubitari non poteſt. Status igitur illius naturalis, firmitas, non fluiditas ſit oportet, quum actione ignis et calore haec efficiatur, uti in reliquis fluidis, quorum haud dubie nullum eſt quod ſua natura ſit fluidum. Funditur igitur Mercurius aeque, ac alia metalla, calore, ut fluat vivusque fiat; ſed hoc tantum cum diſcrimine, ut gradus admodum parvus caloris ad illius fuſionem requiratur. Conſtat, metalla ſub certo et determinato caloris gradu fundi fluereque incipere, diverſo tamen in diverſis metallis, ut ſub gradu 420. ſtannum purum; 550. plumbum purum: 470. bismuthum purum, ſcalae Fahrenheitianae; vel ſecundum noſtra obſervata plumbum liquefit ſub gradu 320. ſupra 0 noſtrae ſcalae, qui convenit cum gradu 596. ſcalae Fahrenheitii; ſtannum 170 = 416. Fahrenh. bismuthum 235 = 494. Zincum vero maiorem caloris gradum requirere, quam habet Mercurius bulliens, experti ſumus. Quodſi igitur exacte conſtaret, ſub quo gradu Mercurius gelaſceret, adeoque ſolidus fieri inciperet, ſciri quoque poſſet, ſub quo gradu rurſus fluidus, et quaſi ex morte redivivus fieret. Nam uti aqua ſub gradu 150. in glaciem abit, ſic rurſus regelaſcit ſub eodem fere gradu caloris, et metalla rurſus ſolida fieri incipiunt ſub gradu caloris fere eodem, quo fundi incipiunt. At enim vero ex ſuperioribus patet, latitudinem hic eſſe maiorem, quam ut gradus talis determinari poſſit, non maiorem tamen calorem, quam 469. graduum, ſecundum ſcalam noſtram,

ſtram, requiri, dubio carere videtur, quum nunquam ſub hoc gradu veſtigium congelationis Mercurii mihi quidem detegi potuerit. Inde porro fluit, condenſationem, ſive contractionem, adeoque diminutionem voluminis Mercurii, eſſe quidem ingentem, id quod ex profundo Mercurii deſcenſu in Thermometro in congelatione illius ſatis ſuperque intelligitur: quanta tamen ſit haec voluminis Mercurii diminutio, exacte determinari nequit, ob latitudinem dictam, et hinc quoque gravitas, ſeu pondus eius ſpecificum, adcurate determinari non poteſt.

Quum, quo maior voluminis Mercurii diminutio fit, eo maius pondus eius ſpecificum fiat oporteat: patet, propius Mercurii pondus ſpecificum in eius congelatione adpropinquare debere ad aurum, quum iam in ſtatu fluiditatis omnium metallorum proxime ad illud accedat, ſi a Platina, ſemimetallo, abhinc paucis annis in America invento, diſceſſeris, cuius pondus ſpecificum ad aquam eſſe dicitur ut 182: 10 = $18\frac{1}{5}$: 1. Quodſi numerus medius pro puncto congelationis Mercurii ſumatur 650, erit voluminis diminutio facta $\frac{1}{15} + \frac{5}{13}$ ſui parte, adeoque pondus eius ſpecificum auctum quoque $\frac{1}{15} + \frac{5}{13}$ ſui parte erit, ſcilicet ab ea extenſione ſeu volumine, quod habet in calore aquae bullientis; ſed a volumine temperiei aquae in glaciem abeuntis $\frac{1}{20}$. Concipitur et ſupponitur nimirum in Thermometro tota maſſa Mercurii diviſa in 10000, hinc gradus Thermometri ſunt partes decies milleſimae contractionis et condenſationis Mercurii, ita ut e. g. gradus 200. indicet condenſationem eſſe factam $\frac{1}{50}$. Nam $\frac{200}{10000} = \frac{2}{100} = \frac{1}{50}$ *).

Merito hic quaeritur, unde tanta ſit latitudo, quae illius ratio? forſitan non una eſt, ſed plures concurrunt. Nam primum ex ſuperioribus manifeſtum eſt, Mercurium non ſemper integrum fuiſſe congelatum, ſed partem maiorem minoremve fluidam perſtitiſſe. Maior igitur condenſatio et volu-

*) Vid. Memoires de M. De L'Isle pag. 267. et ſeqq.

voluminis Mercurii diminutio facta ſit neceſſe eſt in congelatione plena, quam in partiali. Mercurius igitur in partiali congelatione tam profunde deſcendere non potuit, quam in totali. Deinde in totali quoque congelatione differentia cogitari et concipi poteſt, et debet. Metalla pleraque, uti calore eo magis extenduntur, quo calor maior eſt, donec in ſtatu fluiditatis ſummam nanciſcantur extenſionem: ita quoque, quo maius eſt frigus, cui metalla ſunt expoſita, eo magis quoque contrahuntur et condenſantur. Iam vero in mixtura nivis et ſpiritus nitri modo maius, modo minus frigus eſſe poteſt, et revera eſſe ſolet. Fac igitur frigus eſſe multo maius, quam ad congelationem etiam totalem requiritur, eiusmodi frigus Mercurium non ſolum gelabit, ſed exceſſu ſuo quoque gelatum Mercurium magis condenſabit, adeoque volumen minuet. Haec tamen differentia adeo notabilis in Thermometro eſſe non poteſt.

Multo autem notabilior differentia fieri debet, ſi contingat, ut pars ſuperior primum incipiat congelari, ita ut ſimul tubum capillarem Thermometri obſtruat. Contigit mihi bis, quum Thermometrum prius nive ſepeliverim, et deinde in nivem ſuper bulbum Thermometri ſpiritum acidum infuderim, contigit mihi, inquam, ut pars ſuperior plane eſſet gelata, inferiore maiorem partem fluida exiſtente. In hoc caſu igitur Mercurius profundius, et minus profunde deſcendat neceſſe eſt, prouti congelatio in tubo capillari citius vel tardius contingit. Ergo pro diverſa ratione congelaſcendi, et diverſo frigore, non poteſt non ſemper differentia quaedam in deſcenſu Mercurii naſci, quae exactiſſimam puncti congelationis determinationem impedit. Diximus dubio procul interdum oriri in mixtura frigorifica maius frigus, quam ad congelationem Mercurii neceſſarium ſit. Hoc quidem a poſteriori per experientiam oſtendi nondum poteſt, quoniam Thermometra ſolida, quae hic adhiberi poſſint, adhuc in deſideratis numerantur; probabiliſſime tamen ex phaenomenis concludi poſſe, vel ex celeritate deſcenſus maiore et minore, videtur.

Mer-

Mercurius ſolidus congelatus, uti per ſe patet, non poteſt non deſinere eſſe menſura caloris in Thermometris, quia deſinit ſe debite contrahere et dilatare, quum gradus caloris et frigoris nihil aliud ſint, niſi gradus dilatationis et contractionis Mercurii et aliorum fluidorum, inter quae praecipue ſpiritus vini eminet. Requiritur, ut haec contractio et dilatatio Mercurii, aliorumque fluidorum, fiat proportionaliter, quod ſemper in conficiendis ſcalis Thermometrorum ſupponitur, alias in partes aequales dividi non poſſent; utrum vero in tam inſigni frigore contractio et dilatatio fiat adhuc regulariter, proportionaliter, non ſine ratione dubitari poſſe exiſtimo, certe ſpiritus vini contractionem et dilatationem, cum contractionibus et dilatationibus Mercurii, in gradibus maioribus plane non convenire expertus ſum. Tria Thermometra, ſpiritu vini rectificatiſſimo repleta, cum Mercurialibus Thermometris alias ſatis exacte concordantibus ſumſi, et in materiam noſtram frigorificam immerſi ſimul cum Thermometro Mercurio ſemipleno; quo facto obſervavi, Mercurium fuiſſe congelatum, quum contra ſpiritus vini rectificatiſſimus vix ad 300. deſcendiſſet.

Videtur igitur deſcenſus Mercurii, inprimis quando cum impetu fieri coepit, nullam amplius proportionem in contractione ſua ſervare; hoc ſaltem certum eſt ex obſervatis, harmoniam et concordantiam Thermometrorum Mercurialium, in profundioribus frigoris gradibus, plane deſinere cum Thermometris ſpiritu vini repletis. Ex obſervatis his allatis porro perſpicitur, frigus ad gelandum Mercurium ſufficiens, non continuo eſſe ſufficiens ad congelandum ſpiritum vini rectificatiſſimum; quum tamen Mercurius omnium fluidorum maximum frigus ad congelationem requirere videri poſſit. Inde concludi amplius poteſt, Thermometra ſpiritu vini rectificatiſſimo repleta, inſervire poſſe indicationi diverſi frigoris, maioris et minoris, in maſſa frigorifica, quamvis menſuram frigoris non determinent; poſſunt igitur loco Thermometrorum ſolidorum interim eſſe, et adhiberi, donec idonea ſolida, et ad hunc ſcopum apta, habeamus.

Phaenomenum ſupra indicatum de continuato deſcenſu Mercurii in Thermometris in aere libero, paradoxum omnino videtur, quum frigus in aere libero regnans ſemper multis gradibus a frigore materiae noſtrae frigorificae ſuperetur. Ratio non alia videtur, quam duratio ſolutionis nivis, quae Thermometro adhaeret. Nam quum frigus a materia frigorifica non producatur, niſi in quantum ſolutio et mixtio materiarum contingit: ſane eiusmodi frigus inſigne, quod Mercurium adhuc in aere libero deprimit, aliunde eſſe poſſe non videtur, quam a continuata ſolutione nivis a ſpiritu nitri, Thermometro adhaerentis. Magis adhuc paradoxum videtur phaenomenum, quod interdum Mercurius prius adſcendat, et deinde demum deſcendere incipiat, usque dum Mercurius fiat congelatus; quin non ſemel quoque expertus ſum in nova infuſione et inſtillatione ſpiritus, Mercurium rurſus adſcendere coepiſſe, quamvis iam prope ad punctum congelationis antea deſcendiſſet. Cur hoc fiat, quaeritur: accidiſſe utplurimum hoc mihi viſum eſt, quoties paullo maiorem quantitatem ſpiritus infudi, ita ut Thermometri bulbum immediate attingeret. Aqua adhaerens bulbo Thermometri in cauſſa primum eſſe videtur, quoniam conſtat, ſpiritum nitri aquam calefacere, et nivem frigefacere. Quodſi igitur ſecunda infuſio in eandem materiam frigorificam fit, a nive fuſa, maſſa aquoſa iam eſt. Deinde quando immediate attingit ſpiritus nitri bulbum Thermometri iam inſigniter frigefactum, in ſecunda vel tertia infuſione, Mercurium adſcendere debere facile conſpicitur, quum hic ſpiritus, qui de novo infunditur, multo minus frigidus ſit, quam Mercurius in Thermometro iam frigefactus. Supra monuimus, aquam fortem et ſpiritum nitri fumantem eſſe aptiora ad frigus producendum inſigne, et tale, quo Mercurius congelatur; cui hic addimus, nos, ſpiritum nitri fumantem, et aquam fortem, eſſe omnium ſpirituum, quin omnium materiarum frigus artificiale producere valentium, praeſtantiſſima deprehendiſſe. Multis experimentis aliorum ſpirituum acidorum vim exploravimus. Cepimus primum

oleum

Digitized by Google

oleum vitrioli, quod ſatis conſtat eſſe omnium acidorum fortiſſimum. Quum aqua fortis aliam ob rationem ſpiritui nitri ſimplici non videatur praeferenda in producendo frigore artificiali, quam quod ſit fortior; videtur oleum vitrioli omnium acidorum fortiſſimum et praeſtantiſſimum in producendo frigore artificiali, ad Mercurium gelandum effectum edere debere quoque fortiſſimum. Sed eventus ſpei non reſpondit: nunquam enim oleo vitrioli congelationem Mercurii producere potui, et ſemper maſſa frigorifica, cum oleo vitrioli facta, minus produxiſſe frigus expertus ſum, quam maſſa frigorifica ope aquae fortis facta effecit.

Obſervatur quidem, oleum vitrioli in nivem quam fortiſſime agere, dum momento nivem, quam attingit, ita ſolvit, ut in nihilum redacta videatur: ſed haec ipſa ſolutio, quaſi in inſtanti, videtur eſſe cauſſa, quare tam inſigne frigus non producatur, quam ope aquae fortis, ubi lentior videtur ſolutio, dum communicatio frigoris cum vitro Thermometri, et ipſo Mercurio, tam cito fieri non poteſt; frigoris enim gradus maximi diutius, quam ſolutio maxima, durare nequeunt. Hinc maſſa frigorifica diu quidem maiorem frigoris gradum, quam in aere regnantem, retinere poteſt et ſolet, ſed ſummum frigus mox perire ſolet. Praeter oleum vitrioli alios ſpiritus acidos et non acidos exploravi, ut effectum cognoſcerem, quem in producendo frigore praeſtarent. Nominatim adhibui ſpiritum ſalis marini, ſpiritum ſalis ammoniaci, ſpiritum vitrioli dulcem, Hoffmanni liquorem anodynum, liquorem Beſtuſchevii, vel de la Motte dictum, ſpiritum aceti, ſpiritum ſulphuris, ſpiritum vini rectificatiſſimum, ſpiritum cornu cervi. His liquoribus omnibus vim ineſſe producendi frigus nivi admiſtis mirum omnino videri poteſt et debet, revera tamen in iis eiusmodi vim maiorem et minorem ineſſe, experimenta indubia docuere, quae ad hunc ſcopum a me ſunt capta.

Quoniam ſcopus hic erat tantum, diverſam vim horum fluidorum explorare, quam habeant in producendo frigore, mediocris frigoris gradus in aere ad hunc finem ſufficiebat.

 Ther-

Digitized by Google

Thermometrum monſtrabat 159, et variabatur durantibus experimentis 4. gradibus, dum in fine experimentorum oſtendebat in aere libero 155. Summa experimentorum huc redit: Spiritus ſalis marini, nivi adfuſus, auxit frigus naturale 30. gradibus. Spiritus ſalis ammoniaci 10. gradus frigoris produxit. Oleum vitrioli 35. Spiritus nitri fumans 58, Aqua fortis 40, Spiritus nitri ſimplex 30. Spiritus aceti, uti quoque ſuccus citri, non notabilem differentiam. Spiritus vitrioli dulcis 20, Liquor anodynus Hoffmanni 32, Liquor Beſtuſchevii dictus etiam 32, Spiritus cornu cervi 10, Spiritus ſulphuris 10, Spiritus vini rectificatiſſimus 20, camphoratus 15, Spiritus vini Gallicus 12. Quin etiam vina producere ſolebant frigus, 6. 7. 8. graduum et plurium. Spiritus inflammabiles producere frigus poſſe, et ſolere, mirum omnino videri poteſt, quum ſpiritus vini rectificatiſſimus ipſe ignis liquidus videatur. At enim vero mirari deſinemus, ſi in animum revocaverimus, cauſſam frigoris artificialis a nobis ſupra allatam, ſcilicet ſolutionem nivis a menſtruo, eiusque mixtionem. Quum igitur ſpiritus vini, et ipſa vina, nivem ſolvere poſſint, et cum ea miſceri, mirandum amplius non eſt, novum frigus ea producere valere.

Ergo quidquid ſpirituum nivem ſolvere eique miſceri poteſt, ita ut tertium fluidum conſtituat, illud quoque novum frigus producere valere erit cenſendum. Eſt autem mixtio aeque eſſentialis, ac ſolutio. Nam ſunt fluida ſulphurea alia, ut olea eſſentialia, quae quidem nivem ſolvere, ſed ſolutae miſceri non poſſunt, et hinc quoque nullum effectum in producendo frigore praeſtare queunt. Inſtituimus eo fini experimenta cum oleo menthae, ſerpilli, terebinthinae, ſuccini quoque et aliis; obſervavimus quidem aliquam nivis ſolutionem, ſed nihil plane frigoris, quod non aliam ob cauſſam contigit, et contingere potuit, quam quod haec olea nivi ſolutae miſceri, adeoque tertium quoddam fluidum conſtituere, non potuerint. Quodſi paradoxum videtur, quod haec fluida, inprimis inflammabilia, et ſpiritus fermentati, producere poſſint ac ſoleant frigus, multo magis paradoxum

doxum videri poteſt et debet, quod pleraque horum fluidorum aquae infuſa, non frigus, ut in nive, ſed calorem efficiant, adeoque contrarios et oppoſitos effectus in eadem materia producant: quid enim aqua aliud, quam nix liquefacta eſt? Sic una eademque cauſſa effectus oppoſitos producit, pro diverſa eiusdem obiecti receptivitate, uti loqui conſuevere. Receptivitas autem diverſa unius eiusdemque obiecti et materiae, non niſi a diverſa eius textura pendere poteſt, uti hic a diverſa nivis et aquae textura, ita ut in productione frigoris ſolutio, contra in productione caloris effervescentia quaedam locum habere poſſit. Ac ne forſitan ſuſpicio oriri poſſit, in nive adhuc aliud latere poſſe, praeter aquam ſimplicem, cum ipſa nive liquefacta experimenta inſtitui. De ſpiritu nitri, adeoque aqua forti et ſpiritu nitri fumante iam conſtat, quod nivem frigefaciant, eiusque aquam calefaciant, et de paucis aliis; ſed utrum quoque in aliis fluidis pluribus mihi exploratis haec contraria phaenomena ſint obſervata atque deſcripta, mihi quidem cognitum non eſt. Obſervata mea hic tantum ſummatim indicabo, quia huius loci proprie non ſunt, ſpecialiora, et alia huius generis obſervata, alii tempori reſervamus. Poſtquam aqua et ſpiritus ad eandem temperiem cum Thermometro erant redacta, ſcilicet ad 128. gradus in muſeo meo, obſervavi 1) Oleum vitrioli aquae inſtillatum produxiſſe calorem 35. graduum, 2) Spiritum ſalis marini 10, 3) Spiritum Vitrioli dulcem 15, 4) Liquorem anodynum Hoffmanni 10. 5) Eundem gradum produxit Liquor Beſtuſchevianus, ſcilicet ultra temperiem 128, 6) Spiritus vini rectificatiſſimus 10. Contra ea in ſpiritu ſalis ammoniaci, in ſpiritu ſulphuris, in ſpiritu cornu cervi, nihil mutationis temperiei aquae infuſis obſervare potui, nihil producti caloris, quae omnia hic generatim indicaſſe ſufficiat. Olea etiam ſubtiliſſima aquae infuſa, et hic quoque nullum effectum caloris, uti in nive nullum effectum frigoris, producere poſſe, per eandem rationem ſupra datam, quod ſcilicet nulla miſtio, neque cum nive, neque cum aqua locum habeat, facile intelligi, praevideri, et

prae-

praedici poterat. Nihilo minus de oleo ſuccini, terebinthinae, menthae, et ſerpilli, tentamina fecimus, ut et per experientiam res ab omni dubio liberaretur. Obiter notamus, perhiberi quidem olea eſſentialia, ſpiritui vini rectificatiſſimo mixta, frigus aliquot graduum producere, ſed nihil tale obſervare potuimus, quamvis diutius quam horam dimidiam expectaverimus effectum, moram enim dimidiae horae requirunt.

Ergo ex dictis ſatis patet, quod diximus, quamvis multa ſint fluida frigus artificiale producere valentia, omnium tamen praeſtantiſſimum eſſe ſpiritum nitri cum ſuis ſpeciebus, adeoque ſufficientiſſimum ad Mercurium ſolidum fixumque reddendum, ita ut quilibet Methodo mea ſimplici adhibita, ſufficienti frigoris naturalis gradu, minimum 175. exiſtente, experimenta mea ad congelationem Mercurii producendam facile imitari poſſit; uti quoque, communicata mea methodo, optimo ſucceſſu iam hic Petroburgi ſunt iterata a diverſis, inter quos V. C. Lomonoſovium Conſiliarium, Zeiherum, Aepinum, Modelium, nominaſſe ſufficiat. Proportionem nivis et acidi nitri nullam determinatam adhibui, modo inſtillatis paucis tantum guttis in nivem experimentum ſucceſſit, modo maiorem portionem infudi. Nivem glaciei contuſae eſſe praeferendam, vel ex eo concludi poſſe videtur, quod nix, ob texturam ſuam raram, ad ſolutionem aptior deprehendatur adcommodatiorque. Deinde effuſio ſpiritus, a Fahrenheitio et aliis eum imitatis adhibita, plus obeſſe, quam prodeſſe videtur. Quodſi obſervata et obſervanda diverſorum in poſterum conferentur, dubium eſſe non poteſt, quin egregia incrementa haec de Mercurio frigore figendo doctrina ſit captura, aliisque inventis anſam ſuppeditatura. Porro ex dictis ſatis quoque patet, Mercurium non tam loco numeroque Semi-Metallorum, ſed perfectorum eſſe habendum, quod vero minimo omnium Metallorum gradu caloris fluat. Nam fuſa Metalla cum Mercurio vivo ſeu fuſo conveniunt quoque, quod partes eorum mutuo ſe trahant, in globulos ſe colligant, item ex ſtatu fluiditatis,

non

Digitized by Google

non in inſtanti, ſed ſucceſſive in ſtatum ſoliditatis tranſeant, et vice verſa. Quaeri poteſt, an non hoc Metallum, quod omnes aliorum proprietates habet in ſtatu ſoliditatis et fluiditatis, hoc ſibi tamen proprium habeat, quod ad ebullitionem certo caloris gradu redigi poſſit, quod neutiquam vero in reliquis metallis obſervare licet. Sed eſſe et alia metalla bullitionis ſub certa conditione capacia, quin ipſius quoque volatilitatis, iam ab aliis oſtenſum eſt, quod in praeſenti diſquirere pluribus non licet. Gradum autem caloris, ſub quo Mercurius ebullire incipiat, non eſſe 600. ſcalae Fahrenheitianae, uti vulgo traditur, ſed minimum 709. eiusdem ſcalae, ſive 414. noſtrae ſupra 0 calorem aquae bullientis, (nam et hic punctum ebullitionis tam adcurate determinari nequit; uti punctum congelationis Mercurii, ob phaenomenorum differentiam,) multis experimentis iam alias oſtendi, et probatum dedi. Error igitur maior quam centum graduum comittitur, ſi punctum ebullitionis ponatur 600 ſcalae Fahrenheitianae, qui numerus cum $323\frac{1}{3}$ noſtrae ſcalae convenit ſupra punctum ebullitionis aquae. Habent ceterum phaenomena ebullitionis et congelationis Mercurii hoc commune, ut quando ebullire incipit, cum impetu adſcendere, uti cum impetu deſcendere incipiat, quando congelaſcere incipit. Porro motum vibratorium ſaepius ante deſcenſum illum celerem in congelatione Mercurii obſervavi, qui etiam contingere ſolet paullo ante initium ebullitionis illius. Quodſi igitur ponere lubeat terminum congelationis Mercurii 650. tanquam medium quendam ſecundum obſervata noſtra, et terminum ebullitionis 414. ſupra 0: conſpicitur a ſumma contractione ad ſummam dilatationem eſſe diſtantiam 1064. graduum ſcalae noſtrae, et Fahrenheitianae 1237, ſi ſcilicet ponatur, uti ponendum eſt, numerum 212. ſcalae Fahrenheitianae eſſe aequalem ciphrae ebullitionis aquae notae, et 32 = 150 ſcalae noſtrae. Hinc, quanta ponderis ſpecifici mutatio, a termino ebullitionis ad terminum congelationis Mercurii fiat, nemo non intelli-

telligere facile poteſt. Diminuitur ſcilicet volumen, quod Mercurius ad initium ebullitionis habet, plus quam decima ſui parte. Nam ſi ſupponatur ut ſupra, totum volumen, quod Mercurius in ſumma ſua extenſione habet, eſſe 10000, erit diminutio $= \frac{1064}{10000} = \frac{1}{9} + \frac{51}{133}$; Sive ſi extenſio ſumma ab initio ebullitionis Mercurii ad illius congelationem ponatur rotunde tantum 1000, adcurate diminutio voluminis a ſumma extenſione ad ſummam contractionem erit $\frac{1}{10}$. Ergo quoque gravitas ſpecifica a ſumma dilatatione decima ſui parte augeatur oportet ad ſummam condenſationem et contractionem, quae in illius congelatione contingit.

Quaeri adhuc poteſt, cur mixtura nivis et acidi nitri in maſſam ſolidam non abeat, glaciemque formet, ſed mollioris conſiſtentiae maneat, quamvis multo maiorem frigoris gradum poſſideat, quam ad congelationem aquae fortis requiratur? Aquam fortem, ut ſupra iam monuimus, frigoris gradus 204, ſive 34. Fahrenheitianae ſcalae infra 0. gelavit. Maſſa noſtra frigorifica ſaepius 250. et ultra, gradus tenuit, et mollis inſtar pultis permanſit. Cauſſa huius phaenomeni paradoxi non alia eſſe videtur, quam continuatio ſolutionis nivis et mixtionis. Nam quum frigoris productio a ſolutione et mixtione unice pendeat, fieri non poteſt, ut maſſa haec, quae fluidum tertii generis conſtituit, in glaciem perfectam abeat, dum eam ſolutio et mixtio perſeverans non poteſt non impedire, quae in puncto maximi frigoris perfectiſſima ſit oportet.

Poſſunt adhuc aliae quaeſtiones, tam de natura Metallorum, quam frigoris artificialis indole, inſtitui, et quae partim ex ſuperioribus ſolvi poſſunt, quas autem in praeſenti lubens praetereo.

BIBLIOTHECA SIVE SUPELLEX LIBRORUM impreſſorum in omni genere ſcientiarum, maximam partem rariſſimorum, quos per plurimos annos collegit,

Digitized by Google

git, iuſto ordine diſpoſuit, atque notis litterariis, ut hiſtoricae bibliognoſiae opes aliquantulum augeantur, illuſtravit ADAMUS RUDOLPHUS SOLGER, Miniſterii eccleſiaſtici Norimbergenſis Antiſtes, in aede Parochiali primaria d. Sebaldi Paſtor etc. Accedit index Auctorum. PARS II.

Norimbergae 1761. ſumtibus officinae Io. Andreae Endteri, 1. Alph. 9. plag. in 8.

Solemus hoc utplurimum queri, quotquot bonis litteris operam damus, ita nobiscum agi in hac vita, ut in ſumma aviditate diſcendi, tamen non ita multum proficiamus. Quae res, uti varias habet cauſſas, quarum maxima in imbecillitate ingeniorum noſtrorum poſita eſt; ita hanc quoque, caritatem librorum, ſine quibus nemo excellere in ullo genere poteſt. Quid enim? Sunt nobis utplurimum ducenti, trecenti libelli, iique non ſemper praeſtantes, e quibus ſapimus, et omnis ille labor, quem docti viri in augendis ſcientiis impendunt, ſi verum dicere liceat, in callum cadit, quod plurima pars ſtudioſorum vix ipſos libros novit, multo minus rem. Magna itaque pars eruditionis eſt noſſe bonos libros, qui te, quaſi compendiaria via, ad ſumma quaevis ducant. Laudandum itaque eſt, vehementerque commendandum eruditorum hominum inſtitutum, qui ſcriptis efficiunt, ut notitia bonorum librorum, res multorum annorum, ſi ſingula et omnia a noſtrum unoquoque indaganda et conquirenda eſſent, ea ut paucos intra annos non male addiſci queat. Pertinet eo inprimis ratio ea, cuius auctorem Photium fuiſſe intelleximus, qua docti viri quos legerint poſſederintve libros notos facere ceteris enarrando ſolent. Quo in genere, et ante noſtram, et noſtra aetate eminuerunt quamplures, quos inter merito Solgerum noſtrum referimus, virum doctum, beneque de eccleſia meritum. Iam vero, ut Cato dicere ſolebat,

 ſum-

Digitized by Google

ſummorum virorum non ſolum negotii, verum etiam otii rationem extare debere, ita noſter etiam Solgerus, ut non ſolum de religione ſua in munere faciendo, ſed de cetera quoque graviſſimis in rebus ſollertia ac dexteritate teſtimonium extaret, bibliothecae ſuae quaſi hiſtoriam nobis aliquam edidit, cuius et prior Pars ſe eruditis valde probavit, et haec non minus placebit, ut confidimus. Neque enim ſolum tituli librorum extant, quamquam etiam hoc laudandum eſſet, ſed quid tractent libri, quam boni ſint, quamque rari, quae editio princeps, quid docti viri de hoc vel illo iudicaverint, quae fata libri fuerint, ea omnia magna diligentia Solgerus conquiſivit. Itaque qui hunc Catalogum accurate perlegerit, ſcito ſe plurimum in eo genere didiciſſe. Continentur vero hoc libro primum codices biblici quamplurimi optimae notae, ac rariſſimi, Commentatores deinde, Gloſſatores, Exegetae, poſt Homiletae, et aſcetici libri. Sequuntur Theologici, quos Dogmatico-Polemicos vocant, Caſuiſtici porro, et Miſcellanei Theologici. Scriptorum Hiſtoriae eccleſiaſticae, Ceremoniarum, Liturgiarum, multi et boni, Auctores Hiſtoriae Catholicae et ſingulorum populorum non minus egregii, uti etiam litterariae hiſtoriae fontes, Antiquitatum, Genealogiarum, artisque Heraldicae, Latini et Graeci nonnulli, et ſi qui alii ad has litteras pertinent. Paradoxos, Fanaticos, impiosque ac prohibitos bene multos collegit, miſcellaneos quos vocant, grammaticos hiſtoricosque alios, et Iuridicos denique. Atque haec de ratione totius inſtituti dicta ſunto. Extant ibi egregia multa, multa non facile obvia, aut vilia, ſed cara inprimis et pretioſa. Averet ſane animus ſingulas annotationes auctoris, doctas eas et elegantes ſigillatim expendere, quo maiorem lucem noſtra haec recenſio acciperet; et haberet id magnam ſane utilitatem. Verum omnia quae ſunt bona excerpere, nihil eſſet quam dimidium librum deſcribendo huc transferre; ſingula illu

ſtrare,

Digitized by Google

ſtrare, quid eſſet, quam librum novum conficere, hoc noſtro vel ſexies maiorem? Quamobrem haec ſufficiant γενικῶς dicta, cum iudicium noſtrum ipſa libri huius praeſtantia legentibus confirmatura ſit, utilitasque, quam maximam capient, qui hunc ſibi vehementer commendatum eſſe volent. Felicitas poterat videri, Solgero noſtro tam ſplendidam bibliothecam eſſe, iam vero cum ipſe ſuo labore et elegantia ſingulari collegerit, cum hoc genus voluptatis, dignum ſummo viro, prae ceteris elegerit, cum hac copia ad optima quaeque utatur, plus eſt, virtus eſt, quam vellemus imitarentur potius, qui italas gallicasque ineptias dignas homine docto putant.

A. GELLII NOCTIUM ATTICARUM LIBRI XX. ſicut ſuperſunt. Editio Gronoviana. Praefatus eſt et Excurſus operi adiecit IOH. LUDOVICUS CONRADI, Iur. D. et in Collegio maiori Princ. Collegiatus. PARS PRIMA.

Lipſiae, ſumptu Gotth. Theophili Georgii, anno a. C. n. 1762. octonis.

A. Gellii, ſive, quorundam ad ſententiam, Agellii, olim ab utroque Gronovio curati, atque ex eorum non ſolum penu, ſed aliorum etiam qui expromti ſunt commentariis illuſtrati exempla, in terra praeſertim Germania, difficile comparari poterant. Ea re librarius negociator videtur adductus, ut e machinis Salbachii, quo vel hoc nomine commendari poſſet, denuo exire iuberet illam Gellii editionem, cum omnibus, quas Gronovii collegerant opibus, nullis earum, etiamſi id paſſim, ſine Gellii detrimento, fieri potuiſſet, detractis. Quum vero Georgius audiviſſet, multa a Gellio, ad ius quae pertinerent civile, tractata eſſe, in quibus interpretandis Gronovii et aliorum induſtriae largam reliquiſſent materiam, ne-

Digitized by Google

noſtrum adiit Conradum, virum iuris civilis Romani litterarumque cognitione accuratiſſima praeditum, ut qui de iure Romano agerent Gellii locos aut enarraret amplius, aut ſi quid inibi erraſſent interpretes, id ſua qua valet dexteritate corrigeret. Conveniunt invicem, accepit conditionem Conradus. Hic itaque ad finem totius operis, coronidis veluti loco, ad exemplum clariſſimorum virorum, Erneſtii noſtri, Lipſii, Cortii, quos dicunt addet Excurſus, quorum guſtus interim ut daretur lectori, etiam hanc partem nonnullis ornavit, unde illius, quam antea iam ſaepe admirati ſumus, doctrina atque ingenium elucet. Ad ordinem autem, ne hoc te lateat, iuris civilis Pandectes omnia, quae Gellium adiuvabant, tractavit argumenta, quorum indices tantum hic dabimus loci: 1) de Cn. Flavio. 2) de Laelio Felice. 3) de Privilegiis. 4) de Venditione ſervorum ſub corona. 5) de publico Munere vel Officio. 6) de Arrogationibus auctoritate Principum factis. 7) de Praefectis urbi. 8) Quomodo in cauſſa dubia pronuntiandum. 9) de Imagine iuſtitiae Chryſippea. Sed non committendum eſſe duximus, ut Enoci Chriſtiani Aug. Othonis, A. M. quam nuper in Plauto, dudum in Giſanii Obſervationibus L. L. edendis comperimus, doctrina et diligentia, hic ſilentio tranſigeretur. Is enim non ſolum pericula machinariae ſcripturae ut emendarentur ſuſcepit laborem, et quae Iac. Gronovius addenda, inter quae Gaſp. Scioppii erant variae lectiones, Stephanicae editionis exemplo quodam adſcriptae, extremo operi adiecerat, ſuo cuique loco ſub ipſa contextus ſerie indidit; ſed etiam ſubinde notas adſperſit haud contemnendas. Ex his nobis praecipue ſe adprobant, quae ſuper loco Gellii lib. I. cap. 9. pag. 82. expromit, ubi legendum eſſe ſuſpicatur admodum probabiliter: *quod in iure antiquo verbo appellabatur, hercto non cito.* Item lib. II. cap. 26. pag. 235. ubi ex MSS. veſtigiis legendum

cen-

cenſet: *Ruſſus enim color et ruber nihil a vocabulo ruſi diducunt*, pro vulgato *differunt*. Lib. III. cap. 2. pag. 258. Scriverium corrigit, quippe qui, quod ignoraret, *τὸ poſſe* interdum vim habere *τῦ oportere*, apud Gellium legere malebat: *plus*, *quam oportuit*, pro *potuit*. Ingenioſe ſatis interpretatur Varronis proverbium apud Gellium lib. III. cap. 16. pag. 307. κατ' Ἀριστοτέλη, non ad ſententiam Ariſtotelis, quemadmodum vulgo ſolent, ſed ad modum ingenii Ariſtotelis, ut ei contrarium ſit alterum ὄνοι λύρας, pro ſtupidis quod accipitur. Etiam data occaſione aliorum ſcriptorum loca emendat, ut lib. IV. cap. 16. pag. 363. Calphurnii locum ad Terent. Heaut. 2. 3. 46. Haec tantum ex multis pauca ſunt quaſi delibata, ut cognoſcerent Lectores, quanti illae acceſſiones faciendae ſint.

NOVA LITTERARIA.

Praemia ab Imperiali Academia Scientiarum Petropolitana propoſita.

In Annum 1760. propoſita fuit quaeſtio:

Indagare experimentis refractionem radiorum lucis in diverſis corporibus, tam ſolidis, quam fluidis, indeque eruere, quantum diverſae gravitati ſpecificae corporum, quantumque variae particularum cohaeſioni, aut principiis corpora conſtituentibus, magnitudo refractionis debeat, idque omne per theoriam, quae inſtitutis experimentis reſpondeat, explicare.

In Annum 1761.

Determinare theoriam perturbationum, quas patiuntur Cometae in motu ſuo ab attractione planetarum, et demonſtrare, quantum haec Theoria cum obſervationibus Cometae anni 1759. conveniat?

In Annum 1762.

Inveſtigare, quantum imperfectiones tuborum opticorum et microſcopiorum ex diverſa refrangibilitate radiorum, ac figura vitrorum ſphaerica ortae, per combinationem plurium lentium corrigi, aut imminui, queant, atque theoriam praxi aptare, et per experimenta comprobare. De

De priori quaeſtione iam ſuperiore anno indicatae ſunt rationes, quae impediverunt, quo minus diſſertationi de hac materia ad Academiam miſſae praemium tribui potuerit. Cumque ſimilis ratio obſtiterit conferendo praemio anno praeterito promulgati: ideo Academia Scientiarum Imperialis declarat, liberum fore, ſi quis inpoſterum quoque ſolutiones propoſitarum quaeſtionum, prout deſiderantur, ſpe praemii obtinendi, ad ipſam mittere velit. Reiterat quoque quaeſtionem in annum 1762. propoſitam, et pro anno 1763. exhibet ſequentem:

Cum inter omnes artis fuſoriae peritos conſtet, mineras metallicas plurimas additamentis variis (Zuſchläge) indigere, ante quam calcinationi et fuſioni committantur, idque eo fine, ut partim heterogeneae mineris adhaerentes partes commodius ſeparentur, partim vero ut pars ipſa metallica facilius praeceps detur: Quaeritur „utrum dentur methodi partem me„tallicam quamcunque ex minera ſeparandi, quae non tantum „breviores, verum etiam minus ſumtuoſae ſint, ita ut tot va„riis additamentis in arte fuſoria uſitatis ſuperſedere quea„mus, uno vel altero eorum ſufficiente, et aptiſſima ſint haec „additamenta ad ſingulas metallorum ſpecies? Huius problematis ſolutionem, rationibus et experimentis fultam et enucleatam, Academia expectat.

Invitantur ergo omnium gentium Viri docti, ut cogitata ſua atque obſervata de ſupra memoratis quaeſtionibus cum Academia communicent, ea temporis ratione habita, ut diſſertationes ante diem 1. Iunii cuiusque anni, Petropolin pervenire poſſint. Praemium pro cuiuslibet quaeſtionis ſolutione optima, erit centum aureorum, quos vulgo *Ducatos* vocant.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Auguſti Anno MDCCLXI.

PINACOTHECA PRINCIPUM AUSTRIAE, IN QUA Marchionum, Ducum, Archiducumque Auſtriae utriusque ſexus ſimulacra, ſtatuae, anaglypha, caeteraque ſculpta caelata pictave monumenta, tabulis aeneis inciſa, referuntur et commentariis illuſtrantur. Opus in duas partes tributum, quod eſt Monumentorum Aug. Domus Auſtriacae TOMI III. PARS POSTERIOR, continens commentarium, quo tabulae aeri inciſae reliquae exponuntur, ſubiecto indice. Operam et ſtudium conferentibus P. R. P. MARQUARDO HERGOTT, Ord. S. Benedicti Principalis Aſceterii ad S. Blaſium Capitul. Reverendiſſ. ac Celſiſſ. S. R. I. Principi San-Blaſiano a ſecretis conſiliis, Vices gerente, et Praepoſito in Crozingen, nec non Sacr. Caeſ. Reg. Maieſtatis Conſiliario et Hiſtoriographo: et M. R. P. RUSTENO HEER, eiusdem Congregationis Capitulari, Bibliothecae San-Blaſianae Praefecto, et numophylacii directore. Permiſſu ſuperiorum.

Friburgi Briſgoviae, typis Io. Andreae Satron, Sac. Caeſ. et Reg. Apoſtolicae Maieſtatis excelſorum Dicaſteriorum, Repraeſentationis, Regiminis, et Camerae Provinc. anter. Auſtr. ut et almae Univerſitatis Typographi. MDCCLX. 2. Alph. 2. plag. in fol.

 Sub-

Digitized by Google

Subſtiteramus nuper in enarrandis imaginibus Auſtriacis, cuius rei finem nunc, ſi ita fieri poterit, faciemus. Incipiemus itaque a Maximiliano I. Imp. cum duabus eius uxoribus, et ſponſa, nec non Margaritha filia, quod libr. I. c. XVII. apud Hergottum conſtituit. Eſt autem in rupe altiſſima Tyrolenſis regionis ſpecies Salvatoris cruci affixi, quam ille Imperator in memoriam periculi ſui poſuit. Notiſſima eſt hiſtoria, Maximilianum, cum damas inſequeretur, aliquando eo eniſum eſſe, unde deſcenſus nullus deinde pateret, ut moriendum ipſi fuiſſet, inſpectantibus ſuis, niſi ignotus aliquis ruſticus, iuvenili forma, viam oſtendiſſet, duxiſſetque; quem aiunt angelum fuiſſe, quod deinde amplius viſus non eſt. Sed totam hiſtoriam ſunt, qui valde in dubitationem vocent. Nam primum Pfinzingerus in nobili poemate Theuerdanck, quae quaſi Maximilias aliqua ſed tecte eſt, is plane ſilet, niſi quod hoc unum habet, Maximilianum aliquando in tale periculum deveniſſe, ſed miniſtrorum dexteritate fideque ereptum. Silent etiam alii; et quaedam quae adduntur manifeſte falſa inveniuntur. Cui rei quamquam poſſit aliqua ratione ſuccurri, quia ſunt tamen non pauci qui id commemorent; et Theurdanckii ſilentium poteſt e modeſtia eſſe; aiunt enim eum librum ab ipſo Imp. ſcriptum eſſe: tamen, quia Auctores, quanquam dicunt de periculo, quod aliquando fuerit, nihil de portentoſa illa liberatione addunt, nobis tota res ſuſpecta videtur. Et quanquam non ideo negemus, quia Lutherani ſumus, ut Hergottus vult, (pertinet enim ad nos Imperator, qui dixit: *Wenn die Pfaffen fromm wären, dürfte kein Luther kommen*, i. e. ſacrificuli noſtri ſi probiores eſſent, Luthero nullo opus haberemus;) Lutherani etiam multi eam hiſtoriolam credant ipſi: tamen, ſi ſine ſtudio alterutrius partis dicendum eſt, nobis tota ea res valde ſuſpecta eſt. Icon Maximiliani, cum corona laurea, qua mirifice ſolebat delectari, in MS. Fuggeriano eſt, atque inde deſcripta in Bibliotheca Vindobonenſi aſſervatur. Ibidem Maria eſt, prima eius coniux, roſam manibus tenens, quod ea aetate forte elegans videbatur. Alia eſt icon, ex eodem codice,

codice, cataphracti, cum integro ornatu, et ex altera parte ſponſa eius Anna Britannica, quae, notum eſt, quomodo a Galliarum rege Maximiliano praerepta fuerit. Alia eſt imago habitu Perſico, Schubam dicunt, et uxoris Blancae Mariae, Ducis Mediolanenſis filiae. Dives femina, ſed quae cum magna dote magnas moleſtias ad Maximilianum attulit. Sed minime ſpectabat divitias Caeſar, erat enim ipſe ſatis locuples, quod adverſus nonnullos recte obſervat defenditque Hergottus; ſed virtutem potius, a qua eam valde et oratores et hiſtorici collaudant. Alia effigies Maximiliani in thecis Heraeanis eſt, cum torque velleris Colchici, ut vocant, manu altera libris impoſita; erat enim, quod ſatis conſtat, bonarum artium renaſcentiumque litterarum cupidiſſimus. Fuit vero et ipſe, pro temporum ſuorum ratione, haud mediocriter doctus. Durerianae autem Maximiliani effigies ligneae, collo nudo, cetera pellibus tectae. Talis quoque, ſed inferior arte, pictura, a Ioanne Leydenſi eſt, a Io. Suyderhoof autem ſculpta. Alia e Montefalconii libro, quem priore Sectione ſaepe laudabamus, deſumta eſt, quae ad vivum picta exiſtimatur, et aetate provectiorem exhibet. Aliam Durerus paullo ante mortem Maxim. ſculpſiſſe videtur, quam aere expreſſit Lucas de Hollandia, pictor. Petaſus non multum a noſtris differt. Alia quoque extat imago ab eodem Durero, huic non diſſimilis. Frugalis princeps, et vere imperatorio animo et corpore, conſtans etiam, et laborum patientiſſimus. Neapoli Auſtriae eſt tabula Altaris, quae Maximilianum cum variis ſuorum miniſtrorum, pontificemque, ad Mariam deiparam procumbentes, exhibet. Aliud ſpecimen eſt venatorio habitu, quod in gazis aulae Auſtriacae aſſervatur, et in Fuggeriano MS. etiam eſt. Alia eſt ſtatua equeſtris, ubi armatus ipſe, armatus et equus. Pedeſtris in Clauſtro Neoburgenſi ſervatur, ſed ea ambigua, nam fortaſſe Friderici patris eſt. Friburgi Briſgoiae domus, ubi conventus mercatorum aguntur, quatuor ſtatuas habet, Maximiliani primum, deinde Philippi filii, Caroli denique et Ferdinandi, nepotum, quae olim pro ducum quorundam Zaringenſium iconibus

 ſunt

Digitized by Google

ſunt habitae. Sed ſunt horum, ut diximus, et poſitae in memoriam grati animi a civibus illius oppidi, quibus Maximilianus egregie favit. Niveo e marmore aliqua in aula Vindobonenſi eſt, Strudelii opus. Alia eſt Antwerpiae, inter duodecim alias Caeſarum effigies, artifice Theodoro a Thulden, quas excudi curavit inter alia plura Caſp. Gevartius. Alia eſt e Iacobi Schenckii armamentario Ambraſiano, quae parum a Gevartiana differt. Ceteris vero omnibus palmam praeripit ea, quae Oeniponti eſt, cum corona et pallio imperatorio, cui magna auctoritas eſt, eam Caeſarem hunc optime exprimere. Fuit autem Maximilianus genealogiae ſtudioſiſſimus, et hiſtoriae domus ſuae, quam ob rem valde apud illum gratioſus erat Iacobus Manlius, quem miſit ut undique monumen... hiſtoriarum conquireret; qua occaſione multi graeci latinique auctores, quamquam illi non quaererentur, inventi, in lucem prodiere. Itaque etiamnum extat genealogiae opus ingens in Bibl. Vindob. quod quanquam non ſit adeo magnae auctoritatis, tamen inde apparet quam ſtudioſus hiſtoriae Maximilianus fuerit, cuius auctoritate id conſcriptum eſt. Solent ſummi Principes romani ritus inter cetera opera etiam eremos conſtruere, ubi vacui curis, liberique a maieſtate, poſſint delicias vitae privatae deguſtare; quales fere apud veteres Romanos *cellae pauperum*, ut Martialis appellat, fuiſſe videntur: talis etiamnum Neapoli Auſtriae eſt, ab hoc Caeſare extructus locus, quem auctor noſter deſcribit latius. In eiusdem civitatis templo feneſtra eſt picta, in qua eſt primum Maximilianus, deinde a ſiniſtra eius uxor ſecunda Blanca Maria, a dextris Philippus Pulcher filius, rex Caſtiliae, a ſiniſtris demum huius mater, Maximiliani prior uxor, Maria Burgundica. Aliae duae ſtatuae ſunt, prior e *Tertio* Oeniponti, inciſa aeri circa annum eiusdem ſaeculi ſexageſimum nonum, altera ex iconibus principum Tyrolenſium, qui a *Dominico Cuſtode* editi ſunt anno 1622. Mortui quoque facies depicta denuo eſt, quae invenitur in MS. Fuggeriano. Uxor erat Maria Burgundica, cuius ſimulacrum ex aere fuſum,

Digitized by Google

ſum, Oeniponti inter cetera in templo eſt, libellum tenens; avida enim legendorum bonorum librorum fuit, maſcula femina et venatrix, pulcritudine et animo excellens. Eandem videtur Oenipontanam ſtatuam Tertius expreſſiſſe, ſed minus accurate. Protomas quoque duas habemus, alteram a Soudmanno delineatam, a Suyderhofio ſculptam; altera in Petri Scriverii opere, de Comitibus Hollandiae, invenitur. Habet vero auctor etiam tumuli huius Mariae delineationem. Blanca Maria ſequitur: et huius ſtatua inter Oenipontanas eſt. Recentior eſt illa altera, quae in monaſterio Stirpinenſi in Tyroli viſitur. Aliam imaginem thecae Heraeanae, aliam *Kilianus*, exhibent. Margarithae, Maximiliani filiae, ſtatua Oeniponti eſt, ſed quia auctori ſua delineatio periit, ſupplevit eam e Tertio. Semper vidualem habitum praefert, ubicunque demum eius imagines videamus, nam bis vidua facta eſt, cum vix viceſimum quintum aetatis annum impleſſet, quae bonorum morum femina fuit. Sunt etiam inſcriptiones aliquae, quae, quia nihil ſingularis habent, a nobis omittuntur. Incipit iam Liber II. qui capite primo Philippum I. regem Caſtiliae, cum uxore et filiabus, continet, Maximiliani filium. Prima eſt protome e Muſaeo Comitis de Weiſſenwolff, vera ac genuina imagine: conſentiunt enim nummi. Aliam Montefalconius, e ſcriniis Gagnerianis edidit, iuvenili ſpecie. Minus iuvenem exhibet T. *Moſtaert*, in Scriverii Comitibus Hollandiae. Eleganti pulcritudine Philippus fuit, qui a patre ac matre egregia omnia traheret. Aliam a Petro de Iode ſculptam, in theatro Pontificum et Imperatorum, Antwerpiae 1651. editam, invenies. Oeniponti ſtatua aenea eſt, cuius exemplum Tertius edidit, ſed minus id accurate, ut apparet. Iodius, quem diximus, et Ioannam Philippi uxorem, Ferdinandi Catholici filiam, aeri incidit. Habitus eſt viduae, nam poſt mortem mariti bonas conditiones repudiavit, maritumque ita luxit, ut attonitae ſimilis eſſet. Eius ſtatua Oeniponti eſt. Filia eius erat Eleonora, quae primum Emanueli nupſit, Luſitanorum regi, deinde Franciſco I. Gallo, quo etiam mortuo ad fratrem Carolum I.

 red-

rediit, atque in Hiſpania diem obiit ſupremum. Eius imago a Montefalconio e Gagnerianis deprompta eſt, librum manibus tenentis, cum inſcriptione: Carolus Quintus; quod, quale ſit, non intelligitur. Eiusdem, viduae protome, proveƈtiorisque aetate ut omnia arguunt, ibidem cernitur. Sequitur alterius Philippi filiae, Mariae, protome, itidem cum velo, viduitatis ſigno. Nupſerat Ludovico Hungariae regi, ei, qui a Turcis occiſus eſt, quam merito laudat Thuanus. Picta vero eſt decrepita; iuvencula valde pulcra fuit. Catharina, Philippi filia poſthuma fuit. Ea cum noſtro venerabili principi, Ioanni Confeſſori, Sax. Duci, deſponſata eſſet, cum ille ad veram pietatem a pontificali ſuperſtitione tranſiret denegata ei eſt, nupſitque Ioanni alii, Regi Luſitaniae, cuius icon inter Heraeanas eſt. Sunt etiam inſcriptiones, quae huc referantur, quae, quod nihil ſingulare habent, praeter aedificationes nonnullas, quarum memoriae gratia poſitae ſunt, hic omittuntur. Caput vero ſecundum nobile argumentum habet, Carolum V. Imperatorem, cum uxore et liberis. Caroli Quinti duae ſtatuae, altera a *Schrenckio*, altera a *Tertio*, parum inter ſe quidem differunt, ſed prima eius vultum naturalius videtur exprimere. Eſt etiam imago, quae conventum duorum fratrum Caroli et Ferdinandi deſignat, quam Antonius Ulricus, Dux Saxo-Meinungenſis cum auctore communicavit. Pompam, quae tunc fuit, cum Carolus Bononiae a Papa coronaretur, eam totam octo et triginta tabulis complexus eſt Nicolaus Hoghenberg, coaevus pictor, quae conquiſitae diligenter inter Fuggerianas ſunt. Iſtas auctor minime curavit depingendas, eſſet enim res valde ſumtuoſa; ſed deſcriptionem tamen illius pompae addit, et quid tunc factum ſit recenſet, quod ſi cui volupe eſt cognoſcere, melius apud Hergottum viderit, eſt enim prolixius. Paulus Iovius eum nobis Caeſarem oratione depingit, cui ſi reſpondet veritas, fuit ſane in Caroli habitu corporis id, quod magnum virum et argueret et deceret. In Tyroli, in monte Brenner, monumentum eſt, quod conventum Caroli et Ferdinandi fratrum exprimit, qui aliquando factus ſit. Protomas habe-

habemus tres potiſſimum; primam e Weiſſenwolfianis, ſecundam ex Heraeanis, opus C. Galle, tertiam a celeberrimo pictore *Titiano*, quae inter Comites Hollandiae a Scriverio exhibita eſt. Maximam auctoritatem ultima ob pictoris nobilitatem habet, quem hominem valde Carolus amavit, munificentiſſimeque habuit, ita ut ſaepe etiam in eius officinam, plane ut Alexander in Apellis, commearet. Elegantem etiam Caroli deſcriptionem Heuterus habet, Maſenius, Pantaleon, Munſterus, et Miniana, qui videri apud auctorem poſſunt. Alia tabula eſt, quae Carolum V. et Franciſcum I. Gallum, manus iungentes depingit. Archetypon olim Sinzendorfius Cancellarius Caroli VI. posſidebat. Alia imago Rubenium, egregium illum pictorem, habet auctorem. Animo qualis fuerit Carolus, Iovius et Heuterus optime declarant: virtutes vere imperatoriae, animus excellens, conſiliorum maturitas, virtus in faciendo opere, doctus etiam et amans omnium bonarum artium. Ultima denique imago ex Heraeanis thecis eſt. Statuam fecit Theod. a Thulden, quae imperatorem armatum ſiſtit; altera Friburgi Briſgoiae eſt, ſed minoris auctoritatis. In gaza Aulae Vindobonenſis Sardonix eſt, cui inſculptae ſunt tres imagines, Caroli nempe, Iſabellae uxoris, et Philippi filii. Habitus vetuſtiores, et antiquitatis graecae romanaeque; poſtica pars inſcriptionem habet. Aliam protomen Cuſtos, aliam Heydenus expreſſit, quam Furſtenius in Aquila Auſtriaca edidit. Iſabellae f. Eliſabethae eius uxoris tres potisſimum ſunt. Una apud laudatum Iodium, altera ex Iconibus Eugenii Sabaudi. Tertia e *Tertio* eſt. Formam Iſabellae aiunt perbonam fuiſſe: quanquam, quae femina princeps non ideo collaudatur? animum etiam pariter cultum fuiſſe. Ioannae, Caroli V. filiae, Ioannis regis Luſitaniae uxoris, imago pariter e Tertio deſumta eſt. Alia filia erat Maria, quae deinde Maximiliano ſecundo, Caroli e fratre nepoti, nupſit, picta a Marcetto, excuſa a Liefrinckio. Habet hoc loco auctor multas inſcriptiones perelegantes, et epigrammata valde bona, quae in honorem huius noſtri Quinti facta ſunt, quae

qui

Digitized by Google

qui legere voluerit, eum operae ſuae minime poenitebit. Continent enim varia, quae ad vitam Caroli, ac res geſtas pertinent; quibus occaſionibus illa nata ſunt, exponunt, digna eo viro, cuius in memoriam facta ſunt. Verum nos ad caput III. veniamus, in quo de Margaritha, et Ioanne ab Auſtria; itidem Caroli liberis, agitur, quorum vita prioribus Hergotti in Voluminibus invenitur. Margarithae itaque protomas duas habemus, alteram iunioris, a Iodio editam, alteram Khevenhüllerus in iconibus ad Annales Ferdinandeos pertinentibus, edidit. Virilis animi et corporis femina, robuſtique, ſicut id etiam e ſpeciebus illis apparet. Ioannis Auſtriaci imaginem idem Iodius nobis conſervavit. Protome etiam, e marmore niveo, Vindobonae viſitur. Statuae porro duae aliae, altera a Tertio, altera a Schrenckio picta, ſunt in libris, quos ſaepe laudavimus, utraque armata. Quartum iam caput Philippum II. Hiſpanum, et Uxores, nobis oſtendit. Optima eius imago eſt in Scriverio, auctore *Titiano*, quacum etiam deſcriptiones Hiſtoricorum conveniunt, qui multa de decore illius Philippi habent. Habitus qualis provectiori iam aetate fuerit, a Cuſtode traditus, pictura eſt, qualem etiam exhibet ea imago, quae inter Weiſſenwolfianas eſt. Imago animi a Gregorio Leti quaſi depicta eſt, ac prout id decet candidum ſcriptorem, neque vitia, ſi qua fuerint, diſſimulata. Armatum van Sichem expreſſit. Statua vero Philippi quae cernitur, ea e Tertio eſt, armata, qualem etiam fere Schrenckius expreſſit. Uxores autem Philippus omnino habuit quatuor, quarum prima eſt Maria, Io. III. Luſitaniae regis filia. Eſt eius imago inter Eugenianas; aliam Tertius ſervavit. Non diutinae vitae mulier, ſed probae et gratae apud omnes, pulcrae formae etiam. Altera vero erat Maria, nota illa filia Henrici VIII, regina Angliae. Illius etiam ſpecies ex Eugeniana collectione eſt, et Tertianae, qualis etiam extat, perſimilis. Animi dotes vehementer collaudant ſcriptores, praecipue ſi qui pontificiarum partium ſunt; quamquam id a nemine poteſt negari, eam prudentem fuiſſe, ſuoque in genere bonam. Corpore non adeo excelluit.

luit. Burnetus vero recte ſuperſtitionem in muliere reprehendit, quae ſe a ſacrificulis ſuis agi trahique paſſa ſit. Tertia Philippi coniux Eliſabetha, Henrici II. Regis Galliarum filia, ter ſiſtitur. Primum exemplum Montefalconius e ſcriniis Gagnerianis protulit. Alterum e thecis Eugenianis eſt: quae imagines iunctim editae ſunt, ut iam ſupra annotabamus; quale etiam in Muſeo Buoliano eſt. Tertium itidem e Montefalconio, ſcriniisque Gagnerianis deſumtum eſt. Laudatur autem haec femina ob animi corporisque dotes. Mortua eſt immatura, cum abortum feciſſet. Quarta Philippi uxor, Anna Auſtriaca, inter Eugenianas imagines invenitur, quae etiam cum nummis convenit, protome vero aliqua inter Heraeana eſt. Tertius quoque eam depinxit, addito nobili elogio. Inſcriptiones vero extant ſatis multae, quae de operibus factisque Philippi aliquid enarrant, praecipue aedificiis additae, quae huius regis auſpiciis ſunt condita. Viae etiam variae, varii fontes ſunt, quibus additae ſunt inſcriptiones, quas auctor noſter ordine recenſet. Nobiliſſimum vero aedificium a Philippo ſtructum eſt Eſcuriale illud, ut dicitur, qua de re variae inſcriptiones proſtant. Iam vero ad caput V. devenimus, prolem huius regis aliquantulum pertractaturi. Eſt itaque primus ordine Carolus, cuius protomen auctor exhibet, quae eſt inter Eugenianas, reſpondetque etiam nummis. Verum ille Carolus, eſt autem is cui exitiales illae inimicitiae cum patre interceſſerunt, neque corpore neque animo videtur excelluiſſe. Erat enim ipſa ſtructura corporis vitioſa, animus trux, mores inhumani vaſtique. Filia Philippi erat Iſabella, cuius tres habemus imagines. Prima ex Hiſpania in aulam Viennenſem translata; ſecunda e Iodio eſt. Alia ex iconibus comitum Hollandiae deſumta eſt. Qua de femina ſequente Tomo ſe plura dicturum auctor promittit. Altera Philippi filia Catharina nominata eſt, cuius ſchema in thecis Heraei eſt, et apud Khevenhüllerum. Collocata vero fuit Carolo Emanueli Sabaudo, fertili matrimonio uſa. Maſculo animo, nam et moderari regna, et milites in aciem educere, quam

Digitized by Google

quae optime, ſciebat. Auctor noſter etiam Albertum ducem Auſtriae inter liberos Philippi collocavit, quanquam ſit ille Maximiliani II. Imp. filius, quod factum eſt ideo, quia ille et educatus in Hiſpania eſt, et Iſabellam Philippi filiam, quam diximus, duxit uxorem, quae Belgium dotale attulit. Eſt itaque eius imago expreſſa ad eam, quae eſt Schoenbrunni prope Viennam, in tabula picta, armati. Eſt apud Ill. Weiſſenwolfium protome eius, habitu ſacerdotali; alia eum ut Cardinalem expreſſit, cum titulo epiſcopi, nempe ille aliquando hac dignitate fuit, ſed abdicavit ſe ipſe, rediitque ad priſtinum vitae genus. Forma itaque civili recte eum Cuſtos expresſit, quae apud auctorem noſtrum videri poteſt. Aliud ſchema eſt e libro, qui Comites Hollandiae complectitur, auctore Meyſſens. Alia habitu ducali, ex Heraeanis deprompta eſt. Aliam et magnificam quidem imaginem Mullerus e Rubenii archetypo delineavit. Summo in amore omnium ille princeps fuit, cuius favore facile ſperabant Hiſpani diſſentientes Belgas ad ſe redire poſſe; quod quanquam conſilium fruſtraneum fuit, tamen ſpes quanta in eius gratia fuerit facile apparet. Statua etiam Alberti ſiſtitur, deprompta e Schrenckio. Uxor etiam Iſabella ab eodem Mullero ex Archetypo Rubeniano depicta eſt. Femina ab Hiſpanis valde deamata, et, ſi fides laudantibus eſt, vere regia. Vidua facta ſe in ordinem monialium S. Clarae contulit, quali forma etiam picta eſt, cum elogio matris caſtrorum, ritu Romano: interfuit enim non raro caſtris cum marito ſuo, in bello belgico. Sunt inſcriptiones variae, quae ad unam atque alteram vitae Alberti partem colluſtrandam pertinent, factae cum ille dux aut extrueret nova aedificia, aut vetuſta inſtauraret, affixaeque aedificiis illis, praecipue ſacris. Iam capite VI. de Philippo III. Hiſpano uxoreque ac prole aliqua videamus. Philippus itaque, qualem formam tenera aetate habuerit, poteſt conſpici ex ea imagine, quae ex Hiſpania in Auſtriam miſſa eſt, aſſervata aliquando in aedibus archiducalibus Ebersdorfianis. Alia cum lorica et pallio, e Cuſtode eſt. Protome a Iodio facta inter

Euge-

Digitized by Google

Eugeniana reperitur. Aliam Moro pinxit, Scriverius in Comitibus Hollandiae exhibuit. Sunt autem etiam duae aliae, altera Kiliani opus, altera ex Heraeanis a Khevenhüllero deſumta. Religioſus rex, et nimium benignus, qui ipſe nihil mali fecit, niſi hoc, quod miniſtris conceſſit poteſtatem ſuis faciendi quae vellent, quo factum eſt, ut bono loco res Hiſpaniae non eſſent, donec ille regnaret. Uxor erat Margareta, Caroli Styrenſis filia. Eius imago in arce Schoenbrunn aſſervatur. Religioſa femina, ac bona. Filia erat Anna, quae Ludovico XIII. Gallo nupſit, quam Savary et Gaultier una pinxerunt. Aliam protomen ipſi reginae dedicavit Moncornet, cum elogio vitae et factorum brevi. Mottevillia, femina Gallica, eius ſpeciem valde laudat, praecipue quod ſemper hilaris viſa ſit, animus pariter optimus fuit. Quanquam id totum fidei auctorum remittimus: nam cum omnes in univerſum fere ab auctoribus noſtris collaudentur, quid de ſingulis ſtatuendum ſit id nos nunc minime curamus. Filius Philippi erat Carolus, qui cum vix viceſimum quintum aetatis annum attigiſſet mortuus eſt. Tabulam exhibet auctor nobis eam, quae aliquando Schoenbrunni fuit. Protomas habemus duas, alteram ex Heraeanis Khevenhüllerus operi ſuo inſeruit, alteram, Rubenii opus, Iodius chalcographus edidit. Eius frater erat Ferdinandus. Quo de viro latius egit auctor prioribus voluminibus. Sed enim Belgio praefectus aliquando fuit, quam ob rem militari etiam habitu conſpicitur: primum exemplum apud Gevartium eſt, alterum apud Iodium, a Dyckio pictum. Equeſtrem vero etiam ſpeciem habemus, pictam a Rubenio, ſculptam a Pontio, quae itidem ap. Gevartium *in pompa Antwerpienſi* reperitur. Inſcriptiones deinde nonnullae memoriae ab auctore conſervatae ſint. Septimo capite cum Philippus IV. Hiſp. rex uxoresque et liberi eius contineantur, age de his etiam aliquid moneamus. Pinxit autem eum Rubenius, quod opus conſervatum eſt in libro Scriveriano. Aliam imaginem Kilianus ſculpſit, verum minus bonam. Aliam praeterea Rubenius

benius pinxit, quae et in libro qui pompam Antwerpienſem deſcribit, et in collectione Eugeniana conſervata eſt. Schoenbrunni praeterea eius effigies cernitur, maximae auctoritatis. Speciem enim Philippus valde liberalem habuit, qualis etiam in imagine eſt. Protomas auctor ſiſtit tres. Prima a Rubenio et Pontio, ſecunda ab Hollaro et Galleo, tertia a Ieneto et G. L. neque enim nomen expreſſum eſt. Primam Philippi uxorem Iſabellam, Henrici IV. Galliarum regis filiam, Iodius expreſſit. Alia imago a Rubenio et Pontio proficiſcitur. Femina gratioſa apud omnes, niſi quod a marito frigidius habita eſt, quanquam etiam ille mortuae bonitatem agnoverit. Altera Philippi uxor, Maria Anna, patrem habuit Ferdinandum III. Imp. Ingenium ei erat excellens, forma amabilis. Protomen Widemannus pinxit, Iodius excudit; aliam Boultats aeri incidit, crinibus ita compoſitis, ut fere ridiculum in modum turgeant, uti mos ſaeculi fuit. Aliud exemplum Schoenbrunni eſt. Viduae imaginem in archiducali arce Ebersdorfiana fuiſſe aliquando auctor dicit, quam exhibet. Filium Philippi maiorem, Balthaſarum Carolum, Iodius effinxit. Alia ex eius cenotaphio, quod Antwerpiae eſt, depromta eſt. Neque enim ille diu vixit. Soror illius, Maria Thereſia, Ludovico XIV. Gallo nupſit, cuius inſtar ex Heraeanis eſt. Aliud Boultats et van Merlen auctores habet. Speciem domina de Motteville egregie laudat. Alia ſpecies eſt e collectione Buoliana. Animus qualis fuerit, apparet e laudibus quae tribuuntur. Denique ex arce Ebersdorfiana ultima imago eſt, picta a Beaubrunniis. Alia filia Philippi Margaritha fuit, quae Leopoldo Imp. iuncta eſt. Eius ſpeciem equo vehentis van Merlen excudit. Spurius Philippi filius, Ioannes ab Auſtria appellatus, a Weeſio pictus eſt; protome eſt armata. Matrem habuit Calderonam, quae poſt partum ſe in monaſterium contulit. Doctus vir, qui patrem vultu ac ingenio referret, et exactis moribus. Aliae ſunt duae protomae, quae non multum differunt: quarum priorem ex Heraeanis Khevenhüllerus exprimi curavit, alteram vero Meyſſens pinxit. Inſcri-

Inſcriptiones ſequuntur nonnullae, in honorem huius regis liberorumque poſitae. Ultimus e ſtirpe Habspurgica Hiſpaniarum rex Carolus II. fuit. Admodum puer expreſſus eſt in ea tabula, quae Ebersdorfii olim aſſervata fuit. Puerum habent duae praeterea aliae, altera Schoenbrunni fuit, altera a van Enden ſculpta eſt. Alia eſt adulti, ſed artifex vigorem addidit, quod in Carolum minime convenit, fuit enim tenuiſſimae valetudinis. Maiorem itaque fidem alia imago Schoenbrunni, et ea quam Gale fecit, Fiſcherus excudit, habet. Conveniunt hiſtorici, nec animo nec corpore robuſto regem fuiſſe, non quaſi plane affectus utroque eſſet, ſed quod infirmior tamen. Duxit autem uxores has: primum Mariam Ludovicam, Philippi Aurelianenſis filiam, cuius imago e collectione Eugeniana huc translata eſt; qua mortua Philippi Guilielmi Electoris Palatino Neoburgici filiam, Mariam Annam, duxit. Ea vidua picta eſt, cuius ſpeciei prototypon Neoburgi olim fuit. Progredimur vero iam ad libr. III. qui complectitur eam familiae Habspurgicae partem, quae a Ferdinando fratre Caroli V. deſcendit. Itaque de hoc et uxore, capite ſtatim primo agitur. Boehamus pinxit, excudit van Heyden, protomen huius viri, quae ex Eugenianarum imaginum voluminibus huc devenit. Pinxit vero non minus Titianus, exſculpſit Iodius, cataphractum, quae ſpecies in Eugenianis eſt. Tertia ex thecis Heraei deprompta eſt. Eruditus ille princeps, amansque bonarum artium, quamobrem etiam libellum manu tenens pingitur. Lapidea eſt Friburgi, in aede conventibus mercatorum deſtinata, armati cum ſceptro. Alia e Cuſtodis Comitibus Tyrolenſibus eſt. Aliam protomen Heydenus ſculpſit. Amantiſſimus pacis princeps, et vere princeps. Nam quod nobis ille faverit, neque θεόμαχος fuerit, ut multi alii ex ea gente, Tridentino conciliabulo non item faverit, id ita addit auctor, ut libenter videatur negaturus ſi potuiſſet. Ait tamen, optimo conſilio in nos clementem fuiſſe, ſcilicet ut nos patientia ſua reconciliaret cum catholicis; nam conſtans fama eſt, eum neque ab ipſo Luthero abhor-

Digitized by Google

ruiſſe. Quod conſilium mite a Romanenſibus amari non ſolet. Protome aliqua inter Weiſſenwolfianas eſt; alia huic non abſimilis Treterum habet auctorem. Vere dignus omnium laude et deſideriis princeps. Praecipue vero pius, amans generis humani, et qui negotiis gerendis intentus, ſeverusque eſſet, quod tot ſcriptorum teſtimoniis patet. Cum ornamentis Caeſareis Tertius expreſſit. Statua eius a Schrenckio edita fuit. Sunt praeterea ſtatuae duae aliae: una a Strudelio, quae in bibliotheca Vindobonenſi ſervatur, alteram Thuldenus delineavit, Gevartius libro laudato edidit. Uxorem duxit Annam, Vladislai Ungar. et Bohem. regis filiam. Severa femina, minimeque luxui dedita, qualiter etiam liberos ſuos educari voluit. Pacta nuptialia vero mira ratione inſtituta fuerant ita, ut niſi intra annum a nepotibus Maxim. I. Imp. aut Carolo, aut Ferdinando, duceretur, ipſum avum Maximilianum haberet maritum; quam narrationem multis auctor noſter modis illuſtrat defenditque. Iuvenis Anna dum fuit, pulcra fuit, neque in ſenectute eam nativus ille decor reliquit. De animo hoc tantum dicimus, eam optimo Ferdinando quam ſimillimam fuiſſe, pariter piam, pariterque humanam. Inſcriptiones non paucae ſunt, variis aedificiorum ſubſtructionumque generibus variis in locis affixae, de quibus nunc nihil dicimus. Iam de filiabus Ferdinandi aliqua c. 2. Fuit vero numeroſa illa proles, quam Ferdinandus ex Anna ſuſtulit. Prima inter liberos Eliſabetha, Sigismundo regi Poloniae deſtinata, quam ob rem etiam ſic picta Schoenbrunni cernitur. Cui quoniam nupſit, reginae Polonicae habitu, ex Heraeanis a Khevenhüllero expreſſa eſt. Alia ſoror Anna, Alberto V. Bavaro nupſit, quae ut vidua picta eſt. Deſponſata vero ante erat bis, aliis. Tertia Maria, Guilielmi Ducis Iuliae Cliviaeque uxor fuit, cuius imago olim Bellofonti ſ. Schoenbrunni fuit, alia vero ex Heraeanis eſt. Quarta erat Magdalena, quae pariter in Pinacotheca Khevenhülleriana conſpicitur, habitu virginum nobilium, quarum ordinem religioſum Halae Tyrolenſium conſtituit. Quinta Catharina, primum Franciſco

Gon-

Digitized by Google

Gonzagae Mantuano, uti etiam in palatio Belloſontano picta fuit; deinde vero Sigismundo Polono nupſit, ei, cui ſoror ante collocata fuerat. Reginae Polonicae imago auctorem Cockinum aliquem habet, cui ſimilis eſt ea, quae apud Khevenhüllerum reperitur. Sexta filia Eleonora nomine fuit, Wilhelmo Duci Mantuae elocata, cuius imago Bellofonti aliquando fuit viſenda, altera e Khevenhüllerianis ſumta eſt viduae, ſed utraque ſenioris faciem exprimit. Septima eſt Margaritha. Manſit haec virgo e religione. Barbara, octava Ferdinandi filia, Alphonſo II. Duci Ferrariae in matrimonium data eſt. Adoleſcentulae effigies Belloſonti extitit, ornata iis veſtibus, quibus utebantur nobiliores virgines, quae Halae Tyrolenſium in monaſterio ſolebant educari. Fuit enim a Ferdinando ille mos inductus, ut virgines Archiducum Auſtriacorum filiae ibi educarentur aliquando. Alia Barbaram ut Duciſſam Ferrariae nobis ſiſtit. Nona erat Urſula, quae quia primis annis obiit, nunquam invenitur expreſſa. Decima Helena. Etiam haec inter virgines Halenſes fuit, quarum habitu hic ſiſtitur. Undecima Ioanna, quae Franciſco Mediceo, Duci Etruriae, nupſit, cuius imago Belloſonti eſt. Quarum in univerſum, ſed et ſingularum, egregiae laudes extant. Capite tertio Maximilianus II. Imp. cum uxore et filiabus enarratur. Eſt autem protome, quae Maximilianum et uxorem coniungit, vultibus ſibi invicem ex adverſo poſitis, ex Heraeanis thecis depromta. Fuit autem ei uxor Caroli V. patrui filia. Provectiorem aetate Caeſarem, et more Hungarico pellitum, protome habet ea, quae inter Weiſſenwolfianas *Linčii* eſt. Alia Furſtenio debetur, qui inter ceteras Caeſarum Auſtriacorum effigies etiam hanc habet. Laudatur autem vehementer et ob corporis formam, et ob animi praeſtantiam, quo utroque excelluit. Fuerant enim virtutes regiae, vita laborioſa, proque ſalute ſuorum ſollicita, comitas vero ſingularis. Statuas habemus has. Primam, a Tertio delineatam, Patavinus aeri incidit; altera, eiusdem auctoritatis, e Schrenckii armamentario petita eſt. Tertia, Thuldeni opus, a Gevartio edita

eſt.

eſt. Eſt autem Neoſtadii Auſtriae ara, cuius valvae interiores hunc Maximilianum et filios, cum Papa Cardinalibusque ex adverſo procedentibus, depingunt. Maximilianus III. huius noſtri filius hanc aram extruxit, qui etiam cataphractus ibi apparet. Mariae, Max. II. uxoris, ſpecies e Tertiano opere eſt. Alia, ex Heraei thecis deſumta apud Khevenhüllerum invenitur. Laudata femina, et bona. Filiam habuit Annam e Maximiliano, quae Philippo II. Hiſpano nupſit, quam Tertius nobis exhibet. Aliam Hollarus fecit, Galle excudit. Etiam haec laudatur. Altera Maximiliani filia Eliſabetha, Carolo IX. regi Françiae iuncta, cuius effigies ex Eugenianis eſt, aliae duae e Montefalconio peti ſi lubet poſſunt, alià quoque eſt quae hanc ut viduam exprimit. Summis ornata laudibus, praecipue vero a Francogallis culta, quorum regina nuptiis facta erat. Alia filia Margaritha fuit. Vixit haec Madriti inter Sanctimoniales S. Clarae, magna ſanctitatis fama, cuius ſpeciem thecae Heraeanae ſuppeditaverunt. Monumenta in honorem huius Maximiliani et coniugis poſita ſunt variis locis, quarum inſcriptiones operae pretium eſt apud auctorem noſtrum cognoſcere. Sequitur iam capite IV. Rudolphus V. is qui inter Romanos Imp. II. eſt, cuius protomen Comes de Weiſſenwolf cum auctore communicavit. Neque multum differt quae a Cuſtode edita eſt, hiſpanico ritu ornata, ubi cum Erneſto aliquamdiu, iuvenili in aetate, vixit. Statuae equeſtris ſpeciem apud Buolium auctor aliquando vidit. Iuvenis laudatur: ſenex, abditarum ſcientiarum indagatione, atque moroſitate ingenii, valde difficilis factus eſt. Ita cum in rebus imperii adminiſtrandis negligentior eſſet, multum de omnium amore perdidit, quem primis annis habuerat. Heydenus protomen Rudolphi cataphracti ſculpſit. In Monaſterio, quod *Cloſter-Neuburg* dicitur, Rudolphum et Matthiam eſſe credunt, quanquam pro Rudolpho poteſt etiam Maximilianus III. eius frater eſſe. Habitu hiſpanico Rudolphus Ebersdorfii pictus eſt. Habuit filiam ſpuriam Eliſabetham, quae inter Virgines Stae Clarae recepta, ibique mortua eſt.

Quae

Digitized by Google

Quae quanquam a principe quodam, quem auctor non nominat, in coniugium expetita eſſet, tamen in inſtituto manſit ſuo. Effigies eius eſt in coenobio Virginum Carmelitidum. Inſcriptiones iam aliquae agmen claudunt. Capite V. Erneſti et Wenceslai, Maximiliani II. filiorum, icones illuſtrantur. Erneſti effigiem ill. Weiſſenwolſius poſſidet. Aliam protomen armati Dominicus Cuſtos edidit. Severus vir, animo tamen comis et benignus, quam ad gravitatem etiam vultum habuit compoſitum. Alter frater huic adiungitur, cum inſignibus equitis Melitenſis, quarum ſpecierum prior e Weiſſenwolſiana collectione eſt, altera ex Heraeana. Iam duae inſcriptiunculae ſequuntur, ſed illae elegantes. Capite VI. Mathias Imp. cum Anna uxore continetur. Protome huius e Weiſſenwolſianis eſt, altera Wildecci in Auſtria aſſervatur. Tertia ex Heraeanis thecis eſt. Quarta e Cuſtode, armati. Statua cataphracta in Schrenckiano libro reperitur. Excellens vir, et bellandi peritus. Alia ſtatua Clauſtro Neoburgi eſt, cataphracti. Aliam, auctore Thuldeno, Gevartius in opus ſuum retulit, alia apud Capucinos Vindobonae eſt. Apud eosdem Capucinos Mathiae et uxoris Annae imagines pictae inveniuntur. Neoſtadii Auſtriae in praetorio ſunt eorum aliqui adumbrati, qui e Gente Habsburgica reges aut imperatores fuerunt. Quae pictura quanquam iniuria temporum iam fugiat, tamen agnoſci poſſunt hi: Rudolphus I. cuius dextrum latus circumſtant ordine Albertus I, Fridericus Pulcer, Fridericus Placidus, Maximilianus I, Carolus V, Maximilianus II, Rudolphus II, et Mathias. Hi in dextro latere. Siniſtro ſunt Rudolphus rex Bohemorum, Rudolphi V. filius, Albertus V. inter Romanos Imp. II, Ladislaus Poſthumus, inde Philippus Pulcher Hiſpaniarum rex, Ferdinandus I. Imp. Philippus II. Hiſp. rex, et huius filius Philippus III. Ordo temporum minus recte obſervatus eſt. Inſcriptiones ſequuntur, quas omittimus, neque enim haec talia deſcribi aut excerpi facile poſſunt. Reſtat ut e capite VII. de Maximiliano III, Max. II. filio, qui quidem ſupremus Ordinis Teutonici Magiſter fuit,

aliqua dicamus. Eius imago armata, cum inſignibus ordinis, Rotauni in Auſtria viſitur. Armatum etiam Schrenckius expreſſit. Parum differt a prioribus ea, quae Wildecci eſt. Protomen porro Weiſſenwolffius cum auctore communicavit. Alia protome ex Heraeanis apud Khevenhüllerum videre eſt. Quin ſtatuam etiam equeſtrem auctor nobis aliquam ſiſtit. Incipit vero iam Pinacothecae noſtrae Liber IV. qui iconas habet a Ferdinando, inſtauratore lineae Auſtriaco-Tyrolenſis, usque ad Leopoldum V. eiusque prolem. Agit itaque ſtatim caput primum de Ferdinando, Ferdinandi I. Imperat. filio, cum uxoribus et liberis nonnullis. Erat autem Ferdinando I. Imp. filius, et ipſe Ferdinandus dictus, a quo linea Tyrolenſis orta eſt. Eſt eius effigies armati in opere Tertiano, clavam manu tenentis. Tertius autem ipſe huic principi plura beneficia accepta refert. Statua armata, cum clava, extat etiam in Schrenckio. Vir proceri et robuſti corporis, animique magni ac fortis. Protomen Cuſtos aliquam nobis conſervavit. Vindobonae, in aedibus Statuum Provincialium, ſtatuae ſunt duae equeſtres, quarum altera Ferdinandum, altera vero Carolum Styrenſem deſignat, poſitae tunc, cum illi aliquando Vindobonae una eſſent. Philippina, Ferdinandi prima uxor, e gente Auguſtana Welſerorum fuit. Valde pulcra dicitur fuiſſe, quae cum pulcerrimis etiam reginis de victoria concertare potuiſſet. Alia Philippinae protome ex Heraeanis a Khevenhüllero data eſt. Erat autem illud matrimonium genere impar, e quo primus filius natus eſt Andreas, is qui poſtea Cardinalis factus eſt, cuius ſimulacrum Schrenckius prodidit. Habitu ſacro conſpicitur in duabus protomis, quarum altera, Iodium auctorem habens, apud Khevenhüllerum eſt, altera apud Cuſtodem. Huius frater Carolus erat Marchio Burgoviae, cuius protomas duas habemus, alteram apud Cuſtodem, alteram ex Heraeanis Khevenhüllerus operi inſeruit. Statuam Schrenckius habet. Aiunt eum generoſae ac liberalis formae animique fuiſſe. Uxorem habuit Sibyllam, Wilhelmi Ducis Iuliae filiam; altera pictura eam

ex-

exprimit, qualis fuerat antequam in Caroli manus conveniſſet, alteram vero e Khevenhüllero auctor tranſtulit. Ferdinandi autem uxor altera, Anna Catharina Mantuana, cum liberis, c. II. continetur. Erat ea Wilhelmi III. Gonzagae filia, cuius feminae effigies ap. Gerard. de Roo in annalibus Auſtriae invenitur, ſed eſt etiam in thecis Heraeanis. Aiunt excellentis formae fuiſſe. Marito mortuo ſe in ordinem Sanctimonialium Servitarum, Mariae conſecratarum, intulit. Mutavit autem nomen pro more illius ordinis, ut deinceps Anna Iuliana diceretur. Erat eius filia et ipſa Anna nomine, uxor poſthac Mathiae Imp. cuius ſchema Khevenhüllerus ex Heraeanis effinxit. Alia filia Anna Catharina fuit. Eam pariter e Khevenhüllero ſumſit Hergottus, quae eidem cum matre ordini ſe addixit; quod infans e nutricis manibus exciderat olim, neque corpore neque animo ſatis viguit. Itaque cum ab Hiſpaniarum rege in matrimonium tamen expeteretur, maluit coelebs inter Servitas mori. Cap. III. Leopoldum V. Caroli Graecenſis filium habet. Nam cum eo quo diximus modo Ferdinandi ſtirps exiiſſet, ſucceſſit eius e fratre nepos, Leopoldus V. Graecenſis filius. Apud Khevenhüllerum invenitur habitu ſacro. Alia protome Kilianum auctorem habet. Statua equeſtri Oeniponti eſt. Vir et pace et bello egregius, uti multa id documenta declaraverunt. Aliud ſchema, etiam cum litteris A. S. neque enim nomen ſuum auctor expreſſit, eum armatum exhibet. Imaginibus ſi fidem habeamus, neque corpus magnum animum deſtituit. Sunt duae praeterea protomae: alteram Kilianus ipſi Leopoldo vivo obtulit, alteram Iodius fecit. Uxoris eius, Claudiae, Ferdinandi I. Hetruriae ducis filiae, in collectione Eugeniana protome eſt, aliam Kilianus ipſi Claudiae pariter conſecravit. Iam cap. V. de Leopoldi V. prole videamus. Edidit autem uxor Claudia primum Mariam Leonoram, ſed quae altero anno extincta eſt. Alius vero filiae, Clarae Iſabellae, ſpeciem, Khevenhüllerus oſtendit, viduae, nam nupſerat Carolo III. Duci Mantuae. Alia quae viduam exprimeret tabula, olim in

 pala-

Digitized by Google

palatio Eberſdorfiano fuit. Filium habuit Ferdinandum Carolum, cuius iuvenis effigiem Iodius edidit. Aliam Aubrius fecit. Eius uxor Anna Medicea, Coſmi II. filia erat, cuius ſpecies ex Eugenianis eſt, ſimilem fere Khevenhüllerus habet. Alia quondam ſponſae imago in arce Bellofontana extitit. Qui Ferdinandus cum deinde obiiſſet maturius, ſucceſſit ei Sigismundus Franciſcus, qui ante ſacerdotio deſtinatus fuerat, quo habitu exemplar olim Ebersdorfii fuit. Maior aetate apud Khevenhüllerum exprimitur. Vindobonae, in eccleſia cathedrali, inter ceteras Epiſcoporum iconas, etiam huius eſt. Armatum, depoſitis inſignibus eccleſiaſticis, alia pictura exhibet. Alia Bellofonti olim fuit. Tertia Leopoldi V. filia, Maria Leopoldina, fuit uxor Ferdinandi III. Imp.; auctor G. L. eam pinxit, cuius ſimilis ſpecies apud Khevenhüllerum videtur. Incipit vero hic Liber V, qui lineam Habspurgicam complectitur eam, quae a Carolo Graecenſi propagata eſt. Videamus itaque cap. I. de iconibus et ſtatuis Caroli II. Graecenſis, et Mariae uxoris eius. Etiam hic Ferdinandi I. filius erat. Protomen eius Iodius edidit, cui fere reſpondet Khevenhülleriana. Alia protome ex arce Wildeggiana in Auſtria petita eſt. Aiunt, eum religioſum, praecipueque pium fuiſſe, gravitateque cum comitate permiſta. Caroli huius et uxoris vultus in monaſterio Seccavienſi extant, ubi ſepulti ſunt. Statua cataphracti e Schrenckio eſt, altera e Tertio, qui partem libri ſui huic principi dedicavit. Uxorem duxit Mariam, Alberti V. Bavariae ducis filiam, cuius imago olim Bellofonti fuit, cui non abſimilis alia inter Heraeanas eſt. Picta ut vidua, olim in arce Ebersdorfiana potuit videri. Laudatur vero haec femina inſigniter, praecipue ob pietatem. Academia Graecenſis Carolum noſtrum auctorem habet, de qua re etiam inſcriptio ibi extat. Cuius generis ſunt plura, quae inſcriptionibus aliquid de Carolo declarant. Cap. II. quaedam de Caroli liberis videamus. Erat autem ei filius Maximilianus Erneſtus. Fortis ille vir, qui etiam in bello Turcico ſe ſtrenuum praebuit, mortuus deinde immature. Eius pro-

Digitized by Google

protomen ex Heraeanis auctor profert, cuius ſimilem Khevenhüllerus operi inſeruit. Alius Caroli filius, Carolus, quod patre mortuo editus eſſet, Poſthumus appellatus eſt. Fuit ille tandem in ordine Teutonico Magiſter, de quo bene meritus eſt, itaque laudatur variis mòdis. Imaginem Heraeana et Khevenhüllerus oſtendunt. Maior Caroli filia, Anna, Sigismundo III. Poloniae et Sueciae regi nupſit; ſpecies eius apud Khevenhüllerum et in Heraeanis reperitur. Animum et pulcritudinem valde commendant Scriptores. Aliam Caroli filiam, Mariam Chriſtiernam, Cuſtos expreſſit, quae Sigismundo Bathorio Transſylvaniae duci nupſit. Sed illud matrimonium diuturnum haud fuit. Erat enim uti in omnibus, ita etiam hic Bathorius inconſtantior. Dimiſſa ſe in Monaſterium Halenſe contulit. Monialis itaque habitu apud Khevenhüllerum reperitur. Tertia Caròli filia Catharina Renata fuit, ſpecie bona; quae cum eſſet pro ratione religionis ſuae caerimoniarum obſervantiſſima, cum aliquam proceſſionem, quam dicunt, pedes conſecuta coelo pluvio eſſet, ex intemperie aeris vicennis deceſſit. Et hanc, et quartam filiam Gregoriam Maximilianam, e Khevenhülleria nis expreſſam cernimus. Regina Hiſpaniae pactis iam perfectis fuiſſet, ſi diutius vixiſſet, ſed obiit paullo poſt, profeſſa ſe terrenos ſponſos nihil morari. Quinta Eleonora ex eodem deprompta eſt, quae pariter inter virgines Halenſes fuit. Sextae, Margarithae, protome olim in aedibus Bellofontanis fuit, aliam Heraeus et Khevenhüllerus habent. Idem ſeptimam exhibet, quae poſt obitum ſororis Sigismundo III. Polono nupſit. Ab eodem Khevenhüllero octavae protome ad nos devenit, Mariae Magdalenae, Duciſſae Hetruriae, alia inter Eugeniana conſpicitur, habitu viduitatis. Caput III. de alio Caroli Styrenſis filio, eo, qui poſtea Imperator fuit, Ferdinando II. nonnulla commemorat. Imago apud Khevenhüllerum pueri conſpicitur. Alia iuvenilis formae tabula, olim Bellofonti extitit. Imperatoris protome a Kiliano eſt, alia a Furſtenio, iterum alia a Falckenbergio. Statua marmorea, Strudelio auctore, in Bibl. Vindob. cernitur.

tur. Alia inaurata apud Capucinos Vindobonae. Sculpſit Brunius Imperatorem, equo inſidentem, ſenem alius, cuius nomen ignoratur, quae imago cum ea convenit, quam Cuſtos operi inſeruit ſuo. Corpore mediocri, animo firmo. Laudatur vehementer, quo iure, ii ſciunt, quibus conſtat, quae fax, quis auctor belli tricennalis fuerit. Addit auctor, Chriſti in cruce pendentis imaginem aliquando collocutam cum Ferdinando eſſe, additque eius delineationem. Bella hiſtoriola, quam neque Catholicus ſtomachus concoquere potuit. Sunt etiam picturae, quae praecipuas res a Ferdinando geſtas continent. Multus eſt in his explicandis auctor noſter, quae quoniam excerpi non poſſunt, ad fontem potius ipſum lectorem dimittimus. Sunt enim emblemata decem octo, quae ſingulas Ferdinandi virtutes commendant, ſicuti ille etiam alios encomiaſtas habuit. Piſonii Hungariae ſervantur. Auctor earum tabularum quisquis fuerit, elegans pictor fuit. Sequuntur aliquae inſcriptiones. Videamus vero nunc de huius Ferdinandi II. uxoribus et liberis cap. 4. Prima ei uxor Maria Anna, cuius inſtar in arce Bellofontana, fuit. Huic ſucceſſit Eleonora Mantuana, cuius protome e thecis Heraeanis eſt. Similis, a Khevenhüllero et a Kiliano edita eſt. Viduae ſpecies Bellofonti fuit. Prioris, Mariae Annae Bavarae, ſoboles haec eſt: (alterum enim coniugium ſterile fuit.) Primum Ioannes Carolus, qui iuvenis deceſſit, cuius ſpecies ex Heraeanis Annalibus Ferdinandeis Khevenhülleri inſerta eſt. Ferdinandum III. patris in imperio ſucceſſorem multi pinxere. Tertius filius Leopoldus Guilielmus fuit, Epiſcopus, et praeſes deinde Belgii. Quem depinxit Durrius, imaginemque ipſi Leopoldo dedicavit. Filias ex eadem uxore habuit pater tres. Chriſtinam, cuius imago nulla reperta eſt, mortua enim immature eſt; alteram, Mariam Annam, Sadeler ſculpſit, paullo aliter Meyſſens. Viduae imago inter Eugenianas evolvi poterit. Nupſit autem haec Maximiliano Bavaro. Tertiae, Caeciliae Renatae effigies, Ebersdorfii olim fuit. Nupſit autem Ladislao Poloniae regi. Capite V. de Ferdinando

III.

III. Imp. eiusque uxoribus videamus. Iuvenilis imago a Kiliano picta eſt. Imperatorem tabula picta Belloſontana oſtendit. Multis ille Imp. morbis ſaepe laborarit. Inaurata ſtatua apud Capucinos Vindobonenſes collocata eſt. Doctus vir, et e ratione religionis ſuae pius. Protomen Sandratus ſculpſit, aliam anonymus. Uxorem habuit Mariam, Philippi III. Hiſpani filiam, quam Kilianus expreſſit. Aliam imaginem Khevenhüllerus produxit. Aliam ſedentis forma Dyckius pinxit, Meyſſens ſculpſit. Stantis icon in arce Belloſontana eſt. Ibidem etiam alterius Ferdinandi coniugis, Mariae Leopoldinae, icon cernitur. Tertia Eleonora, Caroli II. Mantuani filia, ibidem olim picta fuit. Inſcriptiones adduntur deinde nonnullae. Caput VI. Ferdinandum tandem IV. Rom. Regem, et Carolum Ioſephum eius fratrem, habet. Octennis imago apud Khevenhüllerum conſpicitur. Cum inſignibus Regis Romani Belloſonti poteſt videri. Spei ſummae iuvenis, ſed in ipſo flore aetatis extinctus eſt. Eius frater erat Carolus Ioſephus. Admodum iuvenis figura extat. Protomen Buttats fecit, veſte epiſcopali. Egregie laudatur praecipue ob ingenium pietatemque, quae ſingularis plane in eo iuvene dicitur fuiſſe. Cataphractus, ut ordinis Teutonici Magiſter, alio in ſchemate eſt. Obiit etiam hic immature.

Excerpſimus itaque laborioſiſſimum Hergotti opus, quod plurima habet ad hiſtoriam Germaniae idonea, quibus fortaſſe poſt multa luſtra plurimi noſtrarum rerum ſtudioſi uti poterunt optime. Nos vero nunc nihil addimus praeter hoc unum, optimam operis commendationem ipſum opus eſſe. Elegantes omnino ſunt figurae imaginum ſummo ſtudio conquiſitarum; nam eas omnes picturas, quas commemoravit, ut vidimus, operi ſubiecit excuſas.

GNOMON PSALMORUM: IN QUO EX NATIVA verborum vi, ſimplicitas, profunditas, concinnitas, ſalubritas ſenſuum coeleſtium indicatur: opera PHILIPPI DAVI-

Digitized by Google

DAVIDIS BURKII. TOMIS II. Quorum prior continet Pſ. I. ad LXXV. alter Pſ. LXXVI. ad CL.

Stutgardiae 1760. ſumtibus Io. Bened. Mezleri, Alph. 7. pl. 21. in 4.

Quamquam nobis ſemper magna, admirationeque ac laude praecipua digna viſa ſunt eorum Virorum de re ſacra merita, qui noſtra maxime aetate in exornando meliorum litterarum, atque S. Critices ſtudio, operam egregiam poſuerunt: tamen his ipſis diebus parum abfuit quin vehementer nos iſtud noſtrum iudicium decepiſſe, vanamque eſſe iſtorum Virorum, novique Critices ſtudii, cui coeperunt tantopere patrocinari Theologi permulti, gloriam crederemus. Quidquid enim ſit, ita videbamur nobis recte colligere, iſtius ſtudii, quod in intelligenda linguae S. natura, atque in cognoſcenda artis illius, quae eſt Poetarum divinorum ac Prophetarum, ſubtilitate, poſitum hactenus eſt, id tamen nemo horum Criticorum aut Philologorum efficere potuit ut *profunditatem*, *concinnitatem*, *ſalubritatemque* omnem, quae ſit *ſenſuum coeleſtium*, erueret, atque oculis noſtris conſpiciendam proponeret. Atque illud nunc demum negotio admodum facili factum eſt a *Burkio* V. Cl. qui eandem Pſalmorum S. Volumini navavit operam, quam ante aliquot annos Prophetarum minorum, quos dicimus, interpretationi impenderat. Iſtud enim conſilium eleganter prae ſe fert Pſalmorum hicce, quem indicavimus, Commentarius. Quod quomodò adſecutus ſit Auctor, et an ſatis feliciter, ut iudicare quisque poſſit, operam dabimus.

Iam, ut intelligatur primum in quo poſuerit A. quadruplicem iſtam ſui Commentarii virtutem, atque ne in ipſo libri titulo obſcuritas relinquatur, age, videbimus an ex ipſa Praefatione harum vocum ſententiam conſtituere poſſimus. *Simplicitatem ſenſuum coeleſtium* et *ſobrietatem ſpiritualem* ſervare (§. XXI.) ait illud interpretandi genus, quod aliarum ſcientiarum auxilio non utatur, quodque ſententiam Scriptorum

rum divinorum ex ſe ipſam, nullis humanis, uti conſueverunt hodienum interpretes, artibus, nominatim antiquitatum hebraicarum, arabicarum, (ipſam haud dubie linguam arabicam in animo habuit,) cet. doctrina adiutum, eruit — *Profunditatem* in eo ponit, quod mira quaedam ars inſit orationi S. quae ſuperet ſubtilitatem ac ſublimitatem rhetorum atque poetarum humanorum omnium; (hactenus bene:) eamque artem non ad humanae iſtius diſciplinae regulas examinandam eſſe. (Nobis ita videtur. Sed quamque tamen paginam rhetoricarum figurarum commemoratione repletam vidimus.) Sed propria conſideratione, cogitatione, atque ſenſu quodam ſpirituali et uſu cognoſcendam eſſe. „*Ab hac enim*, inquit, (§. XVIII. *praeciſa veri-„tate divina, ab hoc decoro Dei verbique divini ſubtiliſſimo, „abyſſo profunditatis ſcripturariae, ab hac in Scripturis facul-„tate, quae regalis et virilis ſit, et adverſitatum igne excocta, „Commentatores pleroſque longiſſime abeſſe.*" Porro *concinnitatem* in eo quaerit, quod verbum verbo, phraſis phraſi, particula particulae, accuratiſſime ſibi reſpondere videtur, ex quo fit, ut verborum ſeriem in interpretando anxie ſequatur, et quamque formulam alia, quamvis invita ſaepe ſententia, ut docebimus, illuſtret. — *Salubritas* denique in eo eſt, quod vel minutiſſimam formulam, aut vocem, in interpretando ad vitam uſumque accommodandam cenſet.

Hanc verborum ſatis obſcurorum ſignificationem viſi nobis ſumus et exemplis permultis, atque etiam ex ipſa Praefatione cognoviſſe. Commemorabimus deinceps ad ipſorum ordinem exempla, ut qualis fuerit harum virtutum in interpretando uſus, et quale pretium ipſis ſtatuendum ſit, appareat.

Has autem promiſerat A. in titulo, *ex nativa verborum vi* demonſtraturum ſemet eſſe. — Iſta vero ſponſione vehementer nos, lectoresque omnes decepit. Exſpectabamus enim cuiusque verbi aut phraſeos illuſtrationem ex ipſorum verborum hebraicorum ſignificatione, atque linguae S. in-

dole petitam, aliisque exemplis confirmatam fore. Et quamquam in hac ipſa ſpe ſimul verebamur, ne Buxtorfiana forte aut Hardtiana methodus rediret: tamen nec hoc adſecuti ſumus, cum latina potius verba, quibus hebraica reddita erant, quam ipſorum fontium explicationem deprehenderemus. Sed antequam haec omnia exemplorum commemoratione confirmemus, quaedam de Praefatione monenda nobis reſtant. Non commorabimur in explicando noſtro, de analytica Pſalmorum diſpoſitione, atque ordine ſententiarum ad regulas logicas conſtituto, (cuius defenſionem A. §. III. ſq. ſuſcepit, ut ſuarum tabularum, quas cuique adiunxit, apologiam ſcriberet,) iudicio; quamquam talis inſtituti vanitas, quod divinam ſapientiam humanae artis regulis adſtringit, in nulla re magis, quam in Pſalmis evidens eſt. Quis enim umquam ad logicae artis regulas, aut rhetoricae, preces fecerit? Sed haec ipſa profunda ſunt, quae non cuique, praeter Auctorem, patent. — §. XXIII. Praefationis, de Criticorum quorundam opera, qui corrigere textum hebraicum, vulgo receptum, ſuſtinent, ſententiam Auctor tulit. Ait quidem, *optandum eſſe, ut Criſis hebraica antiquorum Mſct. fide dignorum collatione adiuvetur, verum iſtam aetatem* (a qua profecti ſint tales Codices,) *nimis remotam eſſe a noſtra, quam ut ſperari tale quid poſſit.* Cuius inſtituti vanitatem cum deinceps pluribus demonſtrare vellet, uſus eſt exemplo adeo levi, (et quod ad quaeſtionem de emendando textu Codicum auctoritate prorſus non pertinet,) ut commemorare illud ſine pudore vix poſſimus. Lutherum, ait, Pſalmo XII. 6. omiſiſſe in verſione ſua particulam עתה. Ergo colligamus, inquit, in textu eam ipſum non legiſſe?

In diſputatione de ordine Pſalmorum, quae §. XXIX. inſtituitur, praeter modum ſubtilis eſt Auctor. Etſi enim iſtud, quod proponit, meletema, ſive *ſcintilla meletematis*, uti appellat, ab amico quodam communicatum ſibi eſſe tradit; tamen vehementer illud probat, commendat, ſuisque ipſius

ipſius obſervationibus praefert. Docetur autem in hoc meletemate, Pſalmorum omnium neceſſariam eſſe coniunctionem, id quod argumentis factum eſt ſubtiliſſimis ſcilicet. Septem enim eſſe Pſalmorum libros, ad oculum docet illud *Amen Amen*, et *Halleluiah*, quo finiuntur. Singulorum deinceps librorum characteres rurſus, ſive *rationes determinationis*, uti vocat, admodum mirabiles commemorantur. Quae omnia ſine faſtidio legere ipſi non potuimus. Superant enim longiſſime Rabbinorum ingenioſiſſimorum ſomnia, atque eiusmodi luſibus lectorem obruunt, qui dudum exploſi reiectique ſunt. Auctor vero non modo nugis hiſce vehementer delectatum ſe profitetur, ſed ſuadet etiam multis modis, ut alii iisdem veſtigiis inſiſtant. *Sic enim*, inquit, *amplius forſan procedere, et totum ſyſtematis Pſalmorum ordinem realem et foecundum pervidere poſthac dabitur.* Elegans ſcilicet conſilium!

Sed mittamus Praefationem, atque de Commentarii ipſius virtutibus dicamus.

Videtur autem in eo operam praecipuam poſuiſſe *Burkius*, ut ſententiam cuiusque Pſalmi, in logicum aliquod σύςημα cogeret, quod plerisque Pſalmis poſtpoſuit, quibusdam vero etiam praepoſuit, atque cui plus diligentiae impendiſſe ſe, ait, (§. XVIII. Praef.) quam verborum verſioni, et exegeſi. Atque contigit ipſi ad hanc rem ingenium adeo felix, ut vix verbulum Pſalmo cuique inſit, quod non illatum quoque ſit ſchemati; unde factum eſt, ut analyſis Pſalmi, ipſum ſaepe magnitudine multis modis ſuperaret; utque ne in uno quidem Pſalmo iſta analyſeos ſubtilitas ipſum defecerit. Quod inprimis mirandum eſt in Pſalmo CXIX. cuius analyſi quadraginta amplius paginae repletae ſunt. In hoc enim illuſtrando tantum artificii plus quam Rabbinici adhibitum eſt, ut mirari illud ſatis vix potuerimus. Quidquid enim dicant interpretes alii, omnem huius Pſalmi naturam eiusmodi artis vinculis repugnare: tamen non audiuntur, ſed reprimuntur eorum rationes, non argumentis, uti debebant, ſed recenſenda litterarum aequalitate, quibus

ſinguli octonarii ſecundum alphabeticum ordinem incipiant, aliisque litterarum vocumque ſimilitudinibus, quae diligentiſſime omnes obſervatae ac enumeratae ſunt. Quomodo vero in his nugis profunditatem quandam, aut multo minus ſalubritatem coeleſtem, ſine pudore, tantum non ſine impietate quaerere potuerit A., intelligere nos quidem non poſſumus. — Atque eadem quoque eſt reliquorum ratio. Accuratiſſime obſervatur, quoties ſubiectum orationis, aut nomen Dei, aut etiam particula aliqua emphatice repetita ſit. Saepe etiam in ſolis litteris, Iudaeorum more, arcana quaeruntur; quale eſt quod Pſalmi I. prima vox ab א incipiat, ultima vero a littera ת. Aliaque plura his ſimillima. Admonemur quaque pagina, atque in ſingulis vel ſexies, maxime vero etiam in Analyſibus, de figuris orationis, de Chiaſmo, Antithetis, Homoeoteleυtis, aliisque, quorum copiam in libro humano faſtidiremus, multo magis in divino. Nobis certe ea res non nauſeam modo excitavit, ſed animum quoque commovit, iuſtaque indignatione replevit, quippe qui numquam divinam librorum S. ſublimitatem atque elegantiam eiusmodi minutiis aeſtimare didicimus. Hanc enim tantum in ſententiarum magnificentia, quae tanta eſt ut noſtrum ingenium ipſam nullo modo capiat integram, non in verborum aut litterarum poſitu, ſive ordine quodam ſcholae rhetorum accommodato ineſſe, firmiter perſuaſum nobis eſt. Etenim, ſi de ſcriptis humanis valet, quod nuper a recenti quodam ſcriptore obſervari meminimus: nullo modo eos antiqui cuiusdam ſcriptoris pulcritudinem capere aut ſentire, qui eius quaſi ad rhetorum praecepta diſſectionem inſtituant; quippe ſenſum omnem logica quadam ratiocinatione abſorbeant ac reprimant: id multo magis de divinorum Scriptorum monumentis dicendum erit. — Sed longius progreſſi ſumus quam volebamus. Noſtrum non eſt refutare talem aliquam *μικροφιλοτιμίαν*, ſed qualis ea ſit tantum recenſere. — Igitur, ut redeamus unde aberravimus, huic Commentario, atque ipſis etiam analyticis iſtis demonſtrationibus, vidimus interdum diſputatiunculas quasdam dogmati-

Digitized by Google

maticas, aliasque, interſeri. Eiusdem aliquando amici, cuius ſubtilitatem ſupra iam laudavimus, v. c. ad Pſ. III. (p. 19.) Interdum ipſius auctoris, ſed quae et ipſae in minutiis verſantur, v. c. ad Pſ. XIX. (p. 156.) Aliae paulo melioris pretii, ut illa ad Pſ. LXXXIX. (p. 878.) *de veſtigiis gratiae et veritatis per totum hunc Pſalmum.* — Aliae, vel una potius, quantum meminimus, philologica, de vocabulo שְׁאֹל, ad Pſ. VI. 6. (p. 42.) cuius ſumma huc redit, ut doceatur, fideles V. T. τῷ שְׁאֹל non niſi triſtem ſignificationem tribuiſſe, atque timuiſſe ſemper de eo, ſeque eo abituros queri. Sed vere eo non veniſſe. Scripturam enim loqui ex ipſorum opinione, quos *Spiritus ſervitutis* tenuerit. שְׁאֹל igitur per ſe eſſe receptaculum infauſtum impiorum poſt mortem. — Verum nec his refutandis immorabimur; nulla enim argumenta afferri vidimus. Atque hoc eſt inſigne huius Commentarii vitium; affirmantur ſubinde quaedam non omnino reprobanda, ſed nullis rationibus firmantur. Cuius generis eſt obſervatio de מִזְמוֹר Pſ. III. 1. (p. 14.) quod ſit carmen non ſola voce decantandum, ſed ad quod muſicum maxime inſtrumentum aliquod adhiberi debuerit; aut de diſcrimine τῦ מִזְמוֹר et שִׁיר ad Pſ. XXX. 1. (p. 245.) ubi contra שִׁיר voci maxime, non inſtrumentis, accommodatum fuiſſe, adſerit. Item in quaeſtione quis ſit ille לַבֵּן, in cuius mortis memoriam ſcriptus ſit Pſalmus IX. (p. 67.) ubi prorſus rem in ambiguo relinquit. — An vero eiusmodi negligentia in interprete excuſari poſſit, penes Vos iudicium eſto, Lectores. — Sed plura ſunt eiusdem accuſationis argumenta.

Chronologicas, de cuiusque Pſalmi aetate, diſputationes, plane neglexiſſe Auctorem deprehendimus. Cuius rei ratio forte in eo latet, quod paſſus eſt ſibi ab amico perſuaderi, neceſſarium eſſe Pſalmorum omnium inter ſe nexum, certumque, etiam ratione temporis quo ſcripti ſint, eſſe ordinem eum, quo legantur hodienum in Canone. Cuius nexus quaedam paſſim dedit ſpecimina. V. c. ad Pſ. II. monet, *plus* huic cum I. *arctioris connexionis* intercedere, quam

 videri

videri leviter intuenti poſſit: neque aliud diſcrimen inter utrumque locum habere, niſi *quod I. ſtilo V. T. ſ. legis; II. ſtilo N. T. ſ. evangelico ſcriptus ſit. Neque ordinem et argumentum utriusque Pſalmi abludere, quem olim pro uno numeratum fuiſſe non vana dentur ſpecimina.* Quod quemadmodum perobſcure dictum eſt, ita ſapienter quoque A. quae ſint iſta veſtigia reticuit. — Simili modo Pſ. XXXII. et XXXIII. unum eſſe, adeoque coniungi debere, adſerit; nulla vero huius rei argumenta affert, niſi quod ſuo more ſimilitudinem finis prioris, et initii alterius urget, eundemque ſententiarum, quamvis inverſum, ordinem deprehendiſſe ſibi videtur. Nam quod ultimo loco poſuit, titulo et inſcriptione carere hunc Pſalmum, in eo vim quaerere ipſe non potuit, quoniam ad Pſ. CXV. (p. 1117.) ipſe rurſus animadvertit, hoc in plurimis Pſalmis factum eſſe. — Atque eandem in probando ſolertiam deſideravimus maxime etiam tum, cum de auctore Pſalmi, aut de obiecto, cui accommodandus eſſet, diſputaretur. Adſerit enim tantummodo A. huic vel illi tribuendum eſſe Pſalmum aliquem, ſed rationibus plerumque nullis, vel valde tenuibus, confirmat. Quae ſi a tali Pſalmorum Commentatore exigi non debent, neſcimus profecto an unquam exſpectandae ſint. Sic Pſ. XC. qui Moſaicus eſt, ne una quidem ratio additur, qua illuſtretur illud למשה quod in textu eſt; ſed ablegamur ad *Sonntagii* libellum de titulis Pſalmorum. Porro, ratione obiecti, in Pſalmis iis qui de Meſſia interpretandi ſunt, v. c. Pſ. XXII. vidimus quidem, ad Chriſtum omnia ab Auctore transferri; ſed quo iure, aut quibus rationibus id factum ſit, fruſtra quaeſivimus.

Haec igitur in univerſum dicta ſunto. Accedamus nunc ad ſingula quaedam verba et formulas, quibus interpretationis Burkianae elegantia et ſubtilitas intelligatur. In his autem, uti ſupra iam monuimus, hebraicorum verborum explicatio exſpectanda non eſt. Latina tantum verba ab A. illuſtrantur, quibus honoris ſaltim cauſſa litterae hebraicae praepoſitae ſunt. Ne radices quidem verborum commemoratae

moratae ſunt; raro loca indicata, quibus eadem vox redeat. Sed forte de iſtis omnibus pari modo iudicavit, atque eſt pag. 185. extrema, ubi haec addit: *de voce confer quae alii pridem collegerunt*. En! quam facile ſit negotium, Commentarium ſcribere! Sed videamus exempla ſingula; in quibus ut vel aliquem ordinem ſervemus, faciemus periculum, an ad quadruplicem huius Commentarii virtutem, quam in fronte gerit, adigere ea poſſimus. Qua in re ſi forte hoc modo erraverimus, ut v. c. ad concinnitatem retulerimus, in quo profunditatem potius A. ſenſerit, veniam dabitis, Lectores, nobis, parum adſuetis *realibus* iſtis elegantiis. Sumemus autem exempla, ubicunque ea inter legendum notaverimus.

Simplicitatem itaque *ſenſuum coeleſtium*, quam Auctor primo loco indicaturum ſe promiſit, quamquam, uti patet ex ea, quam ſupra dedimus, notione, in omnibus omnino exemplis locum habet, atque per totum Commentarium regnat; nusquam enim aliunde aliquid, h. e. ex aliarum diſciplinarum, aut litterarum generibus, (impuro fonte,) allatum eſt ad *ſobriam* cuiuscunque vocabuli ſententiam; tamen quaedam ſaltem afferemus, quae *ſimplicitate* inprimis praeſtare videntur.

Simplicitatem autem appellabat A. eam Commentatoris divinorum librorum *ſobrietatem*, qua quodque verbum ex ſe, (h. e. e Buxtorfiano Lexico minore,) interpretetur. Huius virtutis evidens exemplum eſt Pſ. II. 7. in אספרה, *narrabo:* Ibi enim monemur *gravius* eſſe verbum hocce, *quam* דבר v. 5. *Enarrari* enim ſolere hiſtorias, et *prolixas* res geſtas, variasque; plerumque etiam *narrationem* eſſe amicam et benevolam. Igitur intelligendam eſſe in hac voce *Evangelicae doctrinae gratiam* et praeſtantiam, in illo ידבר autem *legalem ſeveritatem*. (Forte etiam coelorum vox Pſ. XIX. 2. evangelica eſt; de his enim idem verbum uſurpatur, השמים מספרים כבוד־אל? Sed ad hunc locum ספר rurſus minus grave dicitur quam נגד annunciare. — Elegans interpretandi ratio!) — Eodem v. verbum אמר opponitur

Digitized by Google

tur rurſus τῷ דבר; prius enim, ait, familiarius eſſe: *dixit;* poſterius autem gravius, *locutus eſt ad illos.* — Quis autem non rideat puerilem hanc verborum explicationem! Melius feciſſet A. ſi *minus ſimplex* fuiſſet, atque ex aliarum linguarum comparatione didiciſſet, talia ne pueris quidem ſuaderi poſſe. — Aliud exemplum adſcribamus ex Pſ. XVII. 15. אשבעה בהקיץ תמונתך. Ibi de verbo אשבעה obſervat: dici hic, *ſatiabor,* abſoluto, atque eſſe antitheton τῷ ישבעו בנים, *ſatiantur filiis:* v. 14. — *Impiorum* enim *plenitudinem* non mereri nomen *ſatietatis abſolute.* — De ultimis autem verbis dicitur, vocem *evigilare* oſtendere, *imaginem Dei olim quaſi obdormiviſſe,* et ſomno peccati *ſepultam* quaſi fuiſſe, *poſthac evigilaturam.* — Porro Pſ. XIX. 3. elegans obſervatio eſt ad illud יום ליום יביע אמר — ולילה ללילה יחוה־דעת *Eructare ſermonem* multo plus eſſe quam *annunciare* v. 2. Et ſuperari rurſus τῷ *indicare ſcientiam.* Convenire etiam vehemens illud *eructare,* diei; ſed nocti contra placidae, placidum *indicare.* Noctem decere *meditationem* et *ſcientiam,* diem contra amplum largumque *ſermonem.* — Ad v. 5. eiusdem Pſalmi, admonemur ſtudioſe de *parecheſi* quam habeat iſte קום, *canon,* ad קולם *vocem* eorum. Non enim *vocem* modo exiviſſe *cito evaneſcentem,* ſed *canonem, lineam continuam,* funiculum menſorium, totam terram permeaſſe et ſignaſſe. Pulcra ſimplicitas, in qua nihil prorſus cogitari poteſt. — In formula ויתאו המלך יפיך Pſ. XLV. 12. quae vertitur *et concupiſcet rex pulcritudinem tuam,* ex ſimplicitatis regulis verba nude illuſtrantur, ſic, ut illud *concupiſcere* opponi dicatur τῷ *audire, videre, inclinare,* v. 11. His enim *externam amoris apud ſponſam demonſtrationem* contineri; illo vero *internam cupiditatem ſponſi* decenter memorari. Sed quae ſit ſententia huius figuratae locutionis, praetermittitur. — Similiter Pſ. LXXX. 2. in obſervatione ad הופיעה, *illuceſce o Deus!* epitaſis notatur ad prius illud האזינה *auribus percipe.* Hoc enim ad auditum, illud ad viſum pertinere. — En ingenioſam obſervationem! Quaenam igitur eſt ſententia huius formulae? Hoc ſcire, nihil intereſt, ſcilicet! Verum

Digitized by Google

Verum ſatis hoc ſit de *ſimplicitate* huius Commentarii dictum: tranſeamus ad *profunditatem*, cui demonſtrandae A. per totum huncce librum inprimis operam dedit. Sed pauca tantum exempla hic ponamus. — De verbi ישב Pſ. I. 1. profunditate, ingenioſe admonemur his verbis: *Sedere ob moram periculoſiſſimum eſt:* (Igitur *ſtare* forte licebat? huius enim tanta mora non eſt. — Sed ſtatim ante eſt לא עמד. — Et quomodo tandem Spiritus S. dicere poterat הלך, *ire*, quod ſubito tranſit?) Quod deinceps magis illuſtratur per antitheta חפץ. תורה. הגה. v. 2. — Etenim qui *beneplacitum* ſuum habet in lege Dei, ille etiam ſuum *ambulare* et *ſedere* ad illam normam conformabit. *Lex* opponitur *ſedi irriſorum*, nam *ſeria* tractat, mentemque plane figit. *Meditari* autem magis internum et continuum eſt quam *ſedere*, noctique convenientiſſimum. — In nexu Pſalmi I. et II. conſtituendo, quam rem ſupra iam attigimus, aliud *profunditatis* genus animadvertimus, quo totius Pſalmi utriusque ſenſus interior ac profundior indicaretur. Pſalmum I. enim, *ſtilo legis et V. T.*, II. vero *ſtilo N. T.* partim evangelico, partim poſt novam gratiam nova ſeveritate aucto, ſcriptum eſſe dicit. Quam profunditatem adſequi nos ſatis non potuimus. Praeterquam enim quod uterque Pſalmus, qui ad Canonem V. T. pertinet, *ſtilo* V. T. non poteſt non ſimiliter ſcriptus eſſe; argumentum quoque prioris non minus convenit N. T. doctrinae. Nam et huius ſumma felicitas ad obſervationem voluntatis divinae refertur. Igitur ſententia Pſalmi primi maxime evangelica eſt. — In מלכי Pſ. II. 6. non modo urgetur illud affixum: *meum*, in oppoſitione regum *terrae* v. 2.; ſed multo magis ſingularis huius verbi numerus, cum v. 2. ſint *reges plures*. Addit igitur A. *pluribus unum praeſtare.* (Alius forte dixerit, *plures uni* praeſtare.) — Deinde ex *Maſtrichtii* Theologia rationes afferuntur, quare Meſſias a Deo dicatur *rex meus*. — Ad illud על ציון. *ſuper Zione* eodem v. miſera obſervatio haec eſt: *Tenuia initia. Plus ultra.* Igitur tenue eſt regnum Chriſti ſpirituale et coeleſte? Nobis admodum magnificum

ſicum videtur, veluti totus hicce Pſalmus et ipſe maxime magnificus eſt. — Ad Pſ. XVIII. collegit A. nomina, quibus Deum allocutus ſit David. In quibus quae aperte eadem ſunt, tamen, quoniam latine aliis verbis reddi poterant, ſeiunguntur, ut numerus XXIV. eliciatur. Talia ſunt: *petra mea, rupes mea, rupes ſalutis meae, arx mea, refugium meum, Deus meus, Deus,* abſolute, *Deus ſalutis meae*, cet. cet. — Aliud exemplum praeclarum profundiſſimi ſenſus, eſt Pſ. XXII. 21. ubi de verbis הצילה מחרב נפשי מיד־כלב יחידתי, *erue animam meam a gladio, a manu canis unicam meam:* obſervatur, חרב *Pilatum* ſignificare, qui *gladium* magiſtratus manu geſſerit. Atque hanc etiam cauſſam eſſe, quare כלב in ſing. poſitum ſit, cum v. 17. fuerit pluralis. — Porro de formula מיד־כלב et מפי אריה v. 22. docetur, *cani manum* tribui, *quia pedibus anterioribus tanquam manibus utatur. Leonis* contra *os* timeri. Leonem autem iſtum, eſſe *unum* ex principibus Iudaeorum, forte Caipham, ob ſingularem אריה. Per קרני רמים, *cornua unicornium*, vero v. 22. indicari *plebem*, cui duplex pluralis conveniat. — Interdum vero etiam aliorum de profunditate ſenſuum teſtimonia afferuntur. Unde vero illa melius depromi poterant quam a Rabbinis? Igitur non laudatur tantum ſed probatur maxime ſubtilitas *R. Salomonis*, qui tranſpoſiti לדוד מזמור ad Pſ. XXIV. 1. loco מזמור לדוד. rationem excogitavit hanc. Aliquando Spiritum S. prius tetigiſſe mentem Davidis, atque poſthac ipſum demum ceciniſſe; quod ſi ita evenerit, nomen *Cantici* nomini *Davidis* praepoſitum eſſe. Alio vero tempore Davidem prius coepiſſe inſtrumento muſico canere, quam Spiritus S. tactum ſenſerit; atque tunc Davidis nomen praemiſſum eſſe, veluti in hoc Pſalmo factum eſt. — Sed proprii acuminis Auctoris in profunditate Scripturae detegenda exempla porro ſunt ad Pſ. LXXIX. 2. ubi emphaticum admodum diſcrimen reperiſſe ſibi viſus eſt inter חסיד et עבד Dei. *Servos* enim *Dei*, ait, eſſe eos, *qui Deum colant; gratioſos Dei vero, qui prae reliquis gratia apud Deum, ſtudioque verae pietatis ac zelo coram hominibus excel-*

excellant. — Verum quo fundamento nitatur haec diſtinctio, intelligere nos non potuiſſe fatendum eſt, quibus ſemper viſum eſt, nihil poſſe eſſe *ſervo Dei* gratioſius. Potuiſſemus autem fortaſſe huius diſcriminis ſubtilitatem accuratius cognoſcere, mentemque Auctoris melius perſpicere, ſi conſultum viſum eſſet, adire ipſius *Fingerzeig*, ad quem ablegabamur. Sed verebamur vehementer, ne nimis clara atque evidens futura eſſet ſubtilitas ea, *quae digito monſtraretur.* Verum tranſeamus ad *concinnitatem*, cuius non pauciora per totum huncce Commentarium veſtigia eſſe, vel Antithetorum, Chiaſmorum, cet. nomina, quae quaque pagina redeunt, ſatis demonſtrant. Nos vel aliqua commemorabimus. — Pſ. I. 1. valde emphatica Auctori videtur triplex repetitio particulae לא, *non* ambulavit, *non* ſtetit, *non* ſedit. In quo putat eſſe triplex incrementum, dignumque notatu, quod primum ſemel haec particula cum ſuo verbo praecedat nomen, deinde vero bis poſtpoſita ſit nomini. Quae concinnitas etiam notata eſt ad Pſ. XXII. 25. et ſaepe alias. — Pſalmo II. 5. ad vocem ידבר haec leguntur: *Iehova loquetur; nam et illi locuti ſunt, et quidem ſatis proterve v. 3. Dominus vero loquitur ſeria et graviter:* — Aliquoties etiam loca Pſalmorum cum aliis confert, ac ſimilitudinem quandam inde demonſtrare conatur. Sic Pſ. XVIII. comparat cum quadruplici genere precationum, cuius Paulus meminit 1 Tim. II. 1. In quibus tamen nec Graecorum vim recte cepiſſe videtur. — Formulam האר פניך *illumina faciem tuam* Pſ. LXXX. 4. comparat cum iſta Ierem. III. 12. ubi idem remotive tantum expreſſum eſſe putat, verbis לא אפיל פני *non cadere faciam facies meas:* — Ibi vero τὸ אפיל פני opponitur potius אשא פני quod eſt Num. VI. 26. ישא יהוה פניו. Atque hoc loco melius potuiſſet iſta huius Pſalmi formula illuſtrari. — Illud vero prorſus inane eſt, quando ad nomen יוסף *Ioſephi, pulcre* dicit *adſonare* τὸ ישב v. 2. eiusdem Pſalmi LXXX. — Plura, et multo illuſtriora eiusmodi *concinnitatum* exempla ſunt in Analyſibus Pſalmorum,

 quae

quae huc tranſcribere, et harum plagularum anguſtiae vetant, et totus animus noſter repugnat.

Salubritatem denique animadvertimus v. c. ad Pſ. XIV. 1. ubi admonemur: Homines quamvis ſtultiſſimos, maximeque nefarios, tamen interdum ſuae ſtultitiae ac temeritatis pudore ſuffundi; quoniam ibi dicebatur אמר נבל בלבו אין אלהים: *Stultus in corde ſuo* (i. e. *clam*) *dicit, non eſſe Deum.* — Qualis haec eſt ingenioſitas! — Additurque deinde pia accommodatio: *Moerorem in corde piorum* quamvis acerbum, tamen multo meliorem eſſe *ſtultorum ſecuritate* quae in ipſorum *corde* reſederit. — Nobis haec non vana tantum ſed et repugnantia videntur. — Pſ. XXIII. 6. a particula אך *tantummodo*, accommodatio fit haec: *Decet fiduciam noſtram eſſe ſinceram, immunem ab omnibus cogitationibus ſuſpicacibus:* — Ad Pſ. XC. 10. mirabilia de iniquitate, moleſtiis, et laboribus huius vitae eorumque coniunctione diſſerit, occaſione illius רהבם עמל ואון, *robur eorum moleſtia et iniquitas.*

At enim vero ſatis diu Lectores noſtros retinuimus in eiusmodi libri enarratione, in quo nihil quod ad laudem Auctoris, aut ad commendationem ipſius huius Commentarii pertineat, reperiſſe videbimur. Atque ſane ſi dicendum quod res eſt, ſuadere eius lectionem ſtudioſae iuventuti prorſus non poſſumus. Etenim hebraica cognoſcere ex eiusmodi interpretationibus nemo poteſt. Quae vero de latinis verbis diſſeruntur, aut ad uſum transferuntur, ea plerumque ita communia ſunt, aut in rebus adeo minutis verſantur, ut ne oratori quidem populari inſervire poſſint. Igitur, cum ne in his quidem Auctor, quod debebat, praeſtiterit, neſcimus profecto, quale ipſi conſilium in conſcribendo tam verboſo Pſalmorum Commentario fuerit. Novi quidquam (praeter iſtam inutilem reſolvendi ac diſponendi ſubtilitatem) nuſpiam deprehendimus; quod probare potuerimus pauciſſimum; falſi contra, noſtro quidem ſenſu, plurimum. — Videtur autem A. id tantum tradere voluiſſe, quod ipſe de Pſalmorum ſententia excogitaverat. Nam vel opti-

Digitized by Google

optimis Pſalmorum Commentatoribus, qui ante ipſum ſcripſerunt, uſus omnino non eſt, vel non recte uſus eſt. *Geierum* ad ſummum ter nominari, non examinari, vidimus.

III. *Michaelis* in tribus illis in quos commentatus nuper eſt, Pſalmis, honoris cauſſa ſubinde commemoratur, ſed plerumque A. ſuam ſententiam ſervat; quare autem ab illo recedat, argumentis declarare, tanti non iudicavit. — Quid igitur exſpectandum eſt de proximo *Prophetarum maiorum Gnomone*, aliorumque librorum divinorum *Commentariis*, atque inprimis de *Lexico Gnomico*, quod annunciat §. XL. Praef.? — Vehementer optamus, ut aliam rationem ingrediatur, nobisque, vel fidei potius noſtrae, atque ingenuo litterarum amori, hoc modo parcat, ne moleſta nobis neceſſitas imponatur obiurgandi Virum eum, cuius nomen et ſtudia lubentiſſime, ſi per officii noſtri religionem fieri potuiſſet, laudaverimus, ac commendaverimus.

ADOLPHI FRIDERICI REINHARDI, SERENISſimo Duci Megapolitano a Conſiliis Iuſtitiae ac Cancellariae, ut et Secretarii intimi, Diſquiſitio philoſophica, qua ex eo, quod aliquid exiſtit, demonſtratur, dari Ens perfectiſſimum, aeternum, a mundo diſtinctum. Edidit atque praefatus eſt CHRISTIANUS ZIEGRA, Philoſ. Doct. ac Canon. Hamburgenſis.

Hamburgi 1761. apud Chriſt. Simon. Schröderum, 4. plagg. in 4.

Auctor huius opuſculi, cuius Diſſertationem gallice conſcriptam, de Optimiſmo, in Actis hiſce Eruditorum A. 1758. pag. 558. ſeq. recenſuimus, per problema a Curatoribus Stipendii Stolpiani Lugdunenſis ante aliquot annos propoſitum, de demonſtranda exiſtentia Dei, commotus eſt, ut concinnandae eiusmodi demonſtrationis periculum faceret. Sed aliis negotiis impeditus, nec perficere

tunc temporis; nec ad Curatores ſtipendii transmittere potuit ſcriptum ſuum; cuius dum ſat longo poſtea tempore copiam feciſſet Editori, hic, ut ultimam manum illi admoveret, illudque praelo ſubiici pateretur, ab auctore impetravit. Diſcimus haec ex praefatione, varias inſuper de materiis ibi pertractatis, obſervationes continente. Iam ut Schediaſmatis huius ſummam breviter exhibeamus, initium ab eo facit Auctor, ut de Principiis omnis certitudinis quaedam praemittat, ſimulque certitudinis, quam de eo, quod aliquid exiſtit, habemus, rationem reddat. Probat porro, exiſtere tam ſpiritus, quam corpora, hacque occaſione Idealiſtarum obiectiones ſollicite refellit. Praeſertim in eo eſt, ut oſtendat, ſenſationes ſufficienter probare exiſtentiam corporum, nec ex eo, quod ſenſus aliquando repraeſentare nobis videantur res quae non ſunt, aliquid ad infringendam vim huius argumenti elici poſſe, cum Principium: Res ita eſſe ut in Ideis noſtris evidenter repraeſentantur, non pertineat ad ea, quae aliter ſe habere ex ſufficientibus rationibus cognoſcimus, ſed ad ea, circa quae in errorem inevitabilem induceremur, niſi res ita ſe haberent, uti nobis apparent. Accedit, quod etiam cauſas, cur ſenſus aliquando res aliter nobis repraeſentent, ac revera ſe habent, indicare valeamus, et ex illis nihil contra veritatem ſenſationum in genere conſequi facili negotio oſtendi poſſit. Probatur porro contra Spinozam, animas atque materiam eſſe ſubſtantias, hacque occaſione ideae Subſtantiae et accidentis diſtincte evolvuntur. Pergit Auctor ad notiones finiti ac infiniti, et quomodo conceptus Entis infiniti formetur, oſtendit. Inde procedit ad definitiones Entis a ſe, et Entis ab alio, tumque ad formandam demonſtrationem propoſitam; principium: Omnem rem habere cauſam ſui, ulterius ſic determinat: omne id, quod non eſt mera determinatio alterius, quo poſito ſimul ponatur neceſſario, ſi exiſtat, habere cauſam ſui efficientem. Cauſam

ſam efficientem ab effectu diverſam eſſe, ex ipſis terminis patere monet, additque, quod ad diſtincte concipiendam hanc rem facit, quaeſtionem hic eſſe de cauſa efficiente ſubſtantiarum, cum accidentium cauſae ſufficientes ſint vires, quibus ſubſtantiae praeditae ſunt, multa vero accidentium, ſic dictorum, genera, per abſtractionem quandam tantum ut res alii rei inhaerentes concipiantur, revera autem cum ipſa re unum idemque ſint. Demonſtratur porro, Entia finita non poſſe eſſe Entia a ſe, ſed eſſe entia ab alio, eorumque cauſam efficientem nullam aliam eſſe niſi ens a ſe. Refellitur hic progreſſus in infinitum quoad productionem ſubſtantiarum ſequenti argumento: Pone ſeriem ſubſtantiarum infinitam, ſe invicem producentium. Omnes unitates in hac ſerie contentae ſunt Effectus; ſi enim una earum non eſſet Effectus, tolleretur haec ſeries. Omnes vero hi effectus ſunt ſimul cauſae. Nulla vero earum eſt cauſa ſui ipſius. Cum igitur omnes unitates in hac ſerie ſint Effectus, quorum unusquisque ſupponit cauſam a ſe diverſam, ſequitur praeter cauſas in hac ſerie contentas requiri adhuc unam cauſam in ſerie ea non contentam, alias unus ex effectibus illis eſſet ſine cauſa. Illuſtrationis loco adſumi poſſet ſeries infinita patrum et filiorum. Omnes perſonae in hac ſerie contentae, ſunt filii et patres ſimul. Tum neceſſario ponendus eſt adhuc unus pater in ſerie hac non comprehenſus, alias unus ex filiis illis eſſet ſine patre, cum nec pater ſui ipſius eſſe poſſit, nec duo ex hac ſerie reciproce inter ſe poſſint eſſe pater et filius. Concluditur denique: Exiſtere ens a ſe, cauſam entium finitorum, et ab iis diverſum. Adiungit his auctor ſubtiliſſimam illam quaeſtionem: Quid ſit illud quod efficiat, ut Ens a ſe exiſtat neceſſario, et quodnam ſit fundamentum abſolutae illius neceſſitatis, quae nullam ulterioris cauſae indagationem admittit? Negat auctor, rationem hanc contineri in eius

eius poſſibilitate, quin potius exiſtentiam ratione priorem eſſe poſſibilitate Entis a ſe, hocque demum poſſibile eſſe, quia exiſtit, aſſerit. Nullum aliud fundamentum huius neceſſitatis admittit, niſi hoc: quia ab aeterno exiſtit ens perfectiſſimum, ad eſſentiam entis perfectiſſimi exiſtentis vero pertinet, habere exiſtentiam plane neceſſariam ac immutabilem. Sed cur exiſtit tale ens? Hanc quaeſtionem plane locum non habere, ſed exiſtere tale ens, quia exiſtit, Auctor monet. Criterium exiſtentiae neceſſariae ponit in aeternitate; contingentis in τῷ non eſſe ab aeterno; finemque imponit tractationi proponendo obſervationes quasdam demonſtrandae verae rerum creatarum contingentiae inſervientes.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno M D C C L X I.

Pars I.

GERARDI MEERMAN, SYNDICI ROTERODAmenſis, Admonitio de chartae noſtratis, ſeu lineae, origine.

Quum nuper in *Originibus* meis *typographicis*, quae ad umbilicum iam perductae prelo mox ſubmittendae erunt, nonnulla obſervarem de charta communi a primis typographis uſitata, nata mihi occaſio eſt, in remotiſſima illius tempora ſimul inquirendi. Digniſſimum profecto ulteriori examine videbatur hoc argumentum, in quo induſtriam ſuam, quamvis non felici ſatis ſucceſſu, collocaverant viri ſummi, Allatius, Mabillonius, Montefalconius, Maffei, aliique; quod etiam praemio, modo vera inventionis epocha detegi poſſet, dignum cenſuere tum Ill. Ludewigius, *in die Halliſchen gelehrten Anzeigen a. 1744. Tom. 2. N. 55.* tum Regia Societas Goettingenſis, *in die Gött. Anzeigen a. 1755. N. 142.* maxime, quum ex hac obſervatione pendeat non modo aetas variorum Codicum, abſque temporis indicio in eo papyri genere exaratorum, quam plus iuſto aut extolli aut deprimi videmus ab his, qui chartae noſtratis antiquitati plus minuſve favent; ſed, quod magis eſt, veritas quoque falſitaſve nonnullorum diplomatum, quae eidem inſcripta 450. imo maiorem vetuſtatem indicant.

Nobis etſi non licuerit eſſe tam beatis, ut proximum tempus introductae huius chartae invenerimus, varia tamen in hanc rem obſervaſſe contigit alibi haud obvia, unde epocha illa certis limitibus circumſcribetur, aliisque progrediendi ulterius aperietur via.

Ut vero omnis error, in quem plures incidere, hic evitetur, diſtinguenda ſunt tria praecipue chartae genera, unum *Aegyptiacum*, ex pelliculis herbae papyri, vel etiam cortice arboris confectum, alterum *bombycinum* ſeu goſſypinum, e pilis pannisve cottoneis fabricatum, tertiumque vulgare noſtrum, quod ex veterum *linteorum* reliquiis contritis ac maceratis paratur. Alias vero ſpecies, apud Sinenſes Iaponenſesque a pluribus retro ſaeculis receptas, hic memorare nihil attinet, de quibus optime nuper egit Cl. de la Lande, *dans l'art de faire le papier*, (inſerta eximio ſyntagmati Academiae Scientiarum Pariſinae de artibus mechanicis) *a §. 150. ad 181.*

Aegyptiacae chartae uſum, apud Graecos Romanosque olim frequentiſſimum, ſua aetate ob nimiam operam impenſamque in deſuetudinem abiiſſe, teſtis eſt Homeri Scholiaſtes Euſtathius, circa a. 1160. clarus, *ad Odyſſ. Φ.* quod etiam ad ſaeculum XI. retrotrahit Mabillonius *de re diplom. Lib. I. c. 8. §. 14.* add. Auctores *du nouveau Traité de Diplomatique, Tom. I. pag.* 497. *ſeq.* Ceſſit vero non lineae chartae, (uti ex verbis Euſtathii mira conſequentia intulit Salmaſius *ad Fl. Vopiſcum p. 451. edit. Pariſ.*) neque etiam membranae, (ut Salmaſium corrigens Ludewigius *dict. relat. N. 56.* voluit) utpote quae veteri, media, et infima aetate, conſtanter viguit, verum chartae bombycinae. Haec apud Arabes, quos illius inventores crediderim, iam a. 1049. recepta, circa idem tempus ad Graecos, et paulo poſt ad vicinas Europae nationes tranſiit, vid. Anonymi *Obſervat.* in *Tranſact. Philoſoph. a. 1703. N. 288. p. 1515.* Montfaucon in *Palaeogr. Graeca Lib. I. c. 2. pag. 18. ſeq.* Auctores *du Traité de Diplomatique Tom. I. pag. 516. ſeq.* Exorta poſtremo in noſtra orbis parte charta linea, (cum qua nihil commune habere veterum libros linteos pridem animadverſum eſt,) per aliquod tempus cum priore

priore ſubſtitit, tandem illic omnino praevaluit; Graecis, caeterisque Orientis populis bombycinam ſemper amplexis. Sed de tempore natali chartae noſtrae propius iam agendum eſt.

Miſſis itaque vanis hac in parte coniecturis, id certum arbitror, ad medium usque ſaeculum XIII. praeter membranam ſolam, adhuc innotuiſſe chartam bombycinam, minime linteam. Adponam hunc in finem locum inſignem, neminique quod ſciam obſervatum, ex Conſtitutionibus Siculis Friderici II. Imp. Rom. a. 1221. vulgatis *Lib. I. tit. 78.* cuius haec verba: *Volumus etiam et ſancimus, ut inſtrumenta publica et aliae ſimiles cautiones, non niſi in pergamenis in poſterum conſcribantur. Cum enim eorum fides multis futuris temporibus duratura ſperetur, iuſtum eſſe decernimus, ut ex vetuſtate forſan deſtructionis periculo non ſuccumbant. Ex inſtrumentis in chartis papyri, vel alio modo, quam ut dictum eſt, ſcriptis, niſi ſint apochae vel antapochae, in iudiciis vel extra iudicia nulla omnino probatio aſſumatur; ſcripturis tantum praeteritis in ſuo robore duraturis. Quae tamen in praedictis chartis bombacinis ſunt redactae ſcripturae, in praedictis locis, Neapoli, Amalfiae, et Surrenti, intra biennium a die editae ſanctionis iſtius ad communem literaturam et legibilem redigantur.* Itali igitur, certe Neapolitani, ea aetate adhibuere quidem chartam, ſed hanc modo cottoneam, quum ſynonyma Imperatori ſint *chartae papyri* et *bombycinae.* Idem circa Hiſpaniam confirmant recentiores aliquantulum ſeptem Partitae, ſeu leges Alphonſi Sapientis, Caſtellae ab a. 1252. ad 1284. Regis, quarum novam elegantemque editionem a. 1759. Valentiae dedit V. Cl. Ioſephus Berni, ubi *Part. III. T. 18. l. 5.* ſcriptum eſt. *De cera deven ſer otras cartas ſelladas con ſello colgado. E eſtas ſon de muchas maneras, que las unas facen en pergamino de cuero, e las otras en pergamino de panno. Pero departimiento ha entre las unas, e las otras, ca las unas deven ſer fechas en pergamino de cuero, aſſi como quando el Rey da alguna merindad o alcaldia.* (et quae porro adferuntur exempla.) *E las, que deven ſer de pergamino de panno, ſon eſtas, aſſi como las que dan para ſacar coſas vedadas*

das del Reyno, *o las otras*, *que van de mandamientos a muchos Conceios que les embia mandar el Rey*, *o de recabdar algunos omes*, *o de coſechas de maravedis del Rey*, *o de guiſamiento: todas eſtas deven ſer en pergamino de panno*, *o otras de qual manera*, *quier que ſean ſemejantes dellas*. Pergameni pannei, quod coriaceo (id eſt membranae) opponitur, appellatione chartam deſignari bene vidit, cui huius loci indicium debeo, Franc. de Berganza, *Tom. II. Antigued. de Eſpanna*, edit. Madrit. 1721. *Lib. VII. c. 7. §. 124.* ubi chartae introductionem in Hiſpaniam multo iam antiquiorem eſſe probat e Vocabulario quodam Latino Monaſterii de Silos, partim membranae, partim chartae craſſiori inſcripto, cuius characteres Gothici aetatem referant, vel forte ſuperent Alphonſi VI. Caſtellae Regis ab a. 1072. ad 1108. Illud vero de charta goſſypina intellectum velim, partim quia hoc evincit laudata conſtitutio Imp. Friderici, cui ſuperſtruxiſſe ſuam videtur Alphonſus Sapiens; partim quia appellatio pergameni nullo modo conveniret chartae noſtrae, ſed utique bombycinae, quae plerumque craſſior et flava aliquantulum, ſemper vero fulgens eſt. Adde, quod obſervante viro expertiſſimo Steph. de Terreros et Pando, in *Paleogr. Eſpannola* a. 1758. edita, *p. 75. ſeq.* Toleti ſuperſint exempla non modo Fori Gothorum, itemque primae Partitae, ſed et variae huius Regis literae authenticae: omnia exarata in charta, eaque, ut ille ait, fortiſſima et laevigata, (*muy fuerte y brunnido*). Fruſtra vero eſſet, qui hic cogitaret de vulgari charta, ſed cui ſplendor data opera additus, qualem in Gallia adhibere novimus amabiles mulierculas, belloſque homines, et prelo quoque accommodari poſſe, in Anglia, raro exemplo, Baskervillius docuit. Ea uſum fuiſſe Alphonſum Sapientem credat cui volupe. Nos id chartae genus intelligimus, quod eam qualitatem ſibi propriam habet, nempe cottoneum. Neque profecto mirandum eſt, illius uſum apud Hiſpanos Italoſque tam frequentem fuiſſe, quum eam neceſſe non haberent ex Oriente continuo repetere, ut pleriſque viſum eſt, ſed in propriis fabri-

Digitized by Google

ſabricarent terris. De Hiſpania certe literatiſſimus Terreros, poſtquam laudata monumenta in chartis bombycinis indicaſſet, ſubiungit, duas chartae ſpecies indicare inſtrumenta antiqua, Toletanam, et Cebti, quod tamen ut exponere latius aliquando velit, eum rogatum cupio. De Italia memorabilis eſt, neminique in hoc argumento, praeter Ludewigium, obſervatus locus Icti Bartoli, qui ab a. 1313. ad 1357. vixit, in *Tractatu de inſigniis et armis*, ſub. rubr. 8. *Notarius non poteſt aſſumere ſignum alterius, et ſi aſſumit, prohiberi poteſt. Fabricator chartarum poteſt prohiberi uti ſigno alterius fabricatoris*, ubi haec verba occurrunt. *In Marchia Anconitana eſt quoddam nobile caſtrum, cuius nomen Fabrianum, ubi artificium faciendi chartas de papyro principaliter viget, ibique ſunt aedificia multa ad hoc, et ex quibusdam artificiis meliores chartae veniunt, licet etiam in aliis faciat multum bonitas operantis, et, ut videmus hic, quodlibet folium chartae habet ſuum ſignum, per quod ſignificatur, cuius aedificii eſt charta. Dic ergo, quod iſto caſu apud illum remanebit ſignum, apud quem remanebit aedificium ipſum, in quo fit*, etc. Fateor, Bartolum in genere de *chartis papyri* loqui; verum ut hoc ad bombycinas potiſſimum reſtringam, movet me partim Fridericiana conſtitutio, partim quod frequentiores aetate Bartoli fuerint codices bombycini, rariſſimi vero lintei, certe in Italia, ut mox patebit. In tanto itaque, quem hic Gloſſator indigitat, chartariorum Fabrianenſium numero, aut plerosque, aut forte omnes fuiſſe oportet goſſypinae, lineae paucos nullosve, confectores. Nec eſt quod ſcrupulum alicui moveant ſigna ab illis artificibus adhibita, quaſi ea ſolis linteis chartis viderentur propria; talia enim in goſſypinis quoque conſpicua, teſtes ſunt varii, quos ipſe adſervo, Graeci Arabicique codices.

Ita vero iam conſtat, ad medium usque ſaeculum XIII. et paulo forte ſerius, incognitum Italis Hiſpanisque fuiſſe chartae lineae uſum. Circa reliquas autem Europae regiones, etſi directa me deficiant argumenta, idem colligere licet, quod nemini hactenus tam remotae aetatis monumentum

innotuerit; quemadmodum praeter caeteros teſtis eſt Montefalconius in *Diſſ. ſur la plante, appellée* papyrus, *Tom. VI. des Memoir. de l' Acad. des Inſcript. et belles lettres*, nullum ſibi in Italiae Galliaeve bibliothecis, omni licet adhibita opera, viſum fuiſſe librum aut inſtrumentum in hoc genere, niſi recentius S. Ludovico, qui regnare et vivere deſiit a. 1270. Atque ex his ſua ſponte interpretationem accipiet locus notiſſimus Petri Abbatis Cluniacenſis, in *Tractatu contra Iudaeos (pag. 1069. Biblioth. Clun.* Andr. du Cheſne,) ubi libros ſuo tempore, id eſt circa a. 1120. lectos ſcripſit, qui *ex raſuris veterum pannorum compacti* eſſent; quum id de pergameneis e panno, ut Rex Alphonſus loqui amabat, id eſt bombycinis codicibus intelligendum iam liqueat. Et ſic ante me ſuſpicatus quidem fuerat, non tamen probaverat, Scip. Maffei in *Iſtor. Diplom. p. 77. ſeq.* contra quam ſenſerant Hadr. Valeſius in *Not. ad Panegyr. Berengarii Aug.* Mabillonius, pluresque alii.

Ubi igitur, et quando primum introducta fuerit charta noſtra, difficilis eſt quaeſtionis, quam, in conſtanti tot Chronographorum ſilentio, vix aliter terminatum iri credimus, niſi poſtquam de antiquiſſimo in unaquaque Europae regione inſtrumento huius generis conſtiterit. Tali vero perquiſitioni ut facem quodammodo praeferamus, adnotabimus primum, quid in hanc rem a viris doctis iam obſervatum ſit, atque inde inferemus quid obſervandum porro reſtet.

In Italia profeſſus eſt Scip. Maffei *d. l.* codices Mſſ. in charta linea omnes recentiores eſſe a. 1300. ſed addit, nullum eiusmodi diploma reperiſſe ſe antiquius literis inveſtiturae decimarum quarundam, Gregorio Maffei, Rolandini fil. per Petrum della Scala Epiſcopum Veronenſem a. 1367. datis. Nec quidquam hac in parte ulterius nos docuerunt vel Lud. Ant. Muratorius, vel alii trans Alpes literati. Ob frequentem certe in Italia bombycinae chartae uſum, ſerius illic quam alibi lineam ſubintraſſe mirandum non eſt.

De Hiſpania certi aliquid proferre forſan liceret, ſi amici mei, Greg. Maiauſius, et Ioſ. Fineſtreſius, inſignia patriae ſuae orna-

Digitized by Google

ornamenta, in urbe regia, aut etiam Toleti, Caeſar Auguſtae, ſimilive in loco degerent, ubi magna veterum codicum vel inſtrumentorum eſt copia. Apud celebriores vero iſtius regni Criticos, quorum ſcripta adſervo haud pauca, altum hac de re ſilentium eſt. Unus Paulus Yannez de Abiles in erudito opere *de la era y fechas de Eſpanna*, edit. Madrit. 1732. *Tom. II. p. 638.* invaluiſſe illic, ſaeculo XIII. vergente, chartam lineam ſtatuit, eamque primitus ob rariores mallei pulſus iuſto craſſiorem fuiſſe obſervat; quod tamen dum memorata lege Alphonſi demonſtrare adnititur, unoque ſaltu ab Aegyptiaca charta ad noſtratem tranſit, hanc ſeſe cum bombycina confudiſſe ipſe comprobat. Ego, niſi meliora edoctus, hanc epocham paulo recentiorem exiſtimabo, eadem, quam de Italis adpoſui, inductus ratione.

Cottoniana apud Anglos Bibliotheca, Muſei Britannici partem nunc conſtituens, pridem docto illic viro conſpiciendam dedit ſchedam, in charta noſtrate ſcriptam anno Regis Eduardi III. id eſt a. 1342. eam vero plures alias, forte et antiquiores, continere, ipſe teſtatus eſt. Vid. *cit. Obſervat.* in *Tranſact. Philoſ.* De Scotia miror nihil adnotaſſe Thom. Ruddimannum, in *praefatione* Diplomatarii Anderſoniani. Ex ea proinde, ut et Hibernia, quid exſpectandum ſit, dies docebit.

Ad Germanos quod attinet, ſcripſerat Bohuſl. Balbinus in *Miſcell. Hiſtor. Regni Bohemiae, Decad. I. Lib. 1. c. 22. p. 158.* plurimos ſeſe illic codices ante a. 1340. in charta communi ſcriptos inſpexiſſe. Unde ſuſpicatus fuit Ludewigius, coepiſſe in Germania chartae fabricam apud Pragenſes, idque poſtquam Bartolus legatione ad Carolum IV. Bohemiae Regem functus eſſet, et chartarium forte quendam Fabriano illuc ſecum adduxiſſet. Nos vero iam obſervavimus, in ea Italiae urbe confectam fuiſſe chartam goſſypinam; cui ſi lineam quoque iunxerimus, vel ſic anachroniſmo laborabit V. Ill. coniectura. Bartolus quippe a Peruſinis non Pragam, ſed Piſas ad Carolum Boemum miſſus eſt, et quidem proximo poſt huius in Italiam adventum anno, id eſt a. 1355. vid.

Guid.

Digitized by Google

Guid. Pancirol. *de clar. leg. interpret. Lib. II. c. 67.* iunct. *Memorie della città di Piſa* di Paol. Tronci *p. 375.* fruſtra itaque chartarium Fabrianenſem obtuliſſet Carolo ad docendam Germanos artem, quam illi tribus ante luſtris, Balbino teſte, profeſſi iam fuerant. Huius vero Hiſtoriographi, fide digniſſimi, teſtimonium mirifice confirmant literae feodales a. 1339. die S. Viti, Modeſti, et Creſcentii datae, inque Archivo Quedlinburgenſi reperiundae, quarum factum eſt indicium in *die Braunſchweigiſchen Anzeigen a. 1745. N. 52.* quibusque antiquius in hoc genere documentum Goettingenſis Societas a. 1755. cognoverat nullum. Nos vero in Bibliothecae Hulſianae Catalogo *Tom. I. p. 331.* offendimus librum apum, (*het boek der byen*) Francofurti a. 1330. ſcriptum in charta, quod de goſſypina eo minus intelligendum puto, quia non memini me conſpexiſſe unquam huius naturae monumentum Teutonico ſermone. Si quis tamen id forte in controverſiam vocet, aut indicis huius naevos opponat, eum ignorare nolim, vidiſſe me inter libros Iſaaci le Long, quum a. 1744. Amſtelodami diſtraherentur, Biblia per Iacobum Maerlantium Belgice reddita, inque charta vulgari exarata a. 1322. de queis praeterea teſtis eſt Catalogus huius Bibliothecae, dictae *ſelectiſſimae*, inter *Codices Mſſ. in Fol. N. 3.* Imo, licet Auctor Chronici Gotwicenſis *Tom. I. p. 13.* chartae lineae uſum ſaeculo demum XIV. invectum in Germaniam crediderit, ſuſpicor tamen, antiquiores illic ſchidas reperiſſe Val. Ferd. de Gudenus, quum in *Syllog. var. diplom. in praef. p. 2.* hanc epocham poſt a. 1280. fixerit.

In Gallia Mabillonius non offenderat antiquius in hoc genere documentum literis Ioinvillaei ad Ludovicum X. dictum Hutinum, qui regnavit a. 1314. duobusque ſequentibus, vid. *Lib. I. de re dipl. c. 8. §. ult.* Neque plura nos docuerunt vel Montefalconius in *cit. Diſſ. de papyro*, (cuius verba exſcribere, quam in totam rem inquirere maluit Cl. de la Lande,) vel Auctores *du nouveau Traité de Diplomatique Tom. I. p. 521. ſeq.* Verum nuper Cl. Bullettus, elegantiſſimi vir ingenii,

Digitized by Google

genii, Veſuntione ſibi viſam ſcripſit clauſulam quandam teſtamenti Othonis IV. Burgundiae Comitis a. 1302. in charta noſtrate: vid. *recherches hiſtoriques ſur les cartes à jouer*, edit. Lugd. 1757. *p. 25.* Fruſtra vero huius originem altius ipſe repetit ope teſtimonii Card. Beſſarionis in *epiſt. ad Ianum Laſcarem*, ubi de exemplo operum Baſilii in papyro ante annos trecentos, id eſt circa a. 1140. ſcripto, verba fecit; quum ipſe Beſſarion, Graecus natione, adfirmet ſe hunc codicem vidiſſe Byzantii, ubi profecto non lintea, ſed bombycina charta uſu recepta erat: vid. Leo Allatius in *Animad. ad Antiq. Etruſc. Inghiramii §. 55.* Montfaucon in *Palaeogr. Graec. p. 18.* Humfr. Hodius *de Graecis illuſtr. ling. Gr. inſtaur. Lib. I. c. 5. p. 142.*

Ex his omnibus perſpicuum eſt, quam parum in hac re pro eiusdem dignitate praeſtitum ſit hactenus, quam vero multum laborandum reſtet. Certe, quas iam communicavimus obſervationes, valde etiamnum ſunt mancae, quum in Italia Galliaque Monteſalconius memoraverit quidem inſtrumenta poſt a. 1270. ſcripta, at vetuſtiſſimum indicare neglexerit, in Germania unus modo alterve rei incubuerit, et qui plus reliquis praeſtare potuiſſet, Gudenus, obſervata ſua ad poſteritatem haud transmiſerit, in Anglia porro Belgioque multum videatur aliorum relictum induſtriae. Sed, quod magis dolendum, nihil hactenus nobis reſerarunt vel Hiſpania et Luſitania, vel regiones ſeptentrionales, vel aliae orae Germanis Italisque vicinae. Quum igitur una natio pluribus forte poſt aliam luſtris hanc chartam recipere potuerit, intereſt ut de unaquaque id cognoſcatur; unde tandem conſtabit, quaenam caeteris praeiverit, ac pro inventrice habenda ſit, imo quam proxime detegetur inventionis aera, quam intra annos 1250. (vel forte 1270.) et 1302. quaerendam docent praecedentia.

Viſum igitur hac ſchedula eſt, quoscunque in Europa viros literatos, quibus ad inſigniores bibliothecas, aut archiva publica, aditus eſt, amice exhortari, ut ſinguli inquirant in antiquiſſimum cuiusvis regionis ſive librum, ſive di-

 ploma,

ploma, ſive qualecunque tandem documentum, chartae lineae inſcriptum, et ſi tale offenderint, eius titulum, epocham, locumque, ubi adſervatur, accurate deſignent; probe ſemper attendentes, ne in chartae genere decipiantur, ut mihi fere accidit inſpecto libro MS. cuius chartam ſtatim iuraſſem linteam, tum ob candorem, tum quod per nimium libri uſum omnem prope fulgorem amiſiſſet, niſi pro bombycina pugnaſſent codicis tam ligatura, quam idioma Graecum, idemque accuratius deinde examen confirmaſſet. Has vero obſervationes ut Roterodamum ad me mittere velint ante Kalendas Ianuarias, vel certe Februarias anni proximi 1763. enixe ac humillime rogantur. Eo ſiquidem tempore, modo vitam Deus viresque conceſſerit, illas omnes in ordinem redigere, moxque in Diario quodam, adiecta honorifica auctorum mentione, ne quem inſumti poeniteat laboris, publicare conſtitui: illi praeterea, qui omnium primum in hoc genere inſtrumentum detexerit, poſtquam per alterius examen res confirmata erit, ſimile, atque Goettingenſis conſtituit Academia, adiudicaturus praemium, nempe viginti et quinque aureorum, (*ducatos* vocant,) qui victori aut nummis, aut libris apud bibliopolas venalibus, ad eius arbitrium, ſolventur.

NUOVI ISTROMENTI PER LA DESCRIZIONE etc.

i. e.

NOVA INSTRUMENTA IN CONSTRUCTIONE diverſarum, antiquiorum ac recentiorum, curvarum, multarumque aliarum, quae ſcrutinio Geometrarum et uſui Practicorum inſervire poſſunt. Subiunguntur exempla novarum rei nauticae machinarum duo, et mechanicae unum; nec non obſervationes ſuper polygonis rectilineis regularibus nonnullae. Auctore Comite IOANNE BAPTISTA SUARDO.

Brixiae 1752. ex typographia Io. Mariae Rizzardi, 1. Alph. 14. plagg. in 4to maiori, cum 34. tabb. aeneis.

Occa-

Digitized by Google

Occaſio ſcribendi huius operis ill. Auctori primum ſubnata eſt cum ruri eſſet, et miras curvarum ſpecies, quae in floribus atque arborum foliis deprehenduntur, conſideraret, nihil relinquens, quod earum determinandarum cauſſa tentare poſſet. Hinc in elaborandis inſtrumentis, quibus omnis generis curvas deſcriberet, occupatus, tandem excellens hoc opus condidit, cuius nunc argumentum breviter recenſebimus. Namque organicam curvarum ſumma cum diligentia, magnoque iudicii acumine, illuſtriſſimus Comes perſecutus eſt, tanta tamen uſus modeſtia, ut tribuere ſibi quidquam nolit, quod ab aliis, ſe inſcio et invito, hac in re eſſet repertum, quanquam plurimas curvas, magnam partem a ſe detectas, nova conſtruere methodo in hoc opere docuerit. Inſtrumentum primum comparatum eſt ad deſcribendas conchoides, tum Nicomedis, et quam Maria Caietana Agneſi, illuſtris femina, nuper invenit; tum ad alias quae ex baſi circulari generantur: quarum quidem deſcriptiones ſcenographicas et organicas Auctor exhibet. Inſtrumentum ſecundum ad Ciſſoidem Dioclis, et curvam clariſſimi Quadrati, inſtructum eſt. Declarata enim Ciſſoidis origine modum deſcriptionis organicae proponit, et controverſam illam quaeſtionem, an uno eodemque inſtrumento variae curvarum ſpecies deſcribi poſſint? dirimit, diſtinguendo inter curvas quae non niſi magnitudine differunt, qua ſymmetriam autem plerumque conveniunt, et inter eas quae magnitudine variabili in alias ſemper aliasque ſpecies tranſeunt. Tertium inſtrumentum illuſtris Comes invenit pro deſcribenda quadratrice praeſertim Dinoſtrati, quam Millieto facilem admodum viſam, ill. Comes multa laborare difficultate perſpexit. Organicae conicarum ſectionum cuum operati ſint multi, Midorgius, Fr. a Schooten, Caſtellus, aliique, inaequali quidem ſucceſſu, haec arva ſatis culta vix tetigit, ne ſibi ipſi neceſſitatem imponeret, de modis, quibus alii hyperbolas, parabolas, ellipſes, aut per puncta, aut organice deſcribunt, ſententiam dicendi ſuam, neve aliorum conatus ſimili labore repetere videretur. Itaque de inſtru-

 mento


Digitized by Google

mento quarto, hunc in finem compoſito; breviter et abſolute diſſerit. Quintum autem, quo in conſtructione Logarithmicae tractoriae utitur, fuſius pertractat. Poſtquam enim in huius curvae originem inquiſivit, primo communem, deinde Perralti tractoriam, per approximationem deſcribit, novamque eius proprietatem in armandis trabibus commonſtrat. Inſtrumenti pro cycloidis deſcriptione, quod ordine ſextum eſt, amplam ſuggerit explicationem, praemiſſa nova huius curvae origine, et refutatis, quae moveri contra conſtructionem ab auctore expoſitam poſſent, obiectis. Ovales Carteſii refractionibus accommodatas ſeptimo inſtrumento organice conſtruit, modorum ſimul memor, quibus iſtae ovales Carteſii per curvarum quarundam mutationes produci poſſint; ſuper qua re epiſtolam Boſcovichii V. Clar. ad ſe datam profert, in qua dilucidandarum harum cauſſa curvarum multa diſſeruntur. Octavum inſtrumentum Auctor peringenioſe excogitavit, ad deſcribendam curvam incognitam quidem, ſed in perſcrutanda florum foliorumque geneſi admodum utilem. Nempe incognitam, quod eius indoles non ſatis ſub computi leges redacta eſt, appellat, altiori et magis compoſita affectam aequatione, quam ut illius de organica deſcriptione quenquam ſollicitum oporteret eſſe. Nihilo tamen ſecius deſcriptione illius edoctus eſt Auctor, quam non inutilem operam collocaverit, quum, ea perſpecta, ad pervidendam curvarum, quae motu duorum circulorum compoſito naſcuntur, naturam, inſigniter praeparatus fuerit. Itaque nonnulla libet ex Auctore hic decerpere. Aequationem pro curva iſta hoc modo eruit: Sumtis in circulo *VM* duobus arcubus aequalibus, demittantur perpendicula *BP*, *DI* ad *MV*. Iam quoniam per conſtructionem angulus $VCD = GCB$, erit etiam angulus $DCG = BCM$. Dicatur porro radius $CV = a$, et ducta ex puncto *Q* curvae ad *CV* normali *QH*, ſit $CH = x$; $HQ = y$; quibus factis inſtitutus ſecundum leges computus aequationem dabit ſequentem $y = \pm \sqrt{\left(\frac{x^3 - 2ax^2 + a^2x}{2a - x}\right)}$.

Tab. II. Fig. 1.


Quod

Fig. I.



2. et 3.

Fig. III.



4.

Fig. IV.



Digitized by Google

Tab
F

Digitized by Google

Quod vero ad deſcriptionem huius curvae attinet, ill. Auctor eam hoc modo abſolvit: Ducantur ex centro *C* ad circumferentiam radii *CV*, *C*1, *C*2, *C*3 etc. aequidiſtantes; et poſtea ex vertice *V* aliae maiores rectae *VG*, *V*1, *V*2, *V*3, etc. ſecantes in circumferentia arcus, arcubus inter radios comprehenſis aequales; linea per puncta interſectionis rectarum *CV* et *VG*; *C*1 et *V*1; *C*2 et *V*2, *C*3 et *V*3 erit curva incognita propoſita. Poſt illa Auctor deſcriptionem eius organicam artificioſe inſtituit, maiori tamen artificio in ipſa natura obviam, quippe quae circumferentiam foliorum in arboribus atque plantis, omnemque fere fructuum formationem, (ut in pomis aurantiis citreisque decorticatis apparet,) ad has ipſas curvas earumque diverſas ſpecies eleganter componit. Inſtrumentum nonum, ob ſingulares eximiosque uſus, nomine calami geometrici *(penna geometrica)* inſignivit. Huius ope curvae deſcribuntur, quae ex motu compoſito duorum circulorum generantur, ut ellipſis, circulus, flores geometrici, cicloides baſium circularium, ſpirales, et praeſertim ſpiralis Archimedea; immo recta hoc inſtrumento conficitur. Atque is eſt locus, quem Auctor aliquanto prolixius pertractat, quatuor videlicet partibus: in quarum prima et ſecunda deſcriptionem harum curvarum per puncta et organico modo, in tertia uſum machinae ſigillatim, atque faciem eius accuratam, in quarta ſimile quoddam inſtrumentum, ex tribus pluribusve compoſitum circulis, profert, quod deſcriptioni curvae planetariae ab Varignone determinatae vel maxime inſervit. Decimo inſtrumento, eoque ultimo, polygona rectilinea regularia, et curvam loxodromicam conſtruit. Quamvis enarrationi inſtrumentorum finem hoc loco Auctor ill. facit, tamen elegantem ſuper quadrante loxodromico ſubnectit tractationem; quo quidem nomine machinam a ſe inventam Dromhydro-metricam, quae viam nempe navis locumque eius in mari definit, expoſite deſcribit. Machinae ſimilitudine ductus aliud inventum in lucem producit, ſcilicet ſcapham ſive cymbam adverſo flumine per ſe navigantem, cuius cum

Fig. 2. et 3.

Fig. 4.

Digitized by Google

lectoribus brevem ideam communicabimus. Sit ſcapha *Fig. 5.* *GH*, per cuius latera transverſe axis porrigitur incurvatus *Fzonmux C*, qui cum duobus tympanis *A* et *B* unum ſolidum conſtituit, et per impulſum fluminis cum iis ſecundum lineam *mn* circumvolvitur. Sit porro axis quatuor furcis armatus *P, C, D, Q* circa ipſum mobilibus, et profunditate fluminis paulo longioribus; qui ad fundum delapſi, eique in ſitu ſcaphae contrario obnitentes, eam naturaliter ex *H* verſus *G* antrorſum propellent. At vero furcae *C, D* in fundo, cui obſiſtunt, firmiter haererent, et curſum ſcaphae ex *H* ad *G* ſiſterent, niſi fluvii velocitas tanta eſſet, ut tympana, et cum iis axem ſupradictum *Fzonmux C*, (qui cum tympanis unum idemque ſolidum efficit,) circumrotaret. Rotatur hoc modo ipſum centrum motus axeos, quod prima in recta *mn* ponitur eſſe, poſtea in linea *zoux*, per extremitates ſuperiores *zo* furcae *D*, et *ux* furcae *C* determinata. Axis itaque, ſecundum lineam *zoux* revolutus, furcas *Q* et *P*, earumque extremitates inferiores *Q*, *P*, ſupra fundum tractas, antrorſum movebit, alteram *Q* per duplum ſpatium *Fz* in ſitu *Fq*, et alteram *P* eodem modo. Unde ſcapha per tympanorum rotationem, contra directionem fluminis, ſecundum radios *no* ſive *mu*, ex primo ſitu *mn*, ſemper antrorſum movebitur. Neque aliter furcae *D* et *C*, quae antea immotae erant, nunc, furca *Q* ex ſitu ſuo *fq* ſurſum lata, fundum petentes movebuntur, et ſcapham ea, qua fundo obſiſtunt, vi, circumactis ſemper tympanis, adverſus fluvium prorſum urgebunt. Hanc navigii deſcriptionem ſequitur uſus cochleae Archimedis plane inſignis, qui, de ſententia Auctoris, neque antiquis, neque hodiernis Mechanicis cognitus fuit. Nempe cochlea haec conſtat ex cylindro ope manubrii revoluto, circa quem funis ſpirarum inſtar cavarum ducitur, de quo ex trochlea pondus dependet. Circumacto igitur cylindro, funis ſimiliter circumvolvitur, trochleamque cum pondere ab una extremitate ad alteram perfert. Eſt ergo axis huius machinae horizonti parallelus, ad quem etiam inclinatus poteſt eſſe; adeo ut hac ratione pondera

dera, et gravia quaelibet, homines item, trans foſſas, trans flumina haud valde lata, vehantur, cum cochleae Archimedis uſus potiſſimum in allevandis ad mediocrem altitudinem aquis conſiſtat. Praeter hanc ill. Comes cochleam excogitavit aliam, cuius axis horizonti verticaliter inſiſtit, atque ad varios uſus adhibetur. Poſtrema huius libri Pars nonnullas obſervationes ſuper quibusdam polygonis rectilineis regularibus, quae maximam partem vel novae, vel ab aliis haud eo, quo ab Auctore, modo demonſtratae ſunt. Ibi enim diſquiritur de triangulo, quadrato, pentagono, hexagono, etc. usque ad dodecagonum, varia ſcitu digniſſima; alia de valore angulorum, de ſectionibus angulorum ad centrum, atque id genus plura, quae oculatiores non ſine voluptate cognoſcent.

Verſuch, den Gebrauch der Quellen in der Staats- und Kirchengeſchichte der mittlern Zeit zu erleichtern ꝛc.

i. e.

TENTAMEN, USUM FONTIUM IN CIVILI ET eccleſiaſtica hiſtoria aetatis mediae faciliorem reddendi, occaſione coeptae continuationis hiſtoriae eccleſiaſticae Baumgarteniae editus a D. IOH. SALOM. SEMLERO.

Halae 1761. plagg. 10. in 8.

Collectiones rerum Germanicarum, quibus hodie gaudemus, multifariam conducere reipublicae, ideoque noſtra tempora prioribus feliciora dici poſſe, (§. 1.) quis eſt intelligentium qui negare audeat? Praeſertim in hiſtoria civili, eccleſiaſtica, et alius omnis generis, item in iurisprudentia, earum utilitas eſt inſignis. Loquimur iam de aetate media. Sed duo ſimul monenda merito videntur. Primum quod praeter neceſſitatem praeclari operum illorum editores auxerunt vetera monumenta, nimiamque a nobis induſtriam requiſi-

Digitized by Google

quiſiverunt, inſudandi toties lectioni unius rei, dum exempla ſolum centies iam recocta, et per amanuenſium oſcitantiam in dies peiora, nobis obtruſerunt. Ut nihil dicamus de libri pretio, temere tali iniquitate exardeſcente, qua emtoribus nihil gravius. Deinde, quod iidem auctores, quando ipſas quoque tabulas authenticas orbi docto communicant, tanta incuria id ipſum fecerunt, ut mendis abundent, quibus corrigendis facillime pares fuiſſent, aut quae hodie leviter doctus quisque pervideat. Numerum, qui prioris culpae rei ſunt, multiplicavit Muratorius. Nam ex Lambecii bibliotheca caeſarea collationem Annalium Fuldenſium cum Pithoëana editione rebus ſuis Italicis intulit, immemor Freheriae et Quercetanae, cumque parum papyri ſuffeciſſet obſervandae diſcrepantiae. Pariter Baluzius miſcellaneis ſuis inſeruit Chronicon Floriacenſe, iam obvium apud Quercetanum. Et Geſta Trevirenſium Archiepiſcoporum, ſi ad exemplar Dacherii exacta fuiſſent, annotatis differentiis, melius prodiiſſent per Martenium et Durandum, ac quidem nunc apud hos habentur, partim reſecta, partim inutiliter interpolata. Quod ad alteram recte reprehendendorum claſſem attinet, eorum fatis in ſcenam mox producemus.

(§. 2.) Abundamus virorum doctorum copia, qui per tria fere abhinc ſecula falcem criticam in graecos et latinos auctores tanta proſperitate immiſerunt, ut lolium exſtirpantes fructus maturrimos procurarint, ſenſum verborum et perſpicientiam reſtaurando. Simile beneficium meruiſſent hiſtorici medii aevi. Sed caruerunt manu docta, et pericula quae fecerunt Chriſtius et Struvius, ut erant exigua, confeſtim deſtituta ſunt progreſſionibus optatis, periitque meſſis laeta dum in herbis eſſet. Interea eiusmodi ſolertia, emaculandi priſca monumenta hiſtorica, tanto magis commendanda eſt, quanto certiorem utilitatem praeſtat, commodiusque ſuſcipi poteſt, nec requirit omnino, ut is, qui labori ſe accingit, ingenium Gronovii, Burmanni, Bentleii adaequet. Modo non penitus alienus ſit ab hiſtorico ſtudio, calleatque veterem dialectum. Secundum haec in Excerptis ex vita

An-

Digitized by Google

Anſcharii apud Quercetanum, Regem Suecum, qui Bem vocatur, non difficulter in Bern converteris, ſi Suecorum Bioern non ignoraveris. Haec etiam ſubſidii multum ſortiuntur ex comparatione cum aliorum ſcriptis. Hinc emendatio Muratorii, quando pro *fugato ducem Auronto* legit *fugato duce, Aurontum vero eſt urbs Arauſio, Orange*, magnam veritatis et rectae purgationis ſpeciem prae ſe ferret, niſi aliunde conſtaret, legendum eſſe *duce Mauronto*, elemento ultimo prioris vocis adiecto alterius principio.

(§. 3.) Intelligas oportet latinitatem monachalem, quippe pleraque hiſtoriae mediae debemus monachis. Habebant hoc boni monaſteria tum temporis, ut loco univerſitatum literarum in republica vigerent, nutrirentque quendam intra clauſtra, qui hiſtoriam ſui temporis, ſaltim utcunque, ſcriberet; quod magni hodie a nobis faciendum eſt. Opus eiusmodi interdum aggrediebantur, cum honoratioribus in eccleſia accenſerentur, cum Abbatum, Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Paparum adeo dignitate eminerent. Hi vero hiſtorici ſibi placebant diverſo admodum ſcribendi genere, incondito utplurimum, quod addiſcendum eſt diligenti eorum lectione. Diverſa illa ſcribendi ratio quoque originem nonnunquam debet diverſitati locorum, ubi auctor patriam aut munus nactus eſſet. Sane Luitprandi Epiſcopi Cremonenſis opera faſtum quendam auctoris produnt, inflati praeſertim graeco ſermone, quem obiter ſapiens alto ſpiritu crepat in ſuis recitationibus. Monachi S. Galli garrulitate quadam ingenioſi videri volunt, aliisque praeferri: quam indolem probant narratio de rebus geſtis Caroli M. apud Quercetanum, et Ekkehardus de caſibus monaſterii S. Galli. Ditmarus Epiſcopus Merſeburgenſis tam ſingulari verborum copulatione in chronico ſuo ducitur, ut eius gnarus Annaliſtam Saxonem plagii poſtulare ſine mora poſſit, propterea quod ipſius ſcrinia compilavit. Placet ſibi bivio Pythagorico, placet ſibi potione paulina, qua Lotharium Marchionem nihilo tamen ſecius ait ſuperatum et ebrium fuiſſe. Paulina ei eſt modica et paululum guſtata potio.

Digitized by Google

(§. 4.) Ita porro Archiepiſcopum Moguntinum nominant Pontificem ſummum, quod antiqua verſio germanica Chronicae regiae S. Pantaleonis male ſumit pro Papa romano. Sacrae regenerationis myſteriis initiari dicebant de eo, qui vitae monaſticae mancipabatur, ſaltim ſtilo Cluniacenſium.

(§. 5.) Interdum decidunt in tantam orationis barbariem et ſtribliginem, ut nihil ſit infra, cuius cauſa videri poſſunt formulae Marculfi, et centuria chartarum Alemannicarum apud Goldaſtum; quae calamitas maxime ſeculum octavum urget. Poſtea quidem tolerabiliores fiunt dictione ſua latina, ſed alio abripiuntur errore, quando verſus leoninos conſuunt, nec hiſtoriam alio nitore credunt excoli poſſe, ut diſcimus ex Arnulphi libro primo de S. Emmeramo, in Caniſii lectionibus antiquis. Rhegino ipſe fatetur, ſe coactum fuiſſe uti libris minus latine conſcriptis, ad recenſendam Caroli M. vitam, nec alios videtur intelligi velle, quam Annales Francorum, qui ſuper laudati Caeſaris regno in Querectano reperiuntur. Quum itaque tempus ſit bonis artibus et literarum ſtudiis adeo inimicum, ut monumenta illarum tanta barbarie infuſcarint, idque vel vitae ſanctorum deſcriptae teſtentur, ratio in promtu eſt, cur operam poſtea dederint, ut hae terſiore latinitate recolerentur, quod vocant ſtilo comtiori vitam pandere, magis ſcholariter ſcribere, etc. Audiamus eam in rem Folcuinum de geſtis Abbatum Lobienſium apud Dacherium: *In quibus* (vitis deſcriptis SS. Urſmari et Ermini) *quidem veritas hiſtoriae, quantum a ſimplicis eloquentiae viro deſcribi potuit, amplectenda eſt, de confuſione autem verborum dictorum non noſtrum eſt iudicare, quae illis tanta ineſt, ut incertum ſit, utrum ad inſinuanda, quae noverat, minus licet erudite, quantum ad ſeculares, fuerit proclivis, an pro excellentia geſtorum ſponte parvi penderit regulas artis.*

(§. 6.) Fac, ut ſcias, an liber hiſtoricus, quem diiudicare allaboras, ſit archetypus, an vero transſumtus. Ille eſt, qui nullum niſi auctoris ſui ingenium habet fontem; hic, qui alius, aut plurium iam publicitus vel privatim extantium. Eam in rem diſpiciamus Rheginonis Abbatis Prumienſis chro-

Digitized by Google

chronicorum libros duos, cum continuatore usque ad annum DCCCCLXVII. inter ſcriptores rerum Germanicarum per Struvium. De primo Rheginonis libro nunc non eſt quaeſtio, qui omnino eſt transſumtus. Sed idem quoque valet de ſecundo, quippe cuius fundus ſunt Annales Francorum apud Quercetanum, item Bertiniani et Metenſes. Quae Rhegino proprio marte ſcripſit, vix duas implebunt plagulas, adeo concordat cum illis qui praeiverunt. Continuator eius inde oriundus eſt, unde Chronographus Saxo. Haec diſtinctio inter archetypum et exemplum magni eſt momenti, praeſertim quod ad ſupplementum et emendationem auctoris. Igitur Rhegino ad annum DCCLV. minus recte ſcribit: *Ravennam cum pentapoli et omni exercitu conquiſivit et S. Petro tradidit*, dicendum erat *omni Exarchatu*, loco *omni exercitu*. Item quando: *Thaſſilo*, inquit, *ſuus effectus eſt per manus*, corrigi debet per *in vaſſatico ſe commendans per manus*; quod, quemadmodum congruit archetypo, reſpondet ſimul veteri Germanorum diſciplinae beneficiorum, feudumque ligium denotat, atque vaſallum. Plura huius generis Auctor S. V. multo labore congeſſit, et in Rheginone melius ordinavit.

(§. 7.) Nominatim explicat A. vocem *Ringus*, patria germanicam, ſono romanam, oſtendens multis documentis, eam ſignificare munimentum Avarorum, ut iam viderat auctor Chronicae regiae S. Pantaleonis. In vita S. Rudperti apud Caniſium etiam recte ſcribitur: *Usque celebrem illorum locum, qui dicitur Rinch.* Monachus S. Galli apud Quercetanum, annotata altitudine et latitudine circuli ſeu annuli talis vimine texti, ſcribit: *Civitas* (cavitas potius) *autem univerſa aut duriſſimis lapidibus, aut creta tenaciſſima replebatur.* Sed Annales Metenſes, Rhegino, Annaliſta Saxo, et Sigebertus Gemblacenſis, nomine illo Principem Avarorum imaginantur. Et Struvius, dum Rheginonem edidit inter Scriptores Germ. indici inſeruit articulum: *Iringus Avarorum Princeps.*

(§. 8. et 9.) Quantum referat, noſſe auctorem, ubi ſecum habitet, ac quem exſcripſerit, novo docetur exemplo. Scilicet habemus rerum Hungaricarum veteres Scriptores etc. variantibus lectionibus, et neceſſariis hinc inde notis illuſtratos etc. per Schwandnerum, cum praefat. celeb. Matthiae Belii. In iis agmen ducit ex bibliotheca caeſarea Vindobonenſi Anonymi hiſtoria Ducum Hungariae hactenus inedita. Is refert inter alia, Hunnos invaſiſſe Germaniam, penetraſſe in Lotharingiam, et proelio feliciter conſerto, Erchangerum et Bertoldum captos capite truncaſſe. Thurocius et Bonfinius in eandem ſententiam ingrediuntur, decepti mirifice omnes, quia male exſcripſerant. Nam ſermo eſt de rebus Conradi I. Regis Germaniae, quo regnante Hungari ſeu Hunni longe lateque Germaniam vaſtarat. Verum etiam eſt, ambos illos Comites capite plexos fuiſſe. At enimvero hoc eſt falſum, quod ab Hunnis. Iuſſu potius Conradi Regis, quod ſe contaminaſſent maieſtatis crimine. Interea videndum adhuc, quis impoſuerit Anonymo, aliisve eum ſecutis. Is eſt Rheginonis Continuator perperam intellectus, dum ad annum DCCCCXVII. ſcribit: *Hungari per Alemanniam in Alſatiam et usque ad fines Lotharienſis regni pervenerunt. Erchanger et Berthold decollantur.* Ultimum hoc: *Erchanger et Berthold decollantur*, ab anonymo tanquam Hunnorum factum acceptum eſt, quod nolebat hiſtoricus, ſed idem ipſum ut ſeparatum et ſeiunctum a praecedentibus verbis retulerat.

(§. 10.) Nec tamen ſine pulveris iactu ſemper dixeris, quis ſit ille, a quo ſua ſumſerit auctor, quem in ius vocamus, quum multae medii aevi narrationes, ratione originis ſuae, caliginoſa premantur nocte, aut ſenſim variorum calamis concreverint. Nec differentiam inter chronica, hiſtoriam imperialem, et annales, in librorum inſcriptionibus curioſe ſervabant. Interea certum eſt partim in ſe, partim ſingulis obſervationibus ſtatum, multos annales ſummas tantum continere aut notulas maiorum operum, quibus uſus eſt epitomator pro conſilio ſuo, et genere conficiendi librum.

Super-

Supervenit his codicibus cognomen interdum caſu et fortuito, ut annalibus Bertinianis, Metenſibus, Fuldenſibus, et aliis, quod in locis ita dictis primam lucem adſpexiſſent, parvaque aut nulla ſit veriſimilitudo, eos ibidem coaluiſſe. Freherus quidem Fuldenſes autumat ita vocatos, quod rerum fuldenſium et moguntinarum prae aliis diligens annotatio, quam ſpirarent, argueret, in eo coenobio pertextos eſſe. Quod admittimus ad inveniendum cognomen, et ut ab aliis diſtinguantur ſine mora, ſed cetera Freheri hic fallunt. Sane ſi Fuldenſia ibi memorantur, id nunquam fit verbis *apud nos, in noſtro coenobio, fratres noſtri,* ſed peregrinus narrat ita fere: *Abbas Fuldenſis coenobii etc. monaſterio Fuldenſi Abbas datus etc.* Contra Chronicon Hildesheimenſe apud Quercetanum, et literarum formis repetitum in Leibnitii Scriptoribus Brunſuicenſibus, inquit, *ad monaſterium noſtrum Fuldam etc.* et tamen audit non Fuldenſe, ſed Hildeſienſe. Hermannus contractus ſaepe *Augiam* vocat *noſtram*, dicit *apud nos, frater meus Augienſis etc.* fuit etiam ipſe monachus Augienſis, nec tamen illius chronicon ita cognominatur.

(§. 11. et 12.) Iam age propius intueamur veteres tales auctores, eosve quaſi cubilibus ſuis excutientes, detegamus, unde foenerati ſint. Producit autem Auctor noſter Annales breves S. Nazarii ex Ducheſnii ſeu Quercetani tomo ſecundo; Hepidani coenobitae S. Galli annales breves rerum in Alemannia geſtarum, ex eodem et Goldaſto; Chronicon breve Bedanum ex Quercetano; Annales Francorum Tilianos ibidem; Annales Loiſelianos ſeu plebeios rerum Francicarum, quae a Pipino et Carolo M. geſtae ſunt, etiam apud Quercetanum obvios; Chronicon breve monaſterii S. Galli, pariter in collectione Quercetana, et quidem tomo tertio; Annales Bertinianos ex Quercetano et Muratorio. Iſti hiſtoriographi, quum ſe invicem ſint depraedati, alius alium ſublevant, et largam praebent materiam, vitia ſcribarum tollendi, quod locis egregiis, et improbo labore corroborat Auctor. Vita Caroli M. per incertum quendam ex Ducheſnii tomo ſecundo, eſt particula annalium Bertinianorum aut Loiſeliano-

 rum,

rum, quemadmodum vita Caroli per monachum Egoliſmenſem, ibidem. Vitam Caroli per Eginhardum, ſuppreſſo huius nomine, multi ſpoliarunt, ceu Annales Fuldenſes, Conradus Urſpergenſis, Annaliſta Saxo, Chronica regia S. Pantaleonis, Chronographus Saxo, Albertus Stadenſis, Adrevaldus de miraculis S. Benedicti, Annales Noveſienſes, Chronicon S. Benigni Divionenſis, Chronicon Turonenſe, et plures alii.

(§. 13.) Annales Regum Francorum per Eginhardum, in tomo ſecundo Ducheſnii, habentur quoque in Freheri corpore Francicae hiſtoriae veteris et ſincerae, ſub rubrica: Adelmi, ſeu Ademari Benedictini annales. Hermannus Comes Nuenarius eos non minus edidit, et Leuckfeld collocavit in tribus ſuis ſelectis ſcriptoribus, ſub titulo: Annales Regum Francorum, Pipini, Caroli, Ludovici, ab anno DCCXLI. usque ad LXXXVIII. collecti per quendam Benedictinae religionis monachum. Annales Fuldenſes hoc opere uſi ſunt. Ex Thegani, chorepiſcopi Trevirenſis ſcripto, de geſtis Ludovici pii, quod habemus itidem in tomo ſecundo Ducheſnii, integra prope pagina in annales Metenſes irrepſit. Chronicon de geſtis Normannorum in Francia ab anno DCCCXXXIII. usque ad XCVI. in laudata collectione crevit ex annalibus Bertinianis. Annales Fuldenſes ab anno DCCXIV. usque ad DCCC. ibidem lucrifaciunt praeter Eginhardi annales, Metenſes quoque, Bertinianos, et chronicon Hildeſienſe; ſed magna eorum pars tandem fit fundus optimus maximus, obnoxius nemini. Fragmentum gallici ſcriptoris, de Rege Carolo dicto ſimplice, quod inſertum eſt tomo ſecundo Quercetani, ſibi quoque vindicavit Annaliſta S. ſed ſub annis DCCCCXVI. et XVII. Quae omnia ſuis firmantur probationibus.

(§. 14.) In tomo tertio Ducheſnii habemus Excerpta chronici veteris ex codice Moiſſiacenſis coenobii, ab initio regni Francorum usque ad annum Chriſti DCCCXIX. Proſtat etiam in tomo quinto veterum Scriptorum per Martenium et Durandum. Chronicon illud in pretio habendum eſt,

licet

Digitized by Google

licet lacuna quadam laboret ſatis magna. Ad annum DCCCVI. mentionem facit civitatis Halae ad Salam. Locus vero ad annum DCCCIX. edit. Quercetanae: *Et aliqui de illis Saxones venerunt, ultra Albiam fugerunt. Ibi unam civitatem cum noſtris Guiniddinis, qui appellantur Semeldini Connaburg etc.* ita legi debet: — *Saxones venerunt ultra Albiam, fregerunt ibi unam civitatem* — *Connaburg* (ad ann. DCCCV. dicebatur *Canburg*) ſecundum Martenium, cum quo tamen faciendum non eſt, quando *Smeldinc* ſcribit pro *Semeldini*, legatur *Smeldini*. Ceterum chronicon illud Moiſſiacenſe merito adnumerandum eſt archetypis; quod vero lacunam illam eiusve expletionem ſpectat, conferri fragmentum chronici vellemus, quod ſtatim ſequitur apud Quercetanum.

(§. 15.) Pergimus ad Annales Regum Francorum a tempore quo Carolo Martello defuncto Carolomannus et Pipinus fratres regnum adepti ſunt, usque ad annum DCCCLXXXII. Bertinianos dictos a codice, qui monaſterii S. Bertini fuit. Ducheſnius tomo ſuo tertio, et Muratorius ſecundo rerum Italicarum intulit, quamvis nulla accuratione maiori. Sunt exemplum annalium Loiſelianorum, per quos intelligimus Annales plebeios rerum Francorum, quae a Pipino et Carolo M. geſtae ſunt, ex vetuſto manuſcr. Antonii Loiſelii, unde Loiſeliani audiunt, in tomo ſecundo Ducheſnii. Anno DCCCXIII. finiunt Loiſeliani, teſtante codice qui ad nos pervenit, et ex eo tempore Bertinianos ſua mutuari ex Eginhardi aut Adelmi annalibus, perhibet Ducheſnius; quod, quamvis ambo valde conſentiant, non omnino probavit, quippe veroſimilius eſt, codicem Loiſelianorum magis abſolutum auctorem Bertinianorum ad manus habuiſſe, et illo cortice etiam ultra annum DCCCXIII. nataſſe. Si Annales Metenſes ex Ducheſnii tertio tomo conferas, conſtabit, hos ab anno DCCXLI. quo Bertiniani ordiuntur apud Ducheſnium, multo copioſiores eſſe, eademque complecti, quae Martenius inter veteres Scriptores pag. 888. T. V. iterum edidit. Sed res Caroli M. latius in Bertinianis recenſentur. Denique ex comparatione anni DCCCIIX. pluriumque apparet, Meten-

Metenſes et Bertinianos ſua ex maiori quodam opere hauſiſſe, quod confirmari poteſt ex Rheginone quoque ad annum DCCCIX. ut adeo hic tria breviaria unius archetypi reperiamus, quae tamen huius iacturam non ſarciunt. Ad annum DCCCXXXIIX. Bertinianorum, et mox antea in Metenſibus, auctores hiſtoriam Ludovici pii non amplius ex uno tradunt fonte, illi Caeſari favent, hi filiis. Annaliſta S. iis aut eorum originibus frequenter eſt uſus. Metenſibus vero, ut apud Martenium hodie leguntur, a deſcriptore fruſtum ex Eginhardo, et aliud ex Thegano, infarctum eſt.

(§. 16.) Chronicon breve in S. Galli monaſterio ſcriptum ab anno DCCXLVIII. usque ad DCCCCXXVI. apud Ducheſnium tomi tertii p. 466. transſumtum eſt ex annalibus Francicis, et Hepidani, quod non advertit Ducheſnius, alias facile ſupinum declinaſſet errorem. Chronographus enim p. 469. ad a. DCCCXXXIIX. ita ſcribit: *Puoto* (Bodo potius ſecundum Bertin.) *diaconus de palatio lapſus eſt in iudaiſmum inter octavam et nonam horam in vigilia aſcenſionis Domini;* ex quo contextu verba *inter octavam et nonam horam etc.* pertinent ad annum DCCCXL. ubi: *Oritur eclypſis Solis III. non. Maii inter octavam et nonam horam etc.* Hepidani monachi S. Galli annales breves ab anno DCCIX. usque ad a. MXLIV. habentur in Quercetani tomo tertio. Iis, et chronico Quedlinburgico in Menkenii tomo tertio, annales tomi ſecundi Quercetani prodromi vice et fundamenti inſtar ſerviunt, ſi exceperis quod Hepidanus biennio ſerius ſua numeret, quam annales, quod ſecus eſt ſeculo decimo, ubi narrationes tempori ſunt aequales, quamvis non unius calami. Pars eorum ſub anno DCCCCLXXXI. profecta eſt ex Burchardi, monachi S. Galli, libro de caſibus monaſterii eiusdem. Simul tamen querimur, quod diverſae eorum editiones multis cum vitiis natae fuerint.

(§. 17.) Chronicon Hildesheimenſe proſtat in tomo tertio Quercetano, apud Leibnitium tomo primo Scriptorum Brunſuic. et in Muratorii rerum Italicarum tomi ſecundi parte altera p. 99. Apud hunc non egreditur annum DCCCXVII.

utpote

Digitized by Google

utpote ſecutus eſt exemplar Lambecii, quod eod. anno terminatur. Quum vero alibi adſcendat ad annum MCXXXVIII. vel inde conſtat, librum illum ab uno auctore, et uno eodemque tempore, elaboratum non eſſe. Eſt epitome hiſtoriae uberioris, ac conferri cum annalibus Metenſibus commode poteſt. Fontem primum, Mariano quoque Scoto familiarem, nondum poſſumus indicare. Quando immoratur Pipini rebus, concordat admodum cum annalibus tomi ſecundi Quercetani, Fuldenſes nec minus videntur copias auxiliares praeſtitiſſe. Praeterea ſuppetias ei Annaliſta Saxo, Hermannus contractus, Chronicon Würzeburgenſe in Baluzii miſcellaneis, ferunt, aut cum eo unam ſcaturiginem adeunt. Ope huius laborioſae doctrinae Auctor noſter redintegrandis ſanandisque multis locis Chronici Hildesheimenſis feliciter operatur: e. gr. ad annum DCCCCXXXII. edit. Leibnit. pag. 717. pro *Heinricus Rex fuit in Lonſheim*, rectius legit *in Lorſheim*, id eſt *Laureshaim*; et ad annum DCCCCXXXIV. *Heinricus Rex in Wocronin cum exercitu fuit*, interpretatur Wocronin, Wucronos, Wucranos, Ucranos, Ucros, *Ukermärker*. Unicum adhuc ex collectionis Quercetanae tomo tertio adnotabimus, quod Petri bibliothecarii hiſtoria Francorum ab anno DCCXV. ad DCCCXCVIII. emetat annales Fuldenſes.

(§. 18.) Corpus hiſtoricum medii aevi per Eccardum magnae eſt utilitatis, maioris tamen futurum, ſi editor curam ei adhibuiſſet decentem. Sed cum ea ſit negligentiſſime praeſtita, mendis obruimur tot et tantis lectores, ut aegre ſatis ſaepius proficiamus. Interea, quoad eius fieri poteſt, medemur defectibus, eruendo, quo duce fuerint uſi auctores ibidem obvii. In his eminet Annaliſta Saxo. Sequitur Eginhardi annales, vitas Pontificum et Sanctorum, Sigebertum Gemblacenſem, Marianum Scotum, monachum S. Galli, et Eginhardum iterum de vita Caroli M. Chronicon Hildeſienſe, ita tamen, ut fructuoſiora tradat de creatione eccleſiae eiusdem, Hepidani annales, Fuldenſes, Metenſes, Rheginonem. Anno DCCCCXI. incipit Vitichindi, anno

Digitized by Google

eiusd. ſeculi XXVI. vero Ditmari aura curſum ſuum dirigere. Anno DCCCCLII. magnam particulam eximit continuatori Rheginonis, adiungens Adami Bremenſis expoſitionem hiſtoricam de Ottonis M. expeditione militari adverſus Regem Haraldum, licet eam nec Vitichindus, nec Ditmarus, aut alius quisquam ante Bremenſem, tam magnifice memoret. Conſentit etiam quam maxime cum Chronico Magdeburgico, quod hodie apud Meibomium habemus. Sed hic obſervandum eſt, illud Chronicon omne Brunonem de bello Saxonico deſcribere, quod ne quidem in collationibus Chronici eiusdem Magdeb. cum cod. manuſcripto Dreſd. tomo tertio Menkenii pag. 360. animadverterunt. Anno MXCV. novum fontem Annaliſtae Saxonis detegimus, communem quidem cum Conrado Urſpergenſi. Interea eidem noſtro Annaliſtae laudes promeritae negari non poſſunt: fuit vir literatus, bona, ut videtur, bibliotheca, et tanta hiſtorici apparatus ubertate inſtructus, ut multa per eum tradita penes alios fruſtra requiſiveris, quorum tamen adyta et penetralia ſi paterent, melius nobis conſtaremus quod ad fidem iis decernendam. Nihilo ſecius tantae nunc in republica docta eſt auctoritatis, ut ei tuto valeamus denunciare teſtimonium, niſi in rebus genealogicis aut chronologicis amanuenſes, ut fit, fuerint alucinati. Hac occaſione non eſt quod obliviſcamur Chronographi Saxonis, quem Leibnitio in acceſſionibus ſuis hiſtoricis debemus. Is preſſo pede ſequitur Annaliſtam, nec tamen dicto eius ſemper ita eſt audiens, quin quaedam, tametſi pauca, addat. Hiſtoriam ſuam profert et extendit ad annum MCLXXXVIII. usque, quum Annaliſta deſinat in MCXXXIX. quamvis dubium naſcatur, an hunc hodie habeamus integrum. Videtur tamen Chronographus libros, qui praeiverunt illi, ad manus habuiſſe, quippe non raro ea, quae apud Annaliſtam ſparſa tanquam Hippolyti membra invenimus, collegit, atque ſuo reſtituit contextui. Diligenter etiam annos Chriſti et Imperatorum adnotat, quo nomine alterius ſuperat induſtriam. Sed revertamur ad Eccardi corpus hiſtoricum, ibique perpendamus Chronicam

regiam

regiam S. Pantaleonis. Ea, ſi exceperis ultimos annos, nil habet fere quod non alibi ſaepius fuerit iam dictum. Analiſtae Saxonis, Rheginonis, et Chronici Urſpergenſis eſt apographum. Ex verbis tamen p. 943. *Nos, qui iuxta ſolium domini Imperatoris eramus etc.* patet, auctorem fuiſſe ex primariis in republica viris. Martini vero Fuldenſis, nec non Craftii Chronica, multo minoris ſunt momenti.

(§. 19.) Fabricius Lindenbrogii Scriptores rerum germ. ſeptentrionalium anno MDCCVI. Hamburgi denuo edidit, quo pacto raritati eorum et difficultati ulterioris uſus conſuluit, ſed absque ulla, neceſſaria tamen, limae intentione. Poſſet quidem excuſationis loco allegari, nullum codicem bonae fidei calamo exaratum adfuiſſe, quo verbi cauſa Adamo Bremenſi ſuccurri medelaque parari potuiſſet. Sed hoc non obſtat, quo minus alia ratione in viam rectam rediiſſent operae et artifices typographici, ſi ipſis propinata fuiſſent ex fontibus liquidiora. Nititur autem Adamus Eginhardo, Vitichindo, vita S. Anſcharii, annalibus Metenſibus et Fuldenſibus; Rheginone, comparari quoque non ſine fructu poteſt Wolteri Chronicon Bremenſe ex Meibomio. In principio libri ſecundi apud Adamum offendimus Daniam per Ottonem M. ad chriſtiana ſacra informatam. Otto nimirum Haraldum Regem Daniae bello ſubactum non alio modo regnare permittit, quam nexu feudali, et recipientem, ſe non obfuturum evangelii luci in Dania. Sacra unda igitur chriſtiano ritu initiantur Haraldus, Regina, et filius Sueno, cuius nomen augetur ab Imperatore in Suenotto. Imperator pariter Epiſcopatus Slesvici, Ripae, Arhuſae fundat, et Adaldagus, Archiepiſcopus Hamburgenſis, praeſules eorum inaugurat. En ſummam facti memorabilis, et per faſtos aeternandi. Nihilo tamen minus Vitichindus, Ditmarus, continuator Rheginonis, Chronicon Hildeſienſe, Conradus Urſpergenſis, Hermannus contractus, Sigebertus Gemblacenſis, Lambertus Schafnaburgenſis, et quotquot ante Adamum Bremenſem ſcriptis inclaruerunt, de eo ſilent, aut non ita referunt ut ille. Annaliſta S. autem integram narrationem

 deſcri-

deſcripſit ſub anno DCCCCLII. Helmoldus eandem excerpſit, nullo tempore commemorato. Albertus Stadenſis exſcribit Adamum ſub anno DCCCCXLVIII. Chronicon Holſatiae in Leibnitii acceſſ. hiſtor. breviter rem tangit. Wolteri Chronicon Bremenſe nil habet de Ottonis expeditione bellica et victoria, licet alias Adamus ipſi facem praeferat. Quid itaque ſtatuendum erit de fide hiſtorica, Adamo Bremenſi, cuius vita calamusque non appropinquant Ottonis M. temporibus, habenda? Sane melius nobiſcum egiſſet, ſi indicaſſet fontem ſuum. Interna tamen, noſtra ſententia, defendi poterit, quando in Agapeti Papae epiſtola ad Adaldagum anno DCCCCXLVIII. mentionem deprehendimus chriſtianae religionis per ſeptentrionem propagatae, et Epiſcoporum Danorum; imo non ſolum Adaldagus, ſed Epiſcopi quoque Slesvicenſis, Ripenſis, et Arhuſanus, anno laudato interfuerunt Concilio Ingelhemenſi. Ex his conficitur ſimul annus, nimirum nongenteſimus quadrageſimus octavus, ut Albertus Stadenſis iam viderat rectius Annaliſta S. Poteſt etiam Poppo iuſſu Imperatoris ſui, tanquam ſacerdos ſpectatae vitae, in Dania chriſtianae religioni et deorum exſilio operam navaſſe, qua via Vitichindum et Ditmarum, qui talia quaedam literis conſignarunt, Adamo conciliare poſſes. Proxima in Lindenbrogio eſt incerti auctoris hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium, quae ad Liemarum usque nil aliud quam Adami epitome dici poteſt; Adamo exareſcente, rivulis Helmoldi ſuos irrigat hortos. Sequitur ibidem Chronica Slavica incogniti iterum ſcriptoris, citans Vincentii ſpeculum hiſtoriae, quod ad antiquiora, deinde ſcribit Helmoldi verbis, in quo tamen plus vice ſimplici labitur; ut quando tradit, legatum Imperatoris, *nomine Hedibam*, circa Sleswich occidiſſe. Helmoldus convenienter ediderat: *Marchionem, qui erat apud Sleswich, quae* (civitas) *alio nomine Heideba dicitur, cum legatis Regis Ottonis obtruncavit.* Heidebam ergo ille in nomen viri, quum urbis eſſet, depravavit. Annales apud Lindenbrogium p. 251. non multum lucis foenerantur hiſtoriae. Succedit Erici Daniae Regis expo-

expoſitio gentis Danicae ortus, quae maxime, ſi prima ſpectaveris, ſe conformat ad ſententiam Saxonis Grammatici, turpata tamen huius latinitate, vixque ullius eſt bonitatis temporibus ante ſeculum duodecimum, ob corruptam chronologiam.

(§. 20.) Progredi placet ad celebre Chronicon Urſpergenſe. Eius omnia, ad anacephalaeoſin usque, depromta ſunt aliunde, ex Annalibus Francicis, qui tomo ſecundo Ducheſnii inſunt, ex S. Galli chronico, ex annalibus Hepidani et Fuldenſibus, ex Chronico Hildeſienſi, Eginhardo, Vitichindo. Anno MCXXXIX. incipit ſalutare Ottonem Friſingenſem, et res Hungaricae in hiſtoria Henrici III. Imperat. totidem verbis leguntur in Hermanno contracto. Cum Chronographo Saxone, Chronicaque regia S. Pantaleonis, tanta cum accuratione ſaepenumero facit, ut alius ex alio poſſit emendari. Nec tamen horum trium ullus proprie exſcripſit, ſed omnes uno fertiliori penore chartaceo delectati videntur, ut colliges ex diverſa ubertate breviarii, quod quisque ſuo libro intulit, et ex rerum optione. Idem iudicamus de Annaliſta Saxone. Forte penus illa communis eſſe potuit Chronica antiqua, quae in primo Eccardi volumine in Craſtii Chronico interdum, maxime p. 2068. allegatur, ſaltim portio ibi paulo ante conſpicua, *ſurrexit undique gens contra gentem*, in Urſpergenſi, in Chronico S. Pantal. et Annaliſta S. locum habet. Quando autem Conradum Chronici Urſpergenſis conditorem propterea volumus agnoſcere, ſaltim vertente ſeculo undecimo, quod in prima perſona ſcribit *vidimus, comprobamus etc.* id ipſum lubrico valde nititur fundamento, dum eadem loca cum *vidimus etc.* in Chronica S. Pantaleonis, Annaliſta S. et paſſim alibi reperimus. Potius rem penſitanti curatius in aprico erit, praeter Conradum plures chronico commodaſſe induſtriam manumque.

(§. 21.) Chronicon Hermanni contracti adhuc hodie libris adnumeremus oportet, qui praeclare meriti ſunt de re noſtra hiſtorica, licet ſcribarum ſtudio ſenſim additionibus creverit, quae Hermanno in mentem venerunt nunquam.

Digitized by Google

Hinc multum ab invicem diſtant editiones Urſtiſii et Caniſii, quarum haec eſt locupletior. Nam ſcriba veteres annales Francicos, aut librum unde Metenſes et principium Chronici Hildeſienſis deſcendunt, ipſe prae manibus habuit, brevius tamen excerpſit, quam in Hildesheimenſi factum. Differt inſuper orthographia nominum propriorum, ut Blidruda, Plichtrudis etc. Recentior Caniſiana et iterum per Baſnagium editio oſcitanter admodum prodiit, nec alia in Struvii tomo primo melius eſt curata. Promiſſa hic comparatio cum Caniſiana contigit male fida, quod multis documentis Auctor noſter S. V. teſtatiſſimum reddit. Ratio hic habenda fuiſſet annalium Fuldenſium, ex quibus ſua mutuari incipit Hermannus anno DCCCXVII. viciſſim ipſe deſcriptus in Chronicis Urſpergenſi, S. Pantaleonis, et monaſterii Mellicenſis, quorum poſtremum Pezius in tomo primo rerum auſtriacarum publici fecit iuris. Nec minus eſt probabile, Hepidani annales tomum ſuum ſecundum rebus S. Galli ex Hermanno potius ditaſſe, quam quod hic ex illis ſuos foecundaſſet agros. Chronicon Anonymi, in ultima editione lectionum antiq. Caniſii vol. tertio, mancum eſt admodum et imperfectum, coeptum tamen ordine bono antiquam prae ſe fert originem. Quaedam ſuppleri poſſunt ex Annaliſta Saxone, quod iterum indicio eſt, Annaliſtam theſaurum quendam olfeciſſe literarium, qui nec minus Rheginonem, annales Bertinianos, Metenſes, aliosque latuerit, ita tamen, ut alius eorum alia in pluteos ſuos comportarit. Quod ſi duo aut plures unum idemque dignum reperiſſent quod obſervarent, una eademque verborum ſerie id faciunt, nec iuſte plagii mutui ſunt accuſandi. Sed auctor ad umbilicum opus ſuum non perduxit; poſt Francicum illum fontem paulatim alios adhibere, et in chartam coniectos annos, hiſtorica recenſione adhuc caſſos, ex iis literatos reddere voluit. In Struvii editione rerum germanicarum poſt Hermanni Chronicon adeſt Lambertus Schafnaburgenſis, hiſtoricus auctoritatis multae, ſed criticis nequicquam curae cordique. Prima eius pars vires ſumſit ac incrementum ex antiquioribus

bus

Digitized by Google

bus egregiis, quibuscum in editione nova merito contendendus fuiſſet. Quam id neglectum fuerit a Struvio exemplis ſubinde probat Auctor noſter, unde unicum citamus. Scilicet anno DCCCCLXXVII. ad *invaſerant Bazovam* Struvius incongrue monet: *ſine dubio intelligitur Bauzen primaria Luſatiae urbs;* ſermo potius eſt de *Paſſavio,* ut praeeunt Chronicon Hildesheimenſe, Annaliſta, et Chronographus Saxo ad annos DCCCCLXXVI. et LXXVII. Verſus undecimi ſeculi dimidium Lambertus in nullius iurat verba, ſed fit archetypus. Marianus Scotus nec meliorem ſortem expertus vitiis iterum iterumque ſcatet, quae vitari potuiſſent, reſpiciendo eos, quorum luce coruſcat. Secundum haec ad annum DCCCLXXVI. verba: *Carolus — ab urbe Roma in Pragam reverſus, Boſoni — Irmingardam — uxoravit — et inde Papiam ingreditur,* rectius valent, ſi pro *Pragam* legatur *Longobardiam,* ut ex annalibus Metenſibus, Annaliſta Saxone, aliisque docemur. In rebus Henrici III. Imp. ex anno MXLI. quas Marianus, Chronicon Hildesheimenſe, et Würzeburgicum apud Baluzium, tradunt, tanta advertitur conſenſio, ut alius alium deſcripſerit, aut omnibus unus ſit promus condus. Verſus finem Marianus ipſe fit auctor, et in diverſam abit ſententiam quod ad Henricum IV. eiusve adverſarios Rudolphum et Hermannum, quam animi alienationem videmus quoque in Dodechini appendice, collatis aliis hiſtoriographis. Sigebertus Gemblacenſis, ſcriptor itidem primi voluminis Struviani, opem criticam gemino iure deſiderat. In hiſtoria Francica inprimis Eginhardo, deinde annalibus Fuldenſibus, Vitichindo, hiſtoria expeditionem cruciatarum levatur. Quae ſub anno MXCIX. perhibet, habentur quoque in Chronico Urſpergenſi de hac aſiatica excurſione, fuſius tamen.

(§. 22.) Examinemus etiam Gallicos et plures alienigenas hiſtoriae creatores. Illorum non multi ultra Rhenum mox migraſſe videntur, ſeque inſinuaſſe in notitiam atque calamos patrum noſtrorum. In Chronico Urſpergenſi rare inter quaedam ex ſcriptore Gallico Saxonicis relationibus addita

dita cernuntur. Frodoardum vero, nobilem hiſtoricum, etiam quod ad res ſeculi Ottoniani in Germania, ignoramus diu, in Gallia contra deſcribunt certatim, quod proclive probatu ſit ex Labbei bibliotheca nova manuſcriptorum librorum. In eius primo tomo habemus Chronicon Virdunenſe Hugonis abbatis Flaviniacenſis, qui p. 124. Frodoardi Chronicon, tecto eius nomine, compendifecit, retentis verbis. Anno DCCCCXXIII. Hugo refert Excerpta ex Aimoini lib. I. de mirac. S. Benedicti, quae pariter indita ſunt Ducheſnii tomo tertio p. 451. Ea deſcripſit verbo tenus, ac in Chronico S. Benigni apud Dacherium offenduntur. Martenii fuiſſet omnino, recordari editionis Labbeanae, quum annales inferret tomo tertio anecdot. annon iam prodiiſſent quaedam, et quomodo lucro apponenda eſſent. Quod cum omiſiſſet, invenimus apud eum cit. l. breve Chronicon Lemovicenſe, quod iam Labbeus praeſtantius ediderat. Inſcius etiam fuit, quod ſuum Chronicon breve Normannicum, ſeu Britannicum, eſſet unius tenoris cum Chronico Engoliſmenſi per Labbeum. Ex Luitprandi, Epiſcopi Cremonenſis, hiſtoria ſui temporis, in Chronicon Urſpergenſe, nec non in Sigeberti Gemblacenſis chronographiam, cooptata comparent haud pauca.

(§. 23.) Ex his, quae hactenus diſputavimus, neminem fugiet, quantum adhuc deſideretur in adſerendo fontium hiſtoricorum medii temporis uſu, quantaque fuiſſet benevolentia virorum doctorum, qui editionibus rerum Germanicarum nos bearunt, ſi archetypos diligenter diſtinxiſſent ab apographis. Pagius ipſe breviori via incedere potuiſſet, ſi ſeculo octavo et nono ſcriptores principes ſolum indicaſſet. Editor eruditiſſimus Germanus annalium Italiae per Muratorium, in magna et proficua fontium antiquorum inductione, multo minus familias tales et generationes auctorum obſervavit.

(§. 24.) Haec, talis, tanta curatio ſi contingeret pluribus noſtris hiſtoriae perfectoribus conſervatoribusque, ſi dignaremur ea ſimiliter Gallicos, Anglos, Italicos, et ſub alio

adhuc

adhuc ſole calentes, ſique editores eorum; non tam magnitudine, quam bonitate commendabiles libros, publica luce donarent, haberemus, quod nobis inſigniter gratularemur. Praeclare viam monſtravit Auctor noſter Summe Venerandus, libro, cui recenſendo nunc operam et tempus cum voluptate inſumſimus, et quem Belio, Actorum horum eruditorum Directori illuſtri et meritiſſimo, nuncupavit. Dolemus ſolummodo, eum non latino ſermone exiiſſe, ſed vernaculo: nam qui haec noſtra legent intelligentque, accendentur laudabili cupiditate legendi archetypum, fruſtra tamen, propterea quod ſunt hoſpites in lingua Germanica.

MICHAELIS CHRISTOPHORI HANOVII, GYMNAſii Gedanenſis Academici Profeſſoris Philoſophiae et Biblioth. Opuſcula, quorum PARS PRIMA continet diſſertationes publice antea habitas editasque per intervalla et ſparſim, atque nondum publicatas commentationes nonnullas: editore IOANNE DANIELE TITIO, Profeſſ. Mathem. Wittebergenſi ordinario.

Halae Magdeb. 1762. ex offic. Rengeria, 3. Alph. 1. pl. in quarta forma.

Quod *Hanovii* lucubrationes dudum in deliciis habent doctiſſimi quique et iudicio praediti homines, nihil ſalubrius ſapientiae et humanitatis ſtudiis praeſtare potuiſſet *Io. Dan. Titius V. Cl.* Profeſſor Mathematum Wittebergenſis, quam quod opuſcula avunculi ſui, collecta, digno ornatu uſibus orbis eruditi reſtituit. Nobis certe quum acciderit, ut, aliquot ſaltem commentationibus ſigillatim perlectis, miram cupiditatem reliquarum conciperemus; non dubitamus omnibus, qui Baconis Verulamii fecunditatem, Rob. Boylei curioſitatem, Grotii iudicium, Baylii acumen, Leibnitii ſublimitatem, Wolfii maturitatem, chartis victuris annos arrogare et genium conciliare norunt, idem eventurum. Ea, quae primo loco legitur, ſub examinis dubiorum iuris naturae indice, egregie omnibus iis occurrit, qui intempeſtivis con-

contradictionibus fundamenta diſciplinae labefactare conati ſunt. Falſas enim definitiones arguendo, veraſque ſubſtituendo, et ambiguas notiones diſcernendo, tam feliciter naturam et vim legum praeceptis ſanae rationis, tam ex promulgationis, quam obligationis evidentia, vindicavit; ut meris vocabulis ludere ſecius ſentientes aperte evicerit. Atque ut vera fateamur, ſemper infeliciſſimi iſta in controverſia nobis viſi ſunt, qui rectae rationi poteſtatem cogendi negare, et dandae legis facultatem adimere voluerunt. Nam ſummae infelicitatis, violato rationis imperio, certiſſima exſpectatio, cur non in animo intelligente idem effecerit, quod in homine corporis tantum ſenſu duci ſolito poenae denuntiatio? Utrobique enim doloris metus valet, ne coactioni effectus deſit. Et dolenda illorum ſors eſt, quos nondum ratio edocuit, ſuo iuſſu violato maiora in mala incurri, quam Draconis legibus ſpretis. Unde his commentationem Hanovianam iure verbis Horatii commendamus:

— ſunt certa piacula, quae vos
Ter pure lecto poterunt recreare libello.

Altera inſcribitur, *philoſophemata de ſilicernio*, *maxime veterum Curonum.* Conſideratur vero ſuperſtitio gentium a Chriſto alienarum, quae placandis defunctorum animabus vario ritu offerre alimenta conſueverant. Neſcimus vero, qua reddita frigidae religionis ratione excuſare cenſor Hallenſis factum poſſit, quod adiectam vulgi ex ore adpellationem cibi animarum ter deleverit (*Seelenſpeiſe*). Agit vero Hanovius ea de re cum maximo eruditionum Graecarum et Romanarum adparatu, et ex Curonum hiſtoria multa praeclariſſima adfert; donec tandem, quod philoſophi profeſſione eſt digniſſimum, elegantiſſime in cauſſas corruptae de animorum immortalitate inter homines a deo abalienatos doctrinae inquirit. Lectoribus confirmare hoc habemus, non plus voluptatis, quam fructus, capturum quemlibet, qui rectum iudicium attulerit. Ceterum, tanta in Hanovio hiſtoriarum cognitio, ingens in nobis deſiderium videndi tandem publicatos rerum Poruſſicarum Scriptores, quos ſumma induſtria

Digitized by Google

duſtria collectos ſe promiſit daturum, excitavit. Sed ne quid diſſimulemus, haec Hanovii de Curonum ſuperſtitione edecumatiſſima ſcriptio in mentem nobis vocavit Curchum, veteris Poruſſiae fictile numen, quod eſcis et potui ſacricolae praefecerant, ex diplomate A. C. cIↃCCXLIX. a pontificio legato Poruſſis dato. Nomen haud dubie a Graeco *ἀπο της κυϱιακης*, et hodieque apud Slavos templum *Curch* vocatur. Veteres incolae, ex commerciis cum Conſtantinopolitanis, quorum fides aliunde fit, quum vidiſſent, aut accepiſſent, Chriſtianorum circa templa ſacros ritus et venerationis ſtudia, audito haec fieri ad Cyriacas, ex nomine loci numen ſibi finxerunt, et pro ingenio ſuo cultum ex comiſſatione et perpotatione inſtituerunt. Quercus ſacrata, ubi haec nequitiae ſollemnia celebrabantur, Slavis dicebatur *ſuente meſte*, h. e. locus ſacer. Quia vero Anshelmus, primus Warmienſis epiſcopus, incolis Chriſto conciliatis, iſtam quercum bipenne ſuccidit, ut exſtirparetur a radice peſtilentialis error, iſte locus ſacer, Slavice ſuente meſta, in hunc diem adhuc vocatur ſacra ſecuris, ſeu *Heiligenbeyl*. Qui *Hartknochii* Diſſ. VI. §. IV. p. 113. Petri de Duisburg Chronico adiectum cum cura et iudicio legerint, addita Diſſ. VIII. §. III. p. 138., coniecturae huius noſtrae vix alias rationes exigent. Sequitur *ſpicilegium ad Charitianum ſpecimen de viris eruditis Gedani ortis*. In hoc tam diligentiae, quam cognitionis hiſtoricae, tot argumenta deprehendimus, ut ad hiſtoriam tractandam nunquam alios, quam huius ſcriptoris ſimiles accedere optemus. Loco IV. et V. *de amore inimicorum rationali* Hanovius ſic egit, ut iuſtiſſimae venerationis comitem ſibi arceſſat amorem, omnium rationis et religionis amicorum. In commentatione VI. *origo mundi ex montibus vallibusque,* contra aeternitatis eius propugnatores, tanta philoſophiae et matheſeos evidentia, tanto antiquitatis et hiſtoriarum adparatu probatur, ut ipſis ſenſibus prope percipi veritas poſſit. Obſervationes vero ſubtiliſſimae rerum naturalium ſtudioſis inſignem uſum aliis etiam in argumentis praeſtabunt. In VII. *moralitas Tontinae,* quae eſt, ut definit,

nit, *conſortii cuiusdam emtio redituum accreſcentium vitalitiorum*, conſideratur, et in varios eius modos acutiſſime inquiritur, ut etiam inventa quaedam et monita utiliſſima admiſceantur. In VIII. *de electione per ſortem*, neſcias quid potius mirere, ſubtilitatemne, an elegantiam, perſpicuitatem, et ubertatem. Dici vix poteſt, quanta arte auctor res etiam graviſſimas iucundiſſimae contemplationi ſubiecerit, et varia etiam reip. inſtituta ex rationis praeſcripto expenderit. Quia operae typographicae interiungere coegerant, reliqua primae opuſculorum partis in tomo altero ſequuntur; ubi loco IX. leguntur, *philoſophemata de iuſtitia dei infinita*. Egit vero id Hanovius, ut rationis e dictatis impudenti ori eorum, qui neceſſitatem ſatisfactionis Chriſti et expiationis noſtrae vana divinae clementiae fiducia negare ſuſtinent, fibulam imponeret: quod tam feliciter praeſtitit, ut omnes latebras inconſultae temeritatis et ſecuritatis circumlata fulgidiſſima face perveſtigaverit. Argumentum eſt graviſſimum in X. de ſapientia dei in bello conſpicua, cui eximie ſatisfit, ut et omnia tela e manibus adverſariorum extorqueantur, et falſae de fato vel caſu perſuaſiones convincantur, atque manifeſta in luce divinae providentiae opera, ex poenis, emendatione, et conſervatione hominum noſcenda, proponantur, tam apta quidem concluſione, ut adſenſum non impetrari minus, quam imperari ſentias, ſi purgatas aures commodes. Per XI., quae *anemometria nova* inſcribitur, tot egregia inventa tam dilucide exponuntur, ut in re parum adhuc tentata magnum iam progreſſum factum agnoſcamus, maiorem, quem dehinc faciant ſcientiae rer. natur. ſtudioſi, praevideamus. N. XII. programma *de ſoliditate ſtudiorum*; XIII. aliud funebre *de vitae mimo, non quam diu, ſed quam bene agatur, conſiderando*; XIV. oratio, *de ortu et fatis philoſophiae in Pruſſia*; XV. *ſuccincta logices hiſtoria*, lectoribus fidem facient, non amoenitatis minus, quam profunditatis in noſtro eſſe, neque facile cuiquam ſucceſſiſſe, ut ex hiſtoriis ſapientiae praeſidia compararet. N. XVI. *principia artis diſputandi* mire nos ceperunt, quia tantum virtuti, quantum ſapientiae, proderunt.

Digitized by Google

runt. Revocarunt ſane nobis in mentem illas laudes, quas tam ſublimiter Quinctilianus (l. XI. c. I.) Ciceroni tribuit, quod tam decenter et polite pro Muraena dicens M. Catoni et Servio Sulpitio occurrerit, *ut inter eos non forenſem contentionem, ſed ſtudioſam*, ſcribit, *diſputationem crederes incidiſſe.* Eant vero hodie, et Hanovio ſe erudiendos tradant, ſi qui ignorant, quales veterum ſtudioſae diſputationes fuerint. Sequitur N. XVII. *praecipuorum de divina iuſtitia dubiorum* refutatio, quae eſt pars altera commentationis N. IX. laudatae, priori iudicio et eruditione ſuppar. In XVIII. *de conſortio culpae alienae*, divinum prorſus ſpecimen via atque ratione de moribus diſſerendi legimus; ad quod exemplum totam diſciplinam ſi omnes rerum divinarum interpretes et iuſtitiae ſacerdotes percipere conarentur, profeſſioni profecto ſuae ad uſum reip. ſalutariter reſpondere diſcerent, neque in elenchorum et praeſumtionum labyrinthis temere oberrarent. Ultima, cui titulus, *exſiſtentia dei ex motu evicta*, ut dignitate, ita dilucido docendi genere, excellit, et inſigni documento erit, ad notiones etiam de deo recte informandas e rerum natura recte ſubſidia repeti, modo caute et religioſe in eo ſtudio verſemur, neque, Spinoſae aut Rüdigeri exemplo, datas naturae finitae leges valere ad ſpatiis circumſcribendam immenſitatem eius putemus, aut in ipſo, tanquam in toto partes, ineſſe, quaecunque exſiſtunt, ſtatuamus. Unde eo magis Hanovianam circumſpectionem probabunt intelligentes, quod evicto, motus cauſſam eſſe oportere omnium liberrimam, ſumma ſapientia item et ſcientia praeditam, ſimul confecit, exſiſtere deum, cui haec ſoli tribui poſſint. Haec ſummatim de argumentis indicare licuit, quum demonſtrationum ſeries excerptis locum non dent. Quicunque partem hanc primam ea, qua par eſt, cura legerint, reliquas, a Cl. editore promiſſas, impatienter exſpectabunt, et auctori vitam longiſſimam etiam ſtudiorum cauſſa optabunt.

Digitized by Google

REFLEXIONS SUR LA LIBERTE,

i. e.

ADOLPHI FRIDERICI REINHARDI MEDITAtiones de Libertate, cum praefatione SAMUELIS FORMEY.

Berol. $5\frac{1}{2}$. plag. in 8.

Praefatio incipit a laudibus verae Metaphyſicae eiusque contra obtrectatores defenſione, et, commemorato honorifice praeſenti ſcripto, eiusque Auctore, exhibet breviter ſummam eorum quae de libertate dixit Carolus Bonnetus, in ſcripto cui titulus eſt Eſſay analytique ſur les facultés de l' Ame.

Iam ut ad tractationem Reinhardianam progrediamur, initium facit obſervando, libertatem qua talem, excludere omnem neceſſitatem, et neceſſitatem, qua talem, omnem libertatem. Refutantur obiectiones eorum, qui ea, quae libere fieri dicimus, neceſſario fieri contendunt. Tum ad exponendam propius libertatis naturam, de obiectis eius ſollicitus eſt Auctor, quippe quae ſunt bonum et malum (p. 8.). Voluntas neceſſario appetit obiecta quaedam, averſatur alia. Cum igitur libertas ſit proprietas voluntatis, non poteſt appetere niſi quod repraeſentatur quodammodo tanquam bonum, nec averſari aliquid, niſi ut malum. Quotiescunque igitur ſub datis circumſtantiis, impoſſibile eſt repraeſentare nobis aliquid tanquam bonum aut malum, toties nullum eſt exercitium libertatis, ad hoc eligendum, vel illud reiiciendum. Et quotiescunque non poſſumus non repraeſentare nobis obiectum quoddam tanquam maius bonum, non eſt in poteſtate voluntatis, ideoque nec libertatis, praeferre ei aliud. Haec ſunt, quae Auctor appellat Limites naturales libertatis. Proponitur p. 13. definitio libertatis, tumque indoles eius uberius explicatur. Oſtenditur p. 17. quomodo repraeſentatio boni vel mali dependeat ab ipſa libertate; et p. 19. diſtinguitur duplex uſus libertatis in de-

ter-

Digitized by Google

terminanda voluntate, immediatus nempe, et mediatus. Concedit Auctor p. 20. excepto caſu electionis inter plura obiecta perfecte aequipollentia, voluntatem non determinari niſi ope motivorum; ſed agitat in ſequentibus quaeſtionem: Anne motivorum vis augeri queat virtute ipſius libertatis, non accedentibus novis repraeſentationibus? Agitur porro pag. 23. ſq. de libertate ſpirituum eorum, qui non poſſunt non appetere verum bonum; eosque, quoad electionem inter bonum et malum, liberos eſſe negatur. Pag. 27. transit Auctor ad libertatem Dei, eamque rationibus evincit, et aeque ac libertatem ſpirituum finitorum neceſſitati oppoſitam eſſe aſſerit. Requirit igitur ad libertatem divinam non tantum immunitatem a coactione, et ſpontaneitatem, ſed etiam veram realemque poſſibilitatem aliter ſe determinandi, i. e. aliud volendi; qui conceptus ſalvus manet, etiamſi detur, nos naturam liberae voluntatis Dei explicare nullo modo poſſe (p. 31.); periculum tamen facit eius explicandae. Deus habet voluntatem perfectiſſimam, quae perfectio conſiſtit in amore boni. Quatenus bonum amat Deus, malumque averſatur, liber non eſt, facit enim illud neceſſario. Libere igitur tantum agit, quatenus ea vult, quae per perfectionem ſuam velle quidem poteſt, ſed quae etiam ſalva ea perfectione poteſt non velle. Liber eſt Deus, ait A. 1. ratione τȣ creare et non creare; quia amor boni Deum non determinat ad creandum: 2. ratione modi agendi, quatenus ille per amorem boni non determinatur ad unicum (p. 33-37.). Differentiam inter voluntatem divinam neceſſariam et liberam, ſecundum haec principia exponit Auctor p. 39. et ſeq. hisque plura adhuc ſubiungit argumenta, ad evincendum, in perfectionibus divinis non eſſe rationem ſufficientem determinationis voluntatis divinae ad creandum, p. 42-48. Cum vero Deus habeat voluntatem perfectiſſimam, libertas eius non poteſt habere obiectum niſi bonum et perfectum, Deoque dignum, p. 49. Tractatur porro a pagina 50. quaeſtio: An Deus, vi perfectiſſimae voluntatis ſuae, eligat optimum? Si hoc eſſet, ait A. Deus poſſet quidem habere libertatem

Digitized by Google

tatem contradictionis, ſed non haberet libertatem contrarietatis, cum non poſſet ad aliud ſe determinare quam ad unicum optimum, p. 50. ſeq. Negat Auctor p. 53. dari optimum in rebus finitis; negat porro p. 55. Deum neceſſario praeferre maiorem gradum perfectionis minori; ſed monet iterum p. 57. inde non ſequi, Deum poſſe eligere indifferenter omnia. Agitur inde a pag. 58. de bonitate divina, et ne eam quoque voluntatem divinam determinare ad creandum prolixe aſſeritur. Gratitudinem noſtram erga Deum unice in eo fundari contendit, quod Deus nos creaverit, bonaque nobis contulerit, nulla naturali voluntatis ſuae inclinatione ad id adductus, pag. 65. ſeq. Pag. 69. 70. agitatur quaeſtio: An eſſentia libertatis conſiſtat in perfecta indifferentia? Quae quoad Deum affirmatur, quia, quod Deo indifferens non eſt, neceſſario voluntatem eius trahit; quoad ſpiritus finitos vero negatur, quia hi actionem ſuſpendere, motivaque mutare poſſunt. Finem facit Auctor ſyſtema ſuum variis rationibus commendando.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris. Anno M D C C L X I.

Pars II.

NOVI COMMENTARII ACADEMIAE SCIENTIArum Imperialis Petropolitanae. TOMUS VI. ad annum 1756. et 1757. in 4to, pag. 564. una cum XVII. Tab. aeneis.

Petropoli 1761. typis Acad. Scientiarum.

Quod inſigne univerſo, qua ſcientiis ſtatuitur pretium, orbi, ſcientias promovendi ſtudium illuſtris Academia Petropolitana abunde probavit, illud ſingula novae huius Commentariorum Sylloges capita iterum luculentiſſime declarant. Ardua, inexpectata, et nova pleraque in iis occurrunt; ac ſi quae ab anteceſſoribus iam dicta et laudabiliter tractata fuerint, ea hic partim correcta, partim ad eum perfectionis gradum perducta conſpiciuntur, ut plane pro novis haberi poſſint. Claſſis Mathematica tota aeternis ingenii Euleriani novarum inventionum feraciſſimi monumentis ſuperbit, eoque Auctore traduntur I.) Methodus inveniendi infinitas curvas iſoperimetricas, communi proprietate praeditas. Occaſionem evolvendi arduam hanc quaeſtionem ei ſuppeditavit, vel ex concertationibus Fratrum Iacobi et Ioh. Bernoulliorum, famoſiſſimum illud problema iſoperimetricum, quo inter omnes lineas, quas quidem intra duos terminos concipere licet, quae vel ſint eiusdem longitudinis, vel alia quadam proprietate gaudeant, eam determinari oportet, quae

Digitized by Google

vel maximam aream includat, vel alia quadam maximi minimique proprietate reliquas antecellat. Quo in problemate manifeſto ſumitur, dari utique intra propoſitos terminos ductus curvilineos, quo omnes ſint eiusdem longitudinis, vel aliam quandam proprietatem habeant communem: at non opus eſt in eo hos tractus curvilineos omnes noſſe, ſed methodus ſingulari artificio ita comparata, ut inter eos omnes, etiamſi ſint incogniti, is, cui maximi minimique proprietas conveniat, inveſtigari poſſit. Sed ſi ad hanc electionem requireretur, ut etiam omnes eae lineae eiusdem longitudinis eſſent perſpectae, nemo negabit, Geometras plurimum adhuc a ſolutione iſtius pulcherrimi ac utiliſſimi problematis, quod nomine iſoperimetrici innotuit, eſſe remotos. In hac itaque diſſertatione illuſtris Eulerus omnia eiusmodi problemata, feliciſſimo ſucceſſu, et quidem ope methodi, quam quaſi methodo Diophanteae analogam iam pridem in Analyſin ſublimiorem introduxerat, reſolvit. II.) Integratio aequationis $\frac{m\,dx}{\sqrt{1-x^4}} = \frac{n\,dy}{\sqrt{1-y^4}}$ eodem Auctore. Occaſione inventionum illuſtris Comitis Fagnani, celeberr. Eulerus in meditationes circa hanc aequationem incidit, atque iis novum plane campum in Analyſi aperuit, integralia diverſarum formularum, quae per ſe omnem integrationis ſolertiam reſpuunt, comparandi. Totus in eo verſatur illuſtris auctor, ut doceat, quod talis formulae $\frac{dz}{\sqrt{1-z^4}}$ integrale, cum neque per angulos, neque per Logarithmos, quae quantitates tranſcendentes ſolae ad comparationem idoneae putantur, exprimi poſſit, nihilominus pro aequatione differentiali propoſita relatio inter x et y algebraice exhiberi poſſit. Atque hoc quidem non tantum pro caſu quodam particulari, verum adeo integrale completum, quod quantitatem conſtantem arbitrariam complectitur, erit algebraicum. Simili modo illuſtris auctor, quod maxime mirum eſt, oſtendit hanc aequationem differentialem multo latius

latius patentem $\frac{m\,dx}{\sqrt{A+Bx^2+Cx^4}} = \frac{n\,dy}{\sqrt{A+By^2+Cy^4}}$ per aequationem algebraicam complete integrari poſſe, ſi modo numeri m et n ſint rationales, quid quod etiam eandem methodum ad hanc aequationem multo generaliorem extendit $\frac{m\,dx}{\sqrt{(CA+Bx+Ex^2+Dx^3+Ex^4)}} = \frac{n\,dy}{\sqrt{(A+By+Cy^2+Dy^3+Ey^4)}}$. III.) Obſervationes de Comparatione arcuum curvarum irrectificabilium. Et haec diſſertatio occaſione Comitis Fagnani orta, et perinde ac praecedens innititur methodo, formulas, quae neque algebraice, neque per angulos vel Logarithmos expediri queant, algebraice inter ſe comparandi. — IV. de Problematibus indeterminatis, quae videntur plus quam determinata, eodem auctore. Inſignem haec diſſertatio Analyſeos indeterminatae, quae vulgo Methodus Diophantea vocatur, amplificationem continet. Declarata accuratius problematum indeterminatorum, qualia Diophantus ſolvit, indole, docet auctor illuſtris, dari quaeſtiones nullam plane ſolutionem admittentes, quae tamen nihilominus ad indeterminatas ſint referendae. Simili modo dantur etiam eiusmodi quaeſtiones indeterminatae, quae plures una ſolutiones non admittunt. Omnium optime problemata indeterminata ita definiuntur, ut dicantur circa numeros rationales tantum, ac ſaepenumero integros ſolum verſari. In his ſaepe plures ſimul conditiones proponi ſolent, iisque inſuper novae conditiones adiici, quibus ſine dubio numerus ſolutionum reſtringetur, atque interdum fit impoſſibilis. Tandem illuſtris auctor oſtendit, infinita dari eiusmodi problemata, quibus etſi non una, ſed plures novae conditiones adiiciantur, ſolutionum numerus tamen manet infinitus. Summae artis eſt, eiusmodi conditiones adiiciendas excogitare. Maioris vero artis, ex certis poriſmatibus ſenſu Diophanteo eiusmodi quaeſtiones ſolvere. Sollicite theoria poriſmatum eiusmodi declaratur, arsque traditur ea ex ſimpliciſſimis principiis deducendi, eorumque beneficio innumerabiles ſolvendi

Digitized by Google

facili negotio quaeſtiones, quae alioquin omnes analyſeos vires ſuperare videntur. V.) De Expreſſione Integralium per facto es, Auct. Leonardo Eulero. Profundior eſt haec meditatio, quam ut paucis declarari poſſit: tota concernit omnis generis integralia, quae, cum integratio eorum abſolute dari nequeat, per producta ex infinitis factoribus exprimuntur; uſumque eiusmodi artificii praeſtantiorem futurum docuerunt Geometrae, ſi Logarithmis fuerit utendum. Verum eiusmodi converſio non niſi in integralibus locum habet formae $\int x^m dx\ (1-x^n)^k$ v. $\frac{\int x^m dx}{(1-x^n)^k}$ neque in his formis negotium in genere ſuccedit, ita ut pro quovis valore x valor integralis per eiusmodi productum exprimi queat, ſed tantum ad eum caſum limitatur, quo in priori formula ſtatuitur $x = 1$ in poſteriori vero $x = \infty$. Hoc itaque argumentum, tametſi illuſtris auctor iam olim tractaverit, tamen hic denuo, ex principiis multo clarioribus, formationem illorum productorum in infinitum excurrentium docet. VI.) Solutio generalis problematum quorundam Diophanteorum, quae vulgo non niſi ſolutiones ſpeciales admittere videntur, Auct. Leon. Eulero. VII.) Specimen de uſu obſervationum in Matheſi pura, eodem Eulero Auctore. Solidiſſimis in hac diſſertatione rationibus oſtenditur, pleraſque numerorum proprietates, quas quidem adhuc cognovimus, primum per ſolas obſervationes nobis innotuiſſe, et id plerumque multo ante quam veritatem earum iuſtis demonſtrationibus confirmaverimus; imo multae nobis numerorum proprietates cognitae ſunt, quas tamen nondum demonſtrare valemus: ad earum itaque cognitionem ſolis obſervationibus ſumus perducti. Talis cognitio, ſolis obſervationibus innixa, quamdiu quidem demonſtratione deſtituitur, a veritate ſollicite diſcernenda, ad inductionem referri ſolet. Probe itaque cavendum eſt, ne eas pro veris habeamus, ſed ex hoc ipſo occaſionem nanciſcamur eas accuratius explorandi, earumque vel veritatem, vel falſitatem oſtendendi, quorum utrumque utilitate non deſtituitur. Tali inſtituto illuſtris Eule-

Digitized by Google

Eulerus omnes numeros ex quadrato et duplo alius quadrati compoſitos contemplatur, quibus ad 500. usque expoſitis plures inſignes earum proprietates obſervat, docetque, quomodo eorum numerorum proprietates demonſtrandae. Demonſtrationes autem huiusmodi arithmeticae plus ingenii acuminisque poſtulant, iudice Eulero, quam Geometricae, ac proinde illae maiori iure ad ingenii vim acuendam commendandae, quam hae iis, qui in his exerceri velint. In Claſſe Phyſico mathematica agitur I.) De frictione corporum rotantium, Auct. Leonardo Eulero. II.) Proponuntur principia motus fluidorum, auctore Leon. Eulero. III.) De motu ac reactione aquae per tubos mobiles transfluentis, auct. Leon. Eulero. IV.) Tentamen Theoriae de frictione fluidorum, auctore Leonardo Eulero. V.) Explicatio experimenti paradoxi, de aſcenſu coni duplicis ſpontaneo, auctore G. W. Kraft. VI.) Sector catadioptricus, auct. Ioan. Andrea de Segner. In Claſſe Phyſica exhibentur: 1.) Obſervationes botanicae, et una Iridis multiplicis, auctore G. B. Bülfingero. Concernunt eae 1.) fructus proliferi ac frondoſi obſervationes. Poſt collecta ex variis auctoribus fructuum proliferorum exempla, deſcribuntur quatuor pira novis fructibus et frondibus foecunda. 2.) Malus ſativa — cum fructu florifero. Ut ex allegatis piris prodiere frondes, ita hic frondes ex malo ortae procrearunt flores. 3.) Flos roſae prolifer et frondoſus. Huius generis plura exempla ex ſcriptoribus variis allegantur, et diſcrimen inter ſingula notatur. Accedit obſervatio Iridis multiplicis, cui praemittitur enumeratio exemplorum ab optimae notae Phyſicis de hoc phaenomeno evulgatorum. Vidit Bulfingerus Iridem unam quintuplicatam, reliquas tres triplicatas. Notari autem meretur, Iridum loco ipſi quoque venire Zonas coloratas, quae quandoque Iridi primariae interius contiguae ſubobſcure conſpiciuntur, et fere ſemper apparere debent, dummodo ſatis clara luce ſplendentis ſolis radii in atram nubem denſamque pluviam incidentes, vividam Iridem efformare poſſint. II.) Obſervationes Meteorologicae, in diverſis Sibiriae locis factae:

in ordinem redegit, animadverſionibus illuſtravit, et conſectaria addidit Auctor I. A. Braun. Claſſis tandem Aſtronomica exhibet I.) inveſtigationem Parallaxeos Lunae, obſervationibus 1752. Petropoli et in promontorio bonae ſpei ex compacto habitis innixa, Auctore A. N. Griſchow. Cum in Promontorium bonae ſpei ad capiendas pro Parallaxi Lunae obſervationes ſummus noſtrae aetatis Aſtronomus, iret, Abbas de la Caille, ex compoſito factum eſt, ut eodem tempore Cl. Griſchowius primum Petropoli, poſtmodum in inſula Oeſelia, Lunam ſedulo obſervaret. Priorum obſervationum hic reddere rationem ſategit, quas cum obſervationibus Illuſtr. de la Caille, comparando primum differentiam meridianorum utriusque obſervatorii, deinde vero Parallaxeos horizontalis Lunae quantitatem eruere laboravit. II.) Obſervatio Eclipſeos lunaris partialis, quae contigit die $\frac{16}{27}$ Martii 1755. habita in Inſula Oeſelia ab A. N. Griſchowio. III.) Obſervatio Eclipſeos lunaris, Petropoli in obſervatorio aſtronomico die 17. Martii mane temp. civ. 1755. ſt. vet. inſtituta a N. Popovio et A. Kraſilnikowio. IV.) Mercurius in ſole viſus Lipſiae d. 6. Maii ſt. novi anno 1753. horis matutinis tempore civili. Verſabatur Mercurius tum in eo orbitae ſuae loco, qui nodo deſcendenti propinquus. Unde obſervationes circa hunc tranſitum inſtitutae, ad emendandam planetae theoriam apprime utiles eſſe poſſunt. Quare celeb. Heinſius, ſumma cura, in hac diſſertatione primum obſervationis ſuae circumſtantias enumeravit, methodum deinde obſervandi, cum obſervationibus, poſitionem ☿ in diſco ſolis concernentibus, exhibuit, et tandem concluſiones inde deductas, aliaque lectu iucundiſſima protulit.

I. G. STOCKAR DE NEUFORN, SCHAFHUSA-Helveti, Tractatus Chemico-Medicus de Succino in genere, nec non ſpeciatim de eo, quod nuper in agris Wisholzenſibus effoſſum eſt: in quo per tentamina chemica natura ſuccini ſuccincte examinatur, atque Auctorum

Digitized by Google

ctorum de eo opiniones inveſtigantur atque examinantur.

Lugd. Bat. 1761, apud Cornelium de Pecker, pl. 6. 8. mai.

Quanquam, nec qui ſuccinum deſcriberent, nec qui id arte chemica examinarent, defuerunt: non tamen labor, quem doctiſſ. Auctor in examen huius corporis naturalis inſumſit, fruſtra ſuſceptus videtur. Praemiſit autem primo ſuccinctam hiſtoriam ſuccini, idque, ad bituminum genera relatum, vocat bitumen ſuave olens, durum et compactum, eiusque ſpecies quasdam ſiſtit, aut varia colligendi ratione, aut diverſis coloribus inter ſe diſcernendas. His ita poſitis ſuccinum vel *hauſtile* eſt, h. e. tale, quod per reticula aliave inſtrumentorum genera ex mari hauriunt expiſcanturque; vel *lectum*, quod in littora fluctibus maris eiectum ex arena colligitur; vel *foſſile*, quod e viſceribus telluris, quamquam rarius, effoditur. Praeterea ſuccinum vel *diaphanum* eſt, vel *opacum*. Nihil prorſus ſapit, ſi modo ſatis fuerit purgatum. Tritum vero accenſumve gratum illum ſpirat odorem, quo ab aliis bituminibus facile diſcernitur. Ille odor, quem ſuccinum non accenſum, ſed modo concalefactum ſpirat, doctiſſ. Auctori ſpecificus ſeu ſpiritus rector nominandus videtur. Notata denique origine vocis electricitatis, animum A. ad chemicam analyſin convertit. Aqua corpus hoc non mutat; ſpiritus vini, isque qui dicitur rectificatiſſimus, partes quasdam ex eo in ſe rapit, adeo ut et ſpiritus ille ab affuſa aqua turbetur, et quaſi lacteſcat, et rurſus ope deſtillationis abſtractus, iucundo ſuccini odore et quodam ſapore placeat. E quo colligit Auctor, eum, qui ſuccini tincturam ſatis efficacem parare voluerit, uti oportere tali iam a ſuccino abſtracto vini ſpiritu. Ex ſalium generibus nullum eſt quo ſolvi ſuccinum poſſit, excepto vitrioli oleo, quod illud penitus omnino diſſolvit. Igneo illo alcalico ſale, quo ſuccinum ſolvi *Fr. Hoffmannus* dixit, cum uteretur Auctor, experimentum non reſpondit. Nullam, aut certe vix obſervabilem mutationem patitur ſuccinum, ſi ſaccha-

Digitized by Google

ſaccharo, cerae, ſulphuri, aut ipſi plumbo liquefacto incoquitur. Plurima vegetabilium olea, cocta et expreſſa, et balſama, id optime ſolvunt, minime vero ipſius ſuccini, et roris marini, et Caieputi oleum, aut ſtillatitia quaevis, tanquam quae nimis cito avolare ſolent. Terebinthina, itemque balſamum de Copaiva, id praeſtant, ut ex iis coctum ſuccinum penitus ſolvatur, frigorique poſtea commiſſum ſolidum fiat fragileque, ac deinde cum oleo terebinthinae mixtum, vernicem brevi ſiccandam ſiſtat. Succinum nitro candenti iniectum hoc facit detonare, et in alcali convertit, brevi deliqueſcens. Succinum et alumen iunctim calcinata, dant *Hombergii* Pyrophorum, flamma caerulea eademque luculenta conſpicuum. Si ſolum ignem experitur ſuccinum, impetrantur phlegma, oleum, ſal, et carbo, hac quidem plerumque proportione, ut ſint pondera eorum uti numeri 1. 2. 3. 18. Phlegma colore et ſapore caret, nil ergo niſi aqua eſt, quam ſequitur ſpiritus, acidulum, et quaſi amarum ſaporem linguae imprimens, violarum ſyrupum rubicundo colore tingens, et, ſi leni igne evaporetur, ſalis ſuccini cryſtallos relicturus. Eſt hic ſal manifeſte acidus, non tamen vitriolici, aut euiuscunque noti generis. Cum eo autem doct. Auctor numeroſiſſima fecit pericula, quae longum foret enumerare. Satis ſit dixiſſe, ſalem eum ab omni alio diverſum, ſuique, ac ſingularis generis eſſe. Pauciora experimenta Auctor inſtituit cum oleo illo, certus quippe, id petroleo ſimile eſſe; adeoque ſimilitudinem hanc tantummodo evincere anniſus eſt. Carbo, ſeu caput mortuum, adeo reſiſtit igni, ut eius pars oleoſa partem terream, ne quidem poſt calcinationem per tres horas in crucibulo parum contecto factam, relinquat, quemadmodum ex eo patet, quod carbo tanto igne fatigatus nitro candenti admixtus id facit detonare. Ceterum ex hac ipſa maſſa magnes particulas ferri elicit. His de partibus ſuccini diſputatis, quaedam adiiciuntur de natura et generatione ſuccini. Mineralem materiam eſſe putat Auctor, atque gigni non in mari, ſed in gremio telluris, ex quo per maris fluctus erutum id in littora eiiciatur. Atque hoc

Digitized by Google

hoc quidem ſatis ex eo intelligi, quod et mediterraneae regiones, ut Saxonia, Gallia, Sicilia, aliaeque, ſuccinum foſſile viſae ſint eructaſſe. Inde anſam arripit Auctor dicendi de eo, quod in agro Wisholzenſi, ad alterum lapidem ab urbe Schafhuſa Helvetiae, in ſatis magnis glebis ſubinde reperitur, et ei, quod circa littora maris Baltici in Boruſſia colligitur, prorſus ſimile eſt, igneque reſolutum eadem producta largitur.

HERMANNUS OFFICIONE AN GENTE BILINgus? Diſquiſitio GEORG. HENRICI AYRERI, D. Regii Conſiliarii Aulici, Iur. Anteceſſoris, et Facult. Iuridicae Senioris in Academia Georgia Auguſta.

Göttingae 1761. ſumtibus Victorini Boſſigel, 14. plag. in 8.

Dignum eſt hoc opuſculum, quod quam diligentiſſime commemoretur; ita et Ayreriano nomini, et doctrinae egregiae ſummi viri, et Academiae Göttingenſis dignitati conveniens, plenum omni genere optimarum animadverſionum, et vere hiſtoricum eſt, cuius nunc momenta potiora lectoribus noſtris indicabimus. *Hermannus Billingus* quis fuerit, neminem ut arbitramur latebit: dux Saxoniae aquilonalis, et magnae illius familiae conditor. Diſceptabatur itaque diu, quid ſignificaret vox Billingi? quas opiniones Roquius in libello de origine nominis et cognominis c. 1. expoſuit. Multum de Hermanno Billingo ſuperiore anno meritus eſt Perill. L. B. de Senckenberg, V. S. qui in libro, *Gedancken von dem iederzeit lebhaften Gebrauch des uralten Teutſchen Bürgerl. und Staatsrechts in den nachherigen Reichsgeſetzen und Gewohnheiten,* i. e. de uſu iuris civilis et publici Germanici veteris in recentioribus legibus ac conſuetudinibus Imperii, docto libro et bono, varia eleganter et ingenioſe de voce Billingi habet; a quo noſter auctor tamen, ut videbimus, aliquantulum diſſentit. Verum haec deinceps. Sunt autem quamplurimi, qui Hermanno noſtro humiles et

 obſcu-

Digitized by Google

obſcuros natales aſſignent, auctoritate Adami Bremenſis inducti, qui aliorum potius enarrationibus, quam ſuis perceptionibus, utpote recentior, ſcripſit, quem deinde alii non ignobiles ſcriptores conſecuti ſunt, militares enim faciunt eius parentes, idque e gregariorum numero. Aliis fides Hermanni Corneri, Monachi Lubecenſis, tanta viſa eſt, ut ruſtici e villa Stubenskorn ſ. Stuckesgehorn, ſive aliter, variant enim nomina quodammodo, filium faciant; quae villa Luneburgenſis ditionis eſt, non Thuringiae, ut olim quidam voluere. Quod quamquam non ſit tale, ut obſit heroi illo, tamen veritati litandum eſt. Id quod multi iam ex optimis noſtrae terrae hiſtoricis viderunt falſum eſſe, refutaruntque accurate. Oſtenderunt enim eum ex Adelingis i. e. nobilibus fuiſſe: quae deinde ſic confirmata ſunt pluribus rationibus, ut dubitari de hoc nullo modo queat, praeſertim poſtquam declaratum eſt, eius ex fratre nepotem conſanguinitate Ottonem M. attigiſſe, aliaque huic rei idonea collecta ſunt, quae tamen, ut ſolet in his rebus, fidem magis inclinant leviter ad hanc rem, quam ut faciant certam. Potentes viri fuerunt, et clari, a quibus ille ortus eſt, uti nunc ſatis inter eruditos conſtat. Willing vero, Billing, etc. idem videtur eſſe cum Willich, et Saxonico Wilcke: nam τὸ *ing* nihil ſignificat, et eſt terminatio, uti in aliis quoque veteribus nominibus, quod obſervatum eſt a multis doctis viris; B vero et W pariter commutatae perſaepe ſunt, uti paſſim apparet. Billingi itaque et Willungi antiquiſſima nomina ſunt, quae etiam inter reges Obotritarum, qui cum Saxonibus toties congreſſi ſunt, obverſantur. Alii, ut Gundlingius, cum ex hiſtoria noſſent aliquem Nebo, Nebling, Nebelungo, comitem Haſpaniae, e familia anteceſſorum Caroli M. ad hunc referunt Hermannum noſtrum, abiecta priore ſyllaba, ut ſolemus nos Germani praenomina ὑποκοριστικῶς, ut in vita communi videmus, decurtare, quod neque apud maiores noſtros adeo inſuetum fuit. Sed id totum, ut alii docti viri viderunt, praeter coniecturam nihil eſt. Nam neque id probari poteſt, eum Francum fuiſſe, quanquam fortaſſe

Digitized by Google

taſſe mater Francicam originem habuerit; ſed Saxonem potius. Itaque haec tota res, quoniam nihil fundamenti hiſtorici habet, in ſuſpicionem vanitatis adducitur. Nomen ipſum immutatum perſaepe, ſed leviter, invenitur, uti tota illa nominum ratio ubique vehementer variat, non apud barbaros ſolum illos noſtrae Germaniae ſcriptores, ſed etiam apud elegantiores Graecos et Latinos. Solemus enim peregrinitatem appellationum, inflectendo ad noſtrae linguae naturam, mitigare, non nos ſolum, ſed omnes. Alii a locis *Liuni, Hiliuni*, quod apud veteres occurrit, quin etiam ab urbe Billickheim ſ. Billigheim, urbe nobili in veteri hiſtoria, derivant. Sed ut apud Phaedrum eſt, niſi ſit utile quod fit, operam fruſtra impendis: ita quoque hic dici fortaſſe queat. Quid enim inde commodi, etiamſi haec ſciamus? Germani in imponendis nominibus id ſpectarunt, ut omen bonum, aut laus aliqua, in appellatione eſſet, ut clariſſimum eſt; ita etiam hic Billingus poſſet ſignificare Billig je, i. e. ſemper aequus, ſ. Billig hio, i. e. hic eſt aequitas. Sic quoque Wichmanni, quorum alter frater, alter nepos erat Billingi noſtri, ex eo videntur nomen accepiſſe, quod iurisdictioni praefecti eſſent: nam Wic ut in Weichbild iurisdictionem ſignificat, et Man eſt vir. Billingus autem ſ. Billungus noſter, ita enim recte vox videtur eſſe, Hermanni nomen habet, nec ſine ſignificatione; clarum enim in exercitu ſ. bello, Heer, virum denotat. Nomen valde frequens olim, ſicuti neque nunc rarum eſt. Orta ſic eſt familia Billingica ut Merovingica, Carolingica aliaeque. Erat autem tunc mos, ut ditiones comitum a comitibus ſuis nomen traherent. Dicta itaque eſt Billingſtaet., et vicus etiamnum extat Billinghauſen. Ditio vero illa eam terram, quae nunc Hardenbergis eſt, Angriamque et ipſam Gottingam, pagum tunc, Gutingi dictum, et Neletici ſ. Nedelice prope Haiam, complexa eſt. Fuiſſe autem tunc id moris, ut terrae a comitibus appellarentur, multis exemplis declarari poſſet, ſi neceſſarium eſſet, plena enim eſt tota eorum temporum hiſtoria. Iam vero Illuſtris Senckenbergii rationem exponamus, ſummi viri, et optimi

exempli verae generoſitatis. Ait enim, a munere Hermannum nomen Billingi accepiſſe. Fuiſſe enim Camerae nuncium ſ. camerarium, i. e. ſi latine reddere velis, contubernalem principis, atque adeo ab eo proximum, qui ſi rex impediretur aliquo tempore ex ulla cauſſa, ipſe imperium adminiſtraret. Rationes vero affert has. Adamum Bremenſem et Annaliſtam Saxonem teſtari, Hermannum noſtrum ab Ottone M. hoc honore affectum eſſe. nam vocem *miniſtri* qua in notanda dignitate Hermanni utantur id velle. Dici etiam vicarium poteſtatis, et ſic porro, a Bremenſi et Alberto Stadenſi, alios porro hiſtoricos idem affirmare. Iam cum olim eiusmodi vir Ballivus, Baillif, Gallice dictus ſit, idque videatur affine voci Billing, putandum eſſe utrumque unam ſignificationem habere, nomenque adeo muneris eſſe. Conſueviſſe vero veteres dignitatem nomini ſtatim ſubiungere, ut ſicuti, *Gero Marchio*, *Burchardus Dux*, ſic etiam ſit, Hermannus Procurator i. e. Billing. Nam patrem Hermanni Billingum non putat appellatum, quod tamen ita eſſet, ſi nomen gentilitium eſſet, hiſtoricosque, qui patrem quoque ita appellarent, aut ex errore id facere: neque enim eum, quem illi ſic appellarent, patrem Hermanni noſtri eſſe, aut illum quoque Ballifum antea, quamquam non tanta qua filius poſt hac dignitate, fuiſſe. Grave quoque argumentum huius rei eſſe putat, quod fratres Hermanni cum poſteris ſe nunquam Billungos, ſed alter ſe comitem, alter epiſcopum, dixiſſent. Quae omnia tamen habent, quae contra excipi poſſint. Tota autem res ab utraque parte coniecturalis eſt in ſumma temporum illorum obſcuritate, teſtimoniorumque defectu. Videamus itaque de iis, quae Illuſtris Ayrerus contra habet. Primum id non negat, apud Germanos etiam, non minus quam alias gentes, nomina familiis e geſtis aliquando muneribus haeſiſſe. Cuius rei nobile exemplum eſt in Vitzthum, clara apud nos familia. Vicedominos enim vox ſignificat, et plura eiusmodi extant, Marſchall, Camerarius, Truchſes, et ſic porro, eaque pro veris nominibus ſunt. Vere enim is demum nobilis videbatur,

batur, qui officio aliquo tali defungeretur. Inde Archiofficia quoque multa, i. e. munera maioris dignitatis. Caeſares vero cum mira oſcitantia haec a patribus ad filios, cum latifundiis etiam, propagari ſinerent, effecerunt, ut adeo πολυκέφαλον θηρίον noſtra Germania fieret, nomina vero illa frequentius uſurpari coeperint. Nam nomina illa dignitatis, Koenig, Hertzog, Graf, Fürſt, Pabſt, et ſic porro, apud nos etiam plebeias familias diſtinguunt. Sed inter omnia illa officia nullum Ballingicum occurrit, quod ſciamus. Cuius quoniam nullum adeo, nec ulla ratione quidem veſtigium invenimus, ne apud eos quidem, qui munera aulica ex inſtituto enumerant, cum itaque omnia veterum monumenta hac de re ſileant, fictionibus locus in rebus hiſtoricis minime concedendus eſt. Nam Adami Bremenſis, quam ſupra afferebamus, auctoritas non eſt tanti, hominis non nimiae fidei, cuius auctoritatem repudiant viri docti, cum de paupertate Hermanni patris teſtatur, negamus ei fidem habendam hic eſſe. Neque illud ſciri ſatis accurate poteſt, quo ille munere in aula Ottonis functus ſit, quaeque vis illi muneri ſubiecta fuerit, nam ea omnia valde incerta ſunt. Dicitur enim filiorum imperatoris rector, et fiſco praeterea praefectus fuiſſe camerae, quo verbo omnia quae ad rem familiarem principis pertinent, continentur. Qua de re non parva eſt apud Ayrerum noſtrum diſquiſitio, qui diligenter evolvere notionem illam ſtudet. Minus autem eſt Chambellanus, plus Camerarius, ut adeo noſter Hermannus a minoribus ad maiora tranſcenderit. Meibomius praeterea negat Hermanno noſtro educationem puerorum imp. commiſſam eſſe, quod eo tempore ſolis clericis id pateret. Amandabantur enim regii pueri in canonicorum et monachorum collegia, atque ibi remoti à parentibus educabantur. Cuius rei multa exempla extant, et ipſe Otto ſic in filiis educandis verſatus eſt. Proſtant tamen non minus in contrarium aliqua. Ita in aula Conſtantinopolitana peculiare officium βαιούλου μεγάλου i. e. eius qui liberos regios educaret, extitit. Suſceptus is deinde mos a Carolingicis

Digitized by Google

Merovingicisque regibus eſt, ut extra aulam datos liberos, laico ſpectatae virtutis educandos committerent, qui deinde plurimum auctoritate et apud parentes et apud eos, quos educaverant, valuere. Neque tamen negari poteſt hoc, Laicis illis adiunctos fuiſſe alios, clericos, a quibus pietatem diſcerent pueri, ſicuti quoque omnium ceterarum rerum peculiares ſingularum fuiſſe magiſtri aliqui videntur, quod fere omni tempore et ante et poſthac ita factitatum eſt. Tributum itaque eſt Hermanno Camerarii et Bajuli munus coniunctim, Bajuli dico, a qua voce ut videatur etiam Ballivi vox, vulgo Bail, Bellif, deſcendiſſe, tamen nondum inde efficitur, Billingum nomen dignitatis eſſe. Praecipue vero vox Ballif ea ſignificatione, qua praeſidem provinciae denotat, ante expeditiones Cruciatas nota non fuit. Quo tempore cum reges imperatoresque miro pietatis affectu, ſi pietas eſt ſtultitiae ſuae ſeque ſuumque populum, inſtigante epiſcopo Romano immolare, cum itaque eas, migrationes gentium veriſſime dixeris, non expeditiones, ſuſciperent, alios conſtituerunt, qui interim ius dicerent, ceteramque maieſtatem adhiberent. Eos Ballivos dictos eſſe aiunt, Comitum ante vocabulum uſurpabatur. Erat enim is temporis mos, ut univerſalem in fora aliqua, iurisdictiones dicunt, Gauen, diſpertirentur, quorum ſingulis praeerat Gravio, qu. Gavionem diceres. Iam cum illi Graviones opes tantas caperent, ut terras quas ante alienis auſpiciis adminiſtraverant, ſuis deinde regerent, nomen retinuere priſcum, ſed ſignificatio immutata eſt, neque enim iam praefectum, ſed tetrarcham, ut ita dicam, denotat. Erant vero alii quaſi ſuccenturiati prioribus, Vicecomites appellabant; Vicarii, Centenarii, Decani, Scabini, Sachibarones, Rachimburgii, iudices villarum minores, fiſcales et ceteri horum priorum imperio ſuberant, nam ipſe comitatus in varios vicecomitatus denuo dividebatur, qui pro ratione ſua Palatinatus, Marchionatus, Burggraviatus, Landgraviatus nomine veniebant. Quae ſane habent magnam ſimilitudinem cum Balliviatibus, quorum et maiores et minores alii erant; niſi quod Balliviatus

iunio-

iunioris originis ſunt. Sed comitum et vicecomitum nomina etiam poſt tempora Ottonis M. adhuc ſuperfuerunt; quod e litterarum monumentis abunde conſtat. Hermannus autem noſter ante, quam ducatum acciperet, iudex Caeſareus et Vicarius videtur fuiſſe in Saxonia inferiore; cuius rei non mala argumenta Heydenreichius affert. Nam Adamus Bremenſis et Helmoldus id clare innuunt, quomodo Hermannus ab uno gradu ad alterum provectus ſit, praecipue cum plures ſcriptores in eo conſentiant, Hermannum Saxoniae aliquando praefuiſſe loco imperatoris. Quanquam enim eo tempore nondum dux fuerit, tamen ita ab hiſtoricis appellatur, quoniam vox Hertzog et ducem exercitus, et tetrarcham ſignificat. Idque etiam ex annalium aliquibus manifeſtum eſt, ubi dicitur Scultetus fuiſſe i. e. praefectus tributi atque omnium quae principi debentur ulla ratione officiorum, Schultheis qui *heiſchet*, poſtulat, *Schulden*, debita regia. Quod gloſſae per iudicem pedaneum interpretantur, non e ſignificatu Romano, quo erat, qui ad pedes praetoris ſederet, ſed alio, id eſt, ut recte Schoepflinus, qui ſtante pede i. e. extemplo ubi vellet, poſſet ius dicere. Quae omnia iam alii viderunt, quibus ſc. gradibus provectus noſter ſit, ſed Ayrerus V. Ill. imprimis diligenter in hoc argumento verſatus eſt. Itaque conſtat e chronico picturato Brunſuicenſi, magnae auctoritatis mſ., quanquam habeat etiam aliqua minus accurata, Hermannum noſtrum, uti fuit vir et corpore agili et animo fervido, ita etiam in bellis adverſus Bohemos ſe valde ſtrenuum praebuiſſe, ac poſt multa virtutis documenta edita, armigerum Ottonis M. factum eſſe, magnam dignitatem, multisque decoribus gravem. Accepit etiam magnum favoris principum ea tempeſtate documentum, inſignia clypei, de quibus varia elegantiſſime dicit Ayrerus, quae repetere noſtri nunc non eſt inſtituti. Sed Hermannus iam ſub Henrico Aucupe dux militiae fuiſſe putandus eſt, et dona militaria quoque alia virtutis ergo accepit. Mox filius Ottonis ei traditus eſt, quem educaret, Otto II. apud quem deinde valde gratioſus fuit. Auctores

vero,

Digitized by Google

vero, qui perhibent etiam poſt mortem Ottonis I. apud ſucceſſorem Ottonem II. Hermannum viguiſſe, errant; mortuus enim ante Ottonem I. eſt, anno 973. Quedlimburgi, cum una cum imperatore eſſet, niſi forte id ſic excuſaremus, collegam patri Ottonem II. fuiſſe. Sed coniecturae non contemnendae locus eſt, Hermannum non inſtituiſſe liberos Ottonis I. ex altera coniuge Adelheida, Lotharii II. Italorum regis vidua, ſed quos ſuſceperat e priore Ogida ſ. Editha Anglorum regis Eduardi filia, Ludolphum ſcilicet, qui ao. 931. natus eſt. Ex illa poſteriore, Adelheida, tres ſuſcepit Otto M. filios, Henricum, Brunonem et Ottonem qui deinde Rufus appellatus eſt, quorum priores duo cito deceſſerunt. Rufus vero alios educatores habuit, non Hermannum, quod ſatis conſtat e litterarum monumentis, dum Otto M. in Italia eſſet, quo tempore Hermannus alia negotia habuit; fuit enim per abſentiam imp. Saxoniae ut vidimus praefectus. Nam privignum Caeſaris, ſi quis Caeſari privignus tamen fuit, educare non potuit; qui ſi fuit, adultus iam tunc erat. Mox iudex Caeſareus, ſ. comes palatinus; poſt, cum Otto M. ſecunda vice in Italiam proficiſceretur, vices imp. in Saxonia, non vero ut quidam voluere, olim refutati a Pfeffingero, in univerſo imperio geſſit. Burggravius itaque tum fuit, nondum autem vere princeps, ſed vicarius tantum Caeſaris. Comites autem Palatini tanta auctoritate erant, ut etiam contra comites provinciales Landgravios iudicium darent, minime vero verſa vice a Landgraviis ipſi iudicari poterant. Itaque abſente rege eo plus poterant in ceteros illos comites, qui ſummi habebantur, quibus cum maiores ipſi fuerint, merito ſecundi a rege habentur. Diſſentiunt tamen alii, negantque vim eam ad Billingum noſtrum pertinuiſſe, qua de re in tantis tenebris nihil certum poteſt affirmari; ſed plus tamen pro noſtra ſententia poteſt afferri. Otto vero, qui exacto quinquennio pacata ex Italia redierat, Hermannum ducem Saxoniae conſtituit talem, qui vere dignitatem ducalem cum imperio coniunctam haberet. Qua de re magna eſt apud auctores controverſia. Neque enim conſtat, utrum toti Saxo-

niae

Digitized by Google

niae praefuerit, an vero parti tantum, perpetuone et haereditario iure, an vero ad tempus. Toti Saxoniae non videtur praefuiſſe: quid enim proprium dein habuiſſet ipſe imperator? Itaque videtur tractum aliquem ei Caeſar indulſiſſe, eam fortaſſe regionem, quae cis Albim paullo inferius iacet, et eam quae trans Albim ad Eidarum usque porrigitur, cetera ſibi omnia retinuiſſe. Saxonica enim tunc regio valde late patebat. Alii, ut Ge. Fabricius, Hermannum tantummodo Luneburgiae praeficiunt, nimis arcte, ut putamus. Chronicon Brunſuicenſe etiam nobiſcum conſentit, quod dicit eum partibus circa Albim quae Slavicis ereptae gentibus fuerint, praefuiſſe, quanquam id non negaverimus, Luneburgum etiam huc pertinuiſſe. Obiter notamus etiam hoc, valde errare, qui exiſtiment, tantum epiſcopos a Carol. M. tempore praefuiſſe Saxoniae, minimeque alios duces rexiſſe praeter hos, id quod gravibus rationibus olim devictum iacet. Sed ea tota quaeſtio, quibus praefuerit terris, quibus non, uti finem ullum aut exitum habet, uti ſolet in tricis hiſtoriae germanicae, ita etiam valde odioſa eſt. Nam ut ingenue fatear, mallem rediremus ad priſcum morem, qui olim a probatiſſimis ſcriptoribus tenebatur, ut univerſa hiſtoria non ſpeculativa uti nunc apud multos, ſed practica potius eſſet, i. e. ut homines ſapientiores eſſent cognita hiſtoria, quam ante fuerant. Sed haec hactenus. Haereditarium vero ius tale fuit tum, quale eſſe poterat, in quod multum iuris haberet imperator, quod deinde uſurpatione longe aliud factum eſt. Ita etiam poſteri Hermanni, quamquam regnavere, tamen id e voluntate Caeſaris, qui niſi faviſſet, nunquam id obtinuiſſent. Habuit itaque ius haereditarium, ſcilicet ſicut nos cives, quibus ſi quid auferre vult princeps, nos reſiſtere non poſſumus. Id quod nunc in Germaniae principibus longe ſecus eſt. Manſit autem diu is honor apud poſteros Hermanni, donec eius abnepos cum Rudolpho Suevo, adverſus Henricum IV. rebellaſſet, qui, victis in quibus ſteterat partibus, amiſit rebellione ſua, quae fide ac conſtantia abavus meruerat. Sed alii alias afferunt cauſſas, quod ul-

Digitized by Google

timus Ducum illorum nomine Magnus ſine prole deceſſerit, Feuda vero in mares potiſſimum conveniant, Lotharius vero tunc maximam iam partem Saxoniae, partim iure partim armis tenuerit, cui deinde facile fuerit, etiam reliqua adiungere, ideo Billingicam ditionem ad veteres dominos rediiſſe. Atque haec hactenus de Billingo noſtro atque heredibus. Iam vero de patre eius aliqua. Negat enim Heydenreichius, Billingum comitem, qui tunc temporis vixit, noſtri patrem fuiſſe, argumentis ut arbitror valde lubricis. Primum ait, conſtare Wichmannum et noſtrum Hermannum fratres inter ſe bella ſ. latrocinia potius, pro temporum illorum more, exercuiſſe. Erat enim frater Wichmannus, vir erectae indolis, animi et prudentiae ſummae, *ita ut ſui putarent eum plus ſcire, quam in humanam naturam caderet.* Ita enim habent hiſtorici. Hic itaque, cum, uti generoſiori indoli ſolet hoc vitium perfamiliare eſſe, fratris honoribus, praecipue quod comes eſſet, invideret, bello eum invaſit. Iam, ait Heydenreichius, cum conſtet, patrem, ſi is comes ille nobilis fuit, ao. 968. quo ea geſta ſunt, adhuc vixiſſe, non poſſe ſatis intelligi, quomodo patris auctoritas filios a tam nefario bello non repulerit. Deinde, cum Wichmannus frater maior natu eſſet, Hermannus ex haereditate paterna legatum tantum acceperit, comes vero ille, quem patrem dicimus, tunc adhuc vixerit, viventis autem nulla ſit haereditas, ſequi, alium fuiſſe patrem. Sed nos non amamus hiſtorica argumenta, quae e doctrina morum aut iure civili deprompta ſunt; nam ex omnibus iſtis nihil ſequitur, niſi patrem debuiſſe impedire, filios debuiſſe patris iuſſa vereri, patrem non potuiſſe cogi, ut vivus haereditatem diſpertiret in filios, *ſed a debere eſſe, ad eſſe, a poſſe ad exiſtere, a non cogi poſſe ad non velle aut non facere*, ſi quid Dialecticorum filiis credendum eſt, *non valet conſequentia.* Itaque non negamus, multas in ſtirpium originibus evolvendis occurrere in illa hiſtoria difficultates. Sed Billingi noſtri familia ſatis explanata eſt multorum doctorum virorum opera, idque diplomatibus, ut nihil maneat dubitationis. Itaque cum accedat inſuper

au-

auctorum non contemnendorum fides, quae rem ita eſſe doceant; metaphyſicae dubitationes hic locum non habent. Diploma vero illud, e quo Heydenreichius argumentatur, quod anni 968. eſt, e quo colligit, tunc comitem illum adhuc vixiſſe, quod viventis mentio ibi fiat, ſuſpectum fecere iam olim viri docti, Scheidius imprimis, ut aut plane ſubditium ſit, aut tamen utatur mendoſis annis. Sed neque hoc affirmatur diplomate, Billingum comitem tunc adhuc vixiſſe; dicit enim quid ille aliquando fecerit, ut et vivere tunc adhuc potuerit, et olim mortuus eſſe, et potuerunt renitente etiam patre tamen inter ſe depugnare filii. Nam ut hoc uno exemplo utar, filii Ludovici Pii quas turbas dedere? nihil quidquam patris auctoritatem reveriti. Quorum ſimilium factorum plenae ſunt omnes hiſtoriae, atque etiam germanica, ne quid miremur. Ac ne multum ab illis temporibus ſecedamus, Ludolphus adverſus patrem Ottonem M. qualia auſus ſit, ſatis notum eſt. Quid igitur miremur, ſi ſummi ſaepe principes filios coercere non potuerunt, Billingum hominem tantum non privatum id efficere ſua auctoritate nequiiſſe. Erat autem ille Wichmannus novarum rerum cupidior, qui etiam Ottoni M. negotia faceſſeret aliquandiu, donec cum eo reconciliatus eſſet. Huius filius et ipſe Wichmannus dictus, inſtigante Ludolpho illo, Hermanno patruo valde iniquus fuit. Neque hoc quemquam offendat, quod vivente adhuc Billingo, Hermanni noſtri patre, Wichmannus ſenior eius filius, tamen Comes appelletur, erat enim illa dignitas minime haereditaria, ſed ea, quae penderet a voluntate principis, quamobrem una comites eſſe potuere. Neque illud affirmamus, Hermannum quanquam iuniorem, deterioris multo conditionis prae Wichmanno fuiſſe, quod Wichmannus primogenitus erat: neque enim tunc is mos erat, qui nunc eſt, ut ſeniores fratres prae ceteris ſplendeant; atque deinde etiam longe inſignior, ut vidimus, fratre factus eſt. Hiſtorici, ut hoc potiſſimum notemus in eo, pro more temporum illorum peccavere, quod nulla aut exigua ratione habita tem-

 porum,

Digitized by Google

porum, potiora aliqua narrant, quaſi continuo facta, intermedia quae iacent omittunt. Ita illi potiores aliquas dignitates Hermanni enarrant, ceteras quae quaſi gradus aliqui ad illas fuere, intermittunt, quae poſt tantum temporis intervallum aegre ſuppleri queunt. Sunt plurima alia, ita etiam annus quo natus Hermannus ſit, ignoratur, mortem ſcimus quae in annum 973. incidit, nam paullo poſt imperator Otto ſecutus eandem viam eſt. Ayreri coniectura eſt, Hermannum ſeptuagenarium circiter deceſſiſſe, quo intervallo eius res geſtas optime includi poſſe putat. Sed aemulatio fraterna, de qua dicebamus iam, antiqua erat. Occiſo enim Saxonum praefecto Aſic a Bohemis, cum Otto id muneris a. 939. in Hermannum conferret, Wichmannus frater ſe contemni ratus, qui ſenior eſſet, ſimulata infirmitate ab exercitu abiit. Atque haec erant, quae in tanta temporum confuſione certa teneri potuere. Nam hiſtorici illi, et lingua et ratione omni barbari, chaos aliquod compegere cui qui lucem inferre velit, magnus ſit vir, oportet. Itaque conſtat ut ſupra vidimus, Hermannum neque a Billingen neque a Billingsdorf appellatum eſſe; qui ſi a ditione gentilitia nominandus eſſet, (quanquam hic mos, ut egregie annotavit olim Muratorius, ante ſaeculum decimum non fuit,) Stubbekeshornius appellitandus foret. Avitum itaque cognomen fuit, quod avum quoque ita nominatum eſſe conſtat. Sed neque pater a praefectura aliqua ſic appellatus eſt, nihil enim ea de re praeter exiguam coniecturam afferri poteſt. Sepultus eſt Hermannus noſter Luneburgi in aede Coenobii Michaelitani, quod aut conditum aut inſigniter auctum ab eo eſt. Sunt qui Halam Saxonum ab eo affirmant primum muris foſſisque ob direptiones crebras, circumdatam eſſe. Vir a ſcriptoribus valde, et ingenii ob dotes naturaeque praeſtantiam, et inſignem ob virtutem laudatus, et laudandus omnino, prout eius facinora egregia teſtantur. Hac itaque Celeberrimus Ayrerus opera bene de hiſtoria patriae meritus eſt. Ineſt libello elegantia, ineſt diligentia, et multarum optimarum rerum cognitio. Qua in re merito

lau-

Digitized by Google

laudanda eſt noſtrorum temporum ſedulitas, quae materiam iam accumulat, e qua deinde Polybius aut Livius aliquis, qualem vehementer adhuc res geſtae Germanorum deſiderant, pulcherrimum aedificium exſtruere poſſit. Optamus autem, ut ſi per otium viri ſummi fieri poſſit, porro de maioribus noſtris optimam apud nos inire gratiam velit. Poteſt enim, et eſt vir ad ſumma quaeque negotia non aptus, ſed natus.

VITA GUSTAVI ADOLPHI, MAGNI, REGIS Sueciae, Anglice conſcripta a WALTHERO HARTIO, quam verſam in linguam Theodiſcam a GEORG. HENR. MARTINI, LL. AA. M., praefatione et animadverſionibus additis curavit IO. GOTTL. BOEHMIUS, Hiſtoriographus Regius atque Hiſt. in Acad. Lipſ. Prof. P. Ord. TOMUS I. et II.

Lipſiae, apud Dykium, 1760. et 1761. Alph. 8. plag. 4. cum fig. aen. in 4to.

Praeſtantiſſimi operis, cuius iam primum volumen in his Actis laudatum eſt, ſic quidem, ut cupiditas potius lectorum, indicata ſumma eius, incitaretur, quam inſtituto noſtro plene ſatisfieret, ab integro nunc, quando accedente parte altera abſolutum in lucem prodiit, commemorationem fieri, intereſſe omnium ſtudioſorum hiſtoriae, qua magiſtra remp. recte conſtituamus, non ſine cauſſa credimus. Hartium ſcriptorem longe meliore conſilio, quam multi ſolent, ad hoc opus acceſſiſſe, ſatis intelligitur, qui ex fructibus, inter peregrinandum collectis, hanc humano generi utilem particulam decerpere, diligenterque vario adparatu inſtructam, exhibere maluit, quam operoſos commentarios rerum obſervatu dignarum, quae tamen pluribus iam materiem praebuerint, extrudere. Neque illud infeliciter ceſſiſſe arbitramur, quando ſibi in animo fuiſſe profitetur, emendatum exemplum proponere, quo virtus Chriſtiani principis et militis optime exprimatur. Multum praeſertim gloriatur congeſtis undique copiis; et eſt profecto fa-

Digitized by Google

tendum, nonnulla fortunae beneficio ipſum debere, omnibus ante hunc diem negata; quorum etiam aliqua operi in fine ſunt adiuncta. In iis vero, quae ex publicatis aliorum operibus habet, ſuo ſibi utendum iudicio putavit, quo etiam ſatis acri pollet, quoties ſe opinionibus in Britannia inveteratis non permiſit. Eſt vero plurima adſecutus, ad quae nemo e vulgo hiſtoricorum adſpirare poſſit. Formam eſſe voluit annalium, qui tamen digreſſiones tempeſtivas admitterent. In ſcribendo nullum veterum auctorum plane expreſſit; niſi ex Plutarchi vitis Graecorum et Romanorum quaedam ſubtilius imitatum, Polybii et Dionyſii Halicarnaſſenſis artificia adhibuiſſe credideris, ut ad feliciter regendae civitatis artiumque belli et pacis praecepta ſubinde opportune a via diverteret. De pulcritudine ſermonis Anglicani nobis quidem iudicare haud conceſſum; ſed genus ſcripturae tamen, quo Hartius utitur, floridum, ſed inaequale, et veluti ex intervallis, quibus quaelibet conceperat, annuis tempeſtatum vicibus comparandum, dixeris; quae ipſa tamen varietas ſuis amoenitatibus non careat. At enim ſi etiam in corpore pulcro interdum maculae notentur, quibus Flaccus offendi non potuit, quamvis acutae ſatis naris; humanae naturae conditio cogitanda fuerit. Nam ipſis in rebus ſunt, quae conſiſtere vix queant, ſi calculos inter plures obiectas ſpecies recte ſubducas. Sed *Boehmii* induſtria egregie ſarcivit, quidquid ab hac parte in potioribus deſiderari potuit, et nos utemur libertate, actis noſtris ſub humanitatis, modeſtiae, et prudentiae lege, permiſſa. Interpretis autem *Martini* accuratio et circa verum ſcriptoris ſenſum ſollicitudo cum oris rotundi facilitate omnibus per ſe adparebunt. Praemiſit Hartius ſuae hiſtoriae commentationem de conditione et ſtatu rei militaris per Europam ſub initium XVII. ſaeculi, quae ob molem voluminis prioris in ſecundum huius editionis coniecta eſt. Eo autem magis operae ſe pretium facturum iudicavit, quia eorum, quae Guſtavus tam brevi tempore ingenti omnium admiratione geſſit, ratio cauſſaeque vix aliter recte noſcantur. Continet haec egregias

gias obſervationes; ſed quum numero prope infinitae ſint, et circa res ſaepius minutas, quae tamen ſapientiae ope uſum praeſtent, verſentur, commode in compendium redigi nequeunt; et alioquin acute cogitata contaminari non debent. Ipſius operis potius rationem inde ab exordio habebimus. In praefatione ſane de ſuo conſilio et argumenti dignitate ſcriptor ſic expoſuit, ut omnes ad ſimile opus animum adiecturis praeclaris praeceptis inſtruat, et lectoribus tantae diligentiae, quantae prudentiae fidem faciat. Excuſationem initio quaerit, quod homo ſacris inſtitutis addictus narrandis bellis ſe impenderit, ut quae potiſſimam vitae Guſtavi partem conſtituant, et recte ſe defendi ſperat herois huius virtute, quae in vitae ac morum probitate, religionisque ſtudio non minus eluxerit, quam rebus pro ſalute ſuorum, gerendis. In quo nemo forte ab illo diſſentiet; e non deerunt, qui in illis, quorum eſt doctrinam Chriſti ſalutarem populos docere, paullo maiorem interdum rerum quoque civilium prudentiam requirant, ut de bellis iuſtis piisque divini ſecundum iuris praecepta paullo peritius, quam mos ſaeculi fert, ſtatuere diſcant. Ubi copiam ſubſidiorum, quae ſit nactus, narrat, praeter ea monumenta iſtorum temporum, quae omnium in manibus verſantur, multa etiam, necdum edita in lucem, ſibi obtigiſſe praedicat; quod profecto in plurimis ipſius operis locis ſatis adparet, et documentis ad calcem ſubiectis confirmatur. In his eminuiſſe, ut gloriatur, utique litteras eſt neceſſe, quas viri militares ex ipſis Guſtavi Adolphi caſtris in Angliam perſcripſerant, Reanus, Hebburnius, et Aſtleius. Num vero ſemper horum iudiciis et narrationibus contra ſcriptorum eruditorum et aequalium teſtimonia ſtandum ſit, ut ipſe ſtatuere videtur, valde dubitamus. Tacemus partium ſtudia, tacemus turbidum iſtud atque praeceps, ſupra quod mentes armatorum conſiſtunt; ſola tantum anguſta ſpatia cogitemus, intra quae coercentur, qui, ad conſilia de rerum in exercitu ſumma haud admiſſi, mandatis per partes muneribus funguntur. Ipſe etiam quodam loco Thraſonicam Bethleni, viri

viri tamen ſatis ſtrenui, iactantiam arguit. Et quum bella plerumque fama ſtent, et militum animis pleraque ex utilitate potius regia, quam veritate, perſuadere uſus ferat, adſenſus cohibendi nobis rationem conſtare arbitramur hactenus, ut talibus viris, praeterquam in attributis rerum, perſonis, locis, temporibus, quibus interfuerunt, plus fidei habendum, quam circumſpectis hiſtoricis, ſi praeſertim ex archiis principum aut ducum ephemereſin ſecretis poſt negotiorum exitus notitiam acceperint, negemus. Germani vero ſcriptores iſtorum bellorum tam illuſtres et probati ſuperſunt, ut ſine communis nominis noſtri iniuria Scoto cuidam aut Hyberno plus auctoritatis attribui nequeat: ut in univerſum ſingulis aetatibus Germania in hiſtoria habuit, quod univerſo ſeptentrioni cum inſulis eius ſumma cum fiducia opponat. De *Pradei* exili opera, quam in vitis Guſtavi Adolphi et Caroli Guſtavi ſcribendis inſumſit, idem iure cenſet, quod dudum Germanorum iudiciis teſtatiſſimum fuit: nec *Bougeantio*, quamvis arguto ſatis et florido, iniuriam facit, quod paucitatem auctorum, quos ſecutus eſt, exprobrat. *Lottichium* nemo paullo eruditior inter nos unquam valde probavit. *Mercurius* ille *Gallicus* callide interdum iocoſis furtis condere voluiſſe putandus eſt, quae ſuis partibus parum convenire arbitraretur. Cum uno *Puſendorſio*, quem partibus nimis addictum, verboſum, et confidentem Hartius adpellat, mitius actum optaſſemus. Suecorum ut cauſſam tueretur, non iam rationis; ſed neceſſitatis erat. Ab his enim et Palatinis mandato munere fungebatur, quod non diſſimulavit. Profert ergo non ſua, ſed quae ſuae fidei et induſtriae commiſſa eſſent. Hoc ipſo ſaepius cogebatur, ut copia ſermonis circumdaret, quae nude in medio poſita parum laudis ſuae clientelae arrogatura fuiſſent. Confidentiam vero obiectam vehementer miramur, qui ſic virum, gravem ſane et rerum Germaniae peritiſſimum, temperaſſe ſtilum videamus, ut inter laudes hoſtium imperio tamen noſtro convicia non faceret. Potuiſſet Hartius longe plures ſcriptores, fide omnium digniſſimos, ſed quorum nomina

ne

ne fando quidem acceperat, adhibere; quos nunc, perhumane *Boehmio* monſtrante, diſcat, licebit. Non haec dicimus, ut pretio operis praeclari detrahamus, in quo talia multis aliis virtutibus penſantur: ſed ut exiſtimationem ingeniorum patriae tueamur.

Exordium ſumitur a laudatione Guſtavi maiorumque eius, ſatis oratorum pro more; ſic tamen, umbra ut tegi Hartius velit iſtas religionum tragoedias, quibus tota gens Waſia concidit, et quae cataſtrophas habuere, temporum Cronwellianorum inter Britones perſimiles. Iure tamen in hunc, omnium ſuorum plane optimum, ea confert, quae conſenſus generis humani tueatur. Habent ea praeſertim lumen, quae de educatione, ſtudiisque pueritiae et adoleſcentiae, atque peregrinationibus, eruditiſſimo principe digniſſimis, adfert. Vafre tamen tangit ſuos populares, dum ſortem miſeratur Eliſabetae, quae A. C. cIɔIɔcIX. legatione Suecica Guſtavo petita, ſed ob infeliciora deſtinata Friderico Palatino iam pacta, dolendo poſtea exilio ambitum mariti, Bohemiam prenſantis, ſed, poſtquam vix vidit, in fugam acti, luit. Boehmius ad quaelibet haec ſcriptores, fide digniſſimos, opportune laudat, quoties ab Hartio nonnulla praeterita nolles. Sequitur praeconium ſapientiae Adolphinae, quod frigore Hyperboreo abditos antea ſuos in lucem Europae eduxerit, formidandamque Germaniae Sueciam fecerit. In quo, ut iudicium noſtrum interponere haud ſuſtinemus, aliter tamen ſenſiſſe multos Suecorum, non e plebe illos, ſed eruditione et generoſa nobilitate praeſtantiores, vatis vicem *Olavus Verelius* Epit. Hiſt. Suio-Goth. L. IV. c. III. prudentioribus fidem fecerit. Necdum cicatrices domeſticae ita conſanuerant, ut remedium inter externa vulnera curanda ſatis tutum quaereretur. Actum, quantum virtuti licuit; ſed non plus profectum, quam ut Deum, ſua quae ſunt, ſuo iudicio reſervaſſe, agnoſcas. Sociorum tandem conſtantiae quod imputaret, Suecia habuit, ſi vera amamus, nec ſolis victoriis illa armorum praemia tenuit. Acta inde adoleſcentiae refert, in quibus cur a ſcriptoribus

Nnn Suecis

Suecis interdum diſſentiat, vix ſatis liquet. Primum Guſtavi operum, patre adhuc ſuperſtite, fuit Bleckingiae irruptio et Chriſtianopoleos occupatio, inter belli Danici exordia. Narratur ea fere, ut a *Loccenio;* niſi quod diſcrimen, quod princeps adiit, aliter deſcribitur. *Verelius* tamen, inſcio patre Carolo quod hoc fecerit, ab ipſo increpitum quidem; ſed, ut Dani iniurias in tempore ulciſceretur, monitum addit. Sequitur Oelándiae recuperatio, cuius inſulae nomen Hartius tacuit, vilemque vocavit; quum tamen obiecta trans fretum Calmariae magni munimenti loco eſſe videatur. Danicum praeſidium a Guſtavo caeſum Hartius ſcribit; quod tamen incolae, teſte *Loccenio*, ex compoſito, confecerant. Quae vel eo nomine notamus, ut Hartium alia monumenta, quae tamen haud indicat, Loccenio, utut ſatis inſtructo et a regibus atque proceribus probato, praetuliſſe, adpareat. Non eſt noſtrum de rationum gravitate iudicare. Indicata belli origine de Caroli indignatione aliquid inſeritur, ut etiam Chriſtianum hoſtem ad rem ſingulari utriusque certamine diiudicandam provocaverit; quod tamen hic non ſine ignominioſo reſponſo recuſarit, ut etiam ex dolore ob id cauſſam mortis Carolo fuiſſe, ſit credibile. Modeſte, ut de regibus, dum haec exponere voluit auctor, excuſatione ex ſaeculi etiam moribus petita, fecit, quod homines belli ſolent. *Boehmius* vero ex *Holbergio* reſponſi contumelioſi acerbiora verba opportune ſubiecit. Per occaſionem eam altercatio eiusdem Caroli quondam cum Zamoſcio, Magno Cancellario Poloniae, memoratur. Excipit iſta elogium Caroli breve, in quo praeter iracundiae confeſſionem veriſſimarum boni principis virtutum laudationes leguntur. Comitiorum interregni concinnam expoſitionem ornant praeſertim Ducis Ioannis laudes, qui ſpes incertas utilitati publicae poſtponens ſucceſſionis ſe iure, niſi prole Guſtavus careret, abdicavit. Magnus iſte animus, quam Guſtavi benevolentiam Ioanni conciliaverit, et rarae fidei atque concordiae exemplo fuerit utriusque coniunctio, arctiori etiam vinculo coniugii cum ſorore Guſtavi adſtricta, digniſ-

digniſsima eſt poſterorum memoria obſervatio. Sed bene Hartium corrigit *Boehmius*, qui hanc quoque inter plures Ioanni ſuae facilitatis cauſſam fuiſſe ſuſpicatus erat, quod iam tum amore Mariae Eliſabetae incenſus fuerit, cui aetas puellae ſextum adhuc agentis annum repugnat. Sed praeter decreta Norcopenſia, a quibus iura Guſtavi Sueci repetunt, cogitanda etiam ſubſidia putaremus, quae filio a Carolo praeparata Ioannem movere potuerint. Primordia novi regis argute narrantur, et idonea fides fit laudationi ſapientiae decimum octavum intra annum aetatis, et proferuntur quaedam e commentariis necdum editis, de arte auctoritatem contra nobilitatis ambitionem et ſpiritus tenendi. Una eaque evidentiſsima ratio redditur a ſagacitate, qua peritiſsimos et meritiſsimos, rebus praeficiendos, Guſtavus legerat. Defenditur et illud, quod ſummam conſiliorum de rep. domi foriſque uni Oxenſtiernae crediderit, argumento maximo prudentiae. Nec iuventus huius inter arduorum initia operum titubavit, nedum ut poſtea maturitas defuerit; unde etiam Urbanus VIII., Pontif. R., Hartio iudice, inter lumina totius Europae, quantum ad civilium rerum ſcientiam attinet, numerandus, ipſum veluti formatum et inſtructum a natura meliore ad quaevis perfecta miratus ſit. Videntur ea omnia de incredibili prope et divino ingenio iure praedicari: ſed non difficile fuiſſet addere, tantum virum ſemper iudicaſſe, adiumento ſibi maximo in omnibus litteras fuiſſe; quarum etiam gratia vel ante rerum experimenta tantopere auctori felicitatis ſuae commendatus erat. Militaris etiam rei gloria ipſi haud minor vindicatur: utrumque ſic tamen, ut Guſtavum aequaſſe, non ſuperaſſe, cenſeri queat. Sed in hoc quis cum fiducia arbiter pronuntiet? Haec prima principis cura reip. conſulendi, ut eius partes digniſsimis mandarentur: cui ſucceſſere infinitae aliae, magnitudine ſuppares, varietate prope graviores. Quam ex his priorem ſumit auctor, inſtitutos pacis cum Danis ineundae cauſſa conventus, ſic exſequitur, ut aculeos in Iacobum I. Angliae regem vibrans haud occultos, praeteritione in ple-

riſque utatur; Guſtavi tamen animum paci vel bello parem celebret. Hoc vero ubi continuatum aliquamdiu narrat, ſapientiae huius tribuit, quod praeter aliorum opinionem, omiſſa Calmaria, quam Danus interceperat, arma contra Sconiam vertit, duce Ioanne, ut vires hoſtis diſtraheret, ad invadendam Oſtgothiam, Elfsborgumque liberandum cum copiis miſſo. Quod vero dubitandum putat mox, conſcione, an ignaro, Imperatore, Georgius Luneburgicus conſcriptum in Germania militem Dano adduxerit, quaeſiſſe, non inveniſſe nodum, nobis quidem videtur; qui non comprehendimus animo, quid ad Imperatorem vel ex ſuſpicione referri in eo negotio posſit, niſi forte, quod interdictum non dedit; quod tamen, ſi medius in controverſia, quae ad imperium nihil attinebat, haberi vellet, dare non poterat, ipſis legibus impeditus, quo minus Germaniam, agitandis externarum litium arbitriis, armis implicaret. Ubi nocturnus Danorum ſuperventus, quo caſtra Guſtavi irruperant, memoratur, *Boehmius* quaedam memoria digna ſupplet. In iis quae ſequuntur, mira rurſus brevitate Hartius multa aliunde repetenda, transiit. Cauſſa, quam adfert, ne in minutias et res taedio futuras incidat, forte pluribus parum probabitur. Nam, ſi unquam, tunc ſane res Dani ſtrenue geſſerant, nec illorum ſcriptores cum faſtidio leguntur. Ac ne illud quidem, quod de regis Guſtavi in ſua ſe recipientis itinere narrat, conſentire cum aliis auctoribus arbitramur. Nam Careliam ipſe profecto non adiit; ſed Holmiam recta revertit, auctore quidem *Loccenio*, ut curaret funus patris. Sed forte revocaverat alia neceſſitas, ob Sigismundi, Pol. R., machinationes, qui aemulos domi incitare in Guſtavum moliebatur. Credibile eſt Hartium incidiſſe in commentarios, obſcuriore narratione imperfectos, in quibus Careliae inter alia ſcriptor meminerit, ubi quae ad maturandum reditum impulerint, explicare voluerit. Novam irruptionem Danorum in Sueciam, ſummatim rurſus attingit, nec Guſtavi obviam procedentis adparatus exponit. Quo loco quaedam de variantibus ducum in conſilio ſententiis hiſtoria non indigna

digna ab aliis ſunt prodita. Hoc rurſus moderationi ſapienti in rege iuventa fervido tribuit, quod ex comparatione hoſtium, intellecta Chriſtiani, R. Dan., virtute, ad pacem hortantibus Anglis aurem praebuerit, ut Ruſſos potius ulciſceretur, fratrem promiſſis inanibus ludificantes, et Poloni inſidiis paratus occurreret. Laus vera hic regi Danico tribuitur, de quo etiam *Boehmius* aliquot luculenta teſtimonia adfert, et novam editionem operis, noſtrum in ſermonem converſi, quod de illius vita *Nic. Schlangius* compoſuit, parari nuntiat. Acute inde obſervat Hartius aliquid de iudiciis virorum militarium ipſiusque Spinolae, qui Guſtavum infelicium quoque armorum e tyrociniis ſummum futurum ducem coniecerint. Erravit vero, quod in hoc tempus confert Ioannis, Oſtgothiae Ducis, cum Maria Eliſabeta nuptias; quod iam antea a *Boehmio* recte refelli meminimus. De pacificationis rurſus opere agit, in quo iure paullo plenior et exactior enarratio exſpectari potuiſſet A *Boehmio* certe in adnotatione docte ex plenis inſtrumentis apud Schlangium evincitur, regem Angliae omnino reconciliatorem egiſſe, quem mediatorem dicunt; quam perſonam nemini conceſſam ratus Hartius, ea de cauſſa a pacis tabulis, quas excerptas tantum, reciſis ſollemnibus, apud ſolum Loccenium legerat, abeſſe exordium ſibi perſuaſerat. Meliora ſunt, quae de recuſato Belgarum foederatorum officio ob exulceratum Dani animum prodidit. Idem *Boehmius* redditis ab Hartio denuo cauſſis, quae bellatorem Guſtavi animum flexerint, alias fidei propiores addidit. Sola enim navalis adparatus inopia et Dani ad Holmiam facta exſcenſio arma iras prope teſtamento patris relictas gerenti non extorſiſſent, niſi veluti e ſpecula ſurgentes ab oriente et meridie tempeſtates proſpexiſſet. Mire poſthaec de iis iudicat, quae in diſceptationem venerint, quaſi dimidia fere pars in titulorum et ſignificationum honoris inanibus conſtiterit. Sed periti rerum Europae talia praeludia dicis cauſſa inſtitui norunt, donec pateat, quid animorum cuique parti, et cui feſtinato opus ſit. In eo autem faciles adſentimur,

rationi potius, quam adfectui, obſecutum regem, vicinis potius, quam viribus diffiſum; dum paullo duriores etiam, quam virtute meruerit, conditiones non recuſavit. Ea lubentiſſime legimus, quae, parta pace, princeps, necdum veteranis regnandi artibus, in rep. emendavit. De maritimae potentiae ſubſidiis comparatis quaedam auctor iam praedixerat. Huic rationi non minus, quam mercaturae, conveniens erat, Belgis amicis et ſociis uti; unde cum his quindecim ad annos foedus pro mutuis commerciis et poſſeſſionum ſecuritate percuſſum. Alia quaedam domi ordinata carptim referuntur, in quibus plura e ſtatu atque inſtitutis Sueciae declarari paullo diligentius optares. Edictum ſane de exſulibus non recipiendis in regno, niſi fidei publicae teſtimonia adferrent, ſecius intellexiſſe Hartius videtur, quod nullo religionum reſpectu id conceptum putavit. Exſpectaſſes tamen de nonnullis paullo uberiora, ut in primis de inſtaurata et ornata academia Upſalienſi, operum ſane Guſtavi haud ultimo, illo ipſo iam tempore ſuſcepto, ſi fides ſcriptoribus domeſticis. Sequitur de edictis regiis contra ſodales Ignatianos, et contra metaphyſicos, quo tunc nomine notabantur, qui ſtudiorum cauſſa in Poloniam proficiſcebantur, et ibi conſiliis eius parum amica doctrina imbuebantur. Haec ad guſtum operis lectoribus dandum paullo preſſius delibare voluimus. In reliquis carptim de iis, quae eminent, et de meritis editoris, V. Cl. et Ampliſſ. hiſtoriae amantes admonebimus. In bello Ruſſico narrando valde miramur, ab auctore *Petrum Petreium ab Erleſunda*, ſcriptorem ſummae auctoritatis, et ne *Treverum* quidem conſultos fuiſſe; a quibus quaedam melius doceri potuiſſet, v. gr. de Michaele, Theodori F., qui non niſi per matrem ex antiquis Demetriis deſcendit, gente ipſe Romanovius; de grandi penſione, quam Ruſſi Suecis ſolvere coacti fuerint, quum ea XX. millium Rublonum, Petreio teſte, permodica fuerit; et de creditis privatorum in Suecia, de quibus tamen mutua pactio tantum ſancita fuit. Coniecturas etiam adfert, de cauſſis cunctationis in Guſtavo, cur fratrem citius maioribus.

ribus.

Digitized by Google

ribusque opibus in occupando ſolio Rusſico non adiuverit, parum certe probabiles. Nec enim Suecos fugere poterat, nunquam ſerio proceres Ruſſos de re tota cogitaſſe. Ubi de duplici genere occupationum vigentiſſimi regis agit, iure commendat in re bellica ſtudium imitationis veterum imperatorum. Satis tamen conſtat, ſecius ipſum multa conatum eſſe, quod prudentioribus Oxenſtirnae monitis aurem non praebuit, nec fortunam Germaniae, nunquam alienigenis obnoxiam, in conſilio habere voluit. Veriſſima laus eſt, de emendato iudiciorum A. S. cIↃIↃcXV. in Suecia ordine et modo; unde hodie multa ſaluberrimi exempli etiam alibi petere liceret, ſi ultra conciliatorem lucri Tribonianum ſapere nonnullis in locis auderemus, et omnium bonorum ex voto fidem et candorem maiorum ſimulatae et in avaritiae lupanari proſtitutae iuſtitiae ſufficeremus. De Iacobo primo Rusſiae et Sueciae pacificatore parum modeſte ſentit auctor; quum nemini prudentiorum obſcurum ſit, non ſocordiam Iacobi, ſed Angliae necesſitatem cauſſam fuiſſe, Ruſſiae ut conſuleretur. Inde enim niſi vel in hunc diem materiem fabricandis navibus, et veſtiendis nautis, minaces et pro inſularium ingenio ſaepius praeferoces Britones ſibi comparare poterunt, unico interdicto Rusſico, unum intra diem, de non evehendis malis, ligno querno, cannabi, lino, reſina et reliquis, vanisſimam illam de dominatione maris ſpem ab iratisſimo Neptuno furentibus fratribus iactandam traditum iri, ne dubitent; in primis ſi Suecia quoque et Dania aditum illis negaverit. Interdum Hartio etiam accuratiorem geographiae notitiam deeſſe, periti animadvertent, ut quando v. gr. Kexholmum in Ingria ponit, eo praeſertim tempore. Nec deſcriptio Noteburgi, nobis, qui aliquoties in flumine Neva inſulam circumnavigavimus, ulla ſaltem ex parte probari poteſt, et occupationis labor magnus eſſe non potuit, quum utraque ex ripa minimo etiam genere telorum arx oppugnari posſit. Valde oratorum more inde Guſtavi res domi geſtas extollit; ſed ſumma iniuria ſimul *Loccenium*, interpretem Latinum ſermonis a rege in comitiis regni habiti adficit. Inter conditiones pacis a Suecis cum Rusſia

initae

Digitized by Google

initae refert quaedam paullo obſcurius, ut exteri non ſatis capiant, quid actum fuerit. Sed *Boehmius* in adnotatione egregie ſuccurrit, ſolo indicio libri ad haec perneceſſarii. Aequior Hollandis, quam ipſi Angliae Hartius, laudat ſtudium erga Ruſſos. Sed eaedem profecto, niſi maiores cauſſae, quam de Iacobo I. praediximus, impellere debuerant, ſi non impulerant. De ſuſpicionibus contra Danum non adſentimur Hartio, Carletonio ſponſore, quem alias obtrectandi cauſſas habuiſſe conſtat. In belli Polonici cauſſis narrandis rurſus varia ſubſidia, fide aliqua digna, Auctor requirenda non putavit; unde *Boehmio* nonnulla aliunde ſupplendi occaſio data eſt, qui bene etiam arguit narrationem de poſteris Ioannis Regis, non prorſus a ſucceſſione excluſis, ut Hartius refert, et ex Kobierzickio docet, Vladislaum anno demum poſt Sigismundi inaugurationem natum fuiſſe. Oſtendit haec res, codicem iſtum necdum editum de genere Guſtavi, ad quem provocatur, in hoc fide deſtitui, quaſi pater ad ſolium Sueciae vocatus promittere coactus fuerit, ſe filium XII. annorum Holmiae in ſacris auguſtanae confeſſioni addictorum educandum curaturum. Idem praeclare admonet, diſtinguenda eſſe comitia Lincopingae a. C. 1600. habita, et Norcopingenſia A. 1604.; quando in illis abrogatum quidem Sigismundo regnum, adminiſtratione libera Carolo permiſſa; in his vero Carolus rex creatus et de ſucceſſione conſtitutum eſt, ut *Warwingius* in vita Sigismundi tradidit. Utraque etiam narrat *Piaſecius;* ſed illa ad A. 1599. refert; ſed *Loccenius* Warwingio accedit, *Verelius* autem epitomes L. III. multa addere poterit. Pulcra etiam adnotantur de inauguratione filiorum Caroli per vexilla in Finniae et Sudermanniae ducatibus, et laudatur exegeſis, ſeu apologia Suecorum Holmiae A. 1610. publicata; cuius quidem auctorem ferri Meſſenium *Boehmius* ſcripſerat; nunc vero aliter eum ſentire comperimus, ut Meſſenium Latine ſolum vertiſſe a Rege Carolo IX. ipſo Suecice conceptam ſtatuat. Totum hoc bellum copioſe ſatis et eleganter memoriae auctor mandavit; libertate tamen ſtili nonnunquam uſus,

Digitized by Google

uſus, quae, praeterquam à Britanno, vix exſpectetur, praeſertim quoties de regibus loquendum eſt. Videntur autem nonnulla, quae ex fide codicum ſe prodere ſcribit, non ſatis ſuis temporibus digeſta eſſe; ut vel illud de Betleno, Tattaros et Turcos foederatos in Moldaviam emittente iam A. C. 1617., ſatis a *Ploſario*, in orat. apologet., et a *Keſervino* apud *Miegium* p. 236. confutari videmus. Adduxerat enim in Moldaviam copias Gabor, ſed pacem Polono conciliaverat, et aliae Turcis irarum cauſſae fuerant. Tres vero poſt annos demum hoc, quod Hartius huc coniecit, *Piaſecius* p. 397. ed. Cracov. fidem facit. Alia quaedam meris coniecturis niti videntur, veluti quae de Fahrenbachio pro argumento praeſtitorum clam ab Imperatore Polonis auxiliorum adfert. Iter inde Guſtavi, quod diſſimulata dignitate A. C. 1620. per Germaniam fecerit, refert. Sed breve illud fuiſſe, nec ultra, quam Berolinum usque protenſum, multa indicio ſunt. Egregie *Boehmius* narrationem, a Papadopolo ex Salomonio ſumtam, de ipſo Patavii literarum cauſſa morato, refellit. Nec de Vitebergenſi commoratione verior rumor fuit, ut ex *Sennerto* probat. Hartianae deſcriptioni connubii regii nonnulla *Boehmius* adiecit, quae non amoenitatis minus, quam uſus habent. De forma reginae, ſi ex tabula Clerici, noſtro Meterano addita, iudicandum, Chriſtinae filiae effatum magis, quam alia praeconia probes. Ubi nuptiarum pompa et alia domi acta memorata ſunt, novus belli Polonici apparatus et Rigae obſidio admodum exacte traduntur; ut maximam ſubſidiorum, auctori oblatorum, partem ad bella pertinuiſſe, facile intelligamus. Pericula quae Guſtavus incurrit, argute notantur; ubi etiam *Boehmius* pulcram ex Ogierio ſymbolam contulit. Eminent prae ceteris quae de magnitudine animi Guſtavi victoris, qua deditis ignovit, leguntur. Satis conſtat, quot ſocios amicosque poſtea talibus clementiae exemplis paraverit. Ceterum, notante *Boehmio*, pleraque a Loccenio in his ſumuntur. In his, quae de aliis inde progreſſibus ſequuntur, iuſte de Curonia et Semigallia, Poloniae ab omni memoria clientelae

Digitized by Google

lege obnoxiis, Schefferum *Boehmius* corrigit. Sed illud quoque intelligendum, Miethoviam nullas munitiones habuiſſe, ne quis vi forte captam putet. Poſt pactas in ſequentem annum inducias, quae Rex in Suecia perfecerit, breviſſimo ſermone enarrat auctor, ut hac ratione magna operis inaequalitas notanda ſit. At enim fatum hoc eſſe ſcriptorum dicas, qui res externas componere audent. Medio induciarum tempore, quum Sigismundus, veluti occaſiones ſpeculaturus, ſe Dantiſcum contuliſſet, et Guſtavus in tempore praecavens claſſe valida aditum portus circa Viſtulae oſtium occupaſſet, quae acta ſint pro ingenio explicanti Hartio diligentiorem et exquiſitiorem Lengnichii, V. Ill., deſcriptionem *Boehmius* adiunxit. Nam nihil aeque in hoc auctore deſideres, quam quod huiusmodi opera ſaepius non adhibuit. Unde ex eodem Lengnichio comitiorum Poloniae ſecuto anno acta opportune rurſus repetuntur. Exponuntur inde reliqua ſatis graviter, ut ſunt legatio Hiſpanica, induciarum in biennium prorogatio, et Sigismundi errata; quibus egregia quaedam ſubiiciuntur de Guſtavi praeclaris domi inſtitutis et erga litteras praeſertim meritis. Curioſa et lectu digniſſima ſunt, quae eruditiſſimus editor in adnotatis obſervat. Nos maxime illa de Grotio adverterunt. Dolendum ſane eſt magnopere, huic, qui Guſtavi vitam unus omnium optime certe narraſſet, rem commiſſam non fuiſſe, nec ſubſidia ſubmiſſa. Idem Heinſio, quamvis hiſtoriographo Sueciae, acciderat. Sed quid Heinſius ad Grotium? Erat enim hic Homerus cuilibet Achilli invidendus. Sed Heinſii querelas in epiſtolis, a Moſero iuniore publicatis, qui legerit, facile id, quod eſt, ſuſpicabitur, Suecos ex aemulationis ingenio noluiſſe concedere gloriam eam alienigenis, quam tamen occupare ipſi non potuerant. Annales Belgii Grotianos quoties certe legimus, miſeratio nos populorum ſubit, quibus ſimilem ſcriptorem fata negarunt. Quae deinde Hartius quanta facundia, tanta libertate, porro exponit, ad finem usque belli Pólonici, ut magna ubertate rerum et caſuum lectores capiunt, et multis tam ſententiarum, quam ora-

orationis luminibus illuſtrantur; ita variis in locis correctione nihilominus indigent. Ut autem chartae parcamus, quae ipſi notare inſuper poſſemus, prementes, ſola *Boehmii* merita opportune multa emendantis, ſupplentis, admonentis, perſequemur.

Reliqua ſecuturis menſibus.

IANI PLANCI, ARIMINENSIS, DE CONCHIS MInus notis, Liber: cui acceſſit Specimen aeſtus reciproci maris ſuperi, ad littus portumque Arimini. Editio altera, duplici Appendice aucta.

Romae in Aedibus Palladis I. P. A. Anno cIↃIↃCCLX. 4to mai. pag. 136. tab. aen. 24.

Libri huius celebratiſſimi a *Planco* primum Venetiis anno 1739. editi ſummam fuſe retulimus in Acta noſtra anno 1744. a pag. 111. usque ad pag. 121. modo tantum ſummam referemus Appendicum, quae in hac nova Romana editione reperiuntur. Prima igitur Appendix, quae incipit a pag. 83. usque ad pag. 93. continet Annotationes, Additionesque ad Librum de Conchis minus notis, et ad Tractatum, cui acceſſit de Aeſtu Maris, ubi multa *Plancus* novis obſervationibus amplificat, et interdum corrigit, quae in priore editione docuerat. Inter ea, quae addit in hac prima Appendice, non reticenda ſunt duo Cornua Hammonis, quae in Littore Liburnenſi nativa reperit, et quae ad Lituum, et Semilituum ſunt referenda, quorum etiam adiungit figuras in Tabula I. num. X. ſub Litteris O. et P. Quarum O. Lituum, et P. Semilituum refert. Horum tamen Corporum in ſecunda Appendice Cap. I. et Cap. II. uberiorem dat deſcriptionem. In hac eadem Tabula prima num. XI. et XII. addit figuras Nautili ſui III. et IV. cum marginibus, quorum margines omiſſi fuerant ab Inciſore Bononienſi in prima editione, quos margines tamen in deſcriptione *Plancus* meminerat. Item figuram addit ſub num. XIII. et Litteris z. et Z. Nautili III. maioris, Lupini magnitudine cum mar-

gine, cuius exemplum nativum reperit in ſedimento Ariminenſi, et alterum foſſile ei miſſum fuerat á Carolo Allionio Taurinenſi, Viro Cl. amico ſuo, in Liguria ſua repertum. In Tab. V. addit ſub num. XI. Conchas Anatiferas melius efformatas, quam eas, quae deformatae fuerant in priori editione ſub num. IV. Item in eadem Tabula ſub num. XII. figuram ponit Balani medii compreſſi, quae omiſſa fuerat in priori editione, et hoc factum eſt in quemdam, qui Balanum hunc compreſſum confuderat cum Balano pene pyramidali a Fabio Columna in Tab. XXX. Phytobaſani ſui expreſſo, et a Planco Florentiae recuſi. In Prima hac Appendice Plancus multa etiam indicat, et tangit, quae uberius in Appendice Secunda deſcribit, et Tabulis aeneis exponit. In fine denique primae huius Appendicis notas quasdam adiicit, quae ad ſuam diſſertationem de Aeſtu Maris Superi pertinent, quarum prima eſt, quae ad bonos illos Gallos pag. 50. pertinet, ubi oſtendit, non de univerſa Gallorum gente id dictum fuiſſe, ut Trevoltiani interpretati ſunt, ſed tantum de Academicis quibusdam, qui minus accurate obſervationes ſuas circa Aeſtum maris in aliquibus Portubus Oceani inſtituerant. In ſuprema nota eſt correctio aſſertionis cuiusdam ſuae, qua dixerat veterem murum fortiſſimum quidem, quo muniebatur Urbs Arimini in ſequioribus ſaeculis, eſſe moenia a Romanis condita; novis enim Obſervationibus, et rationibus innixus cognovit, murum hunc non a Romanis, ſed vel a Beliſario, vel a Longobardis conditum fuiſſe, ut Urbem Arimini vel contra Gothos, vel contra conatus Exarcharum tunc Ravennae degentium munirent; idque confirmat nobili Inſcriptione *C. Nonio Caepiano* dicata, quae reperta fuit in fundamentis muri illius, et quae poſt Caium Imperatorem vulgo Caligulam edita fuit. Romani enim praeclara ſuorum Civium monumenta non ita facile deturbaſſent, neque in murorum fundamentis ſepeliſſent. Hanc Inſcriptionem in ſuo Cimelio Plancus adſervat, quam dono accepit a Romualdo Rota, Societatis Ieſu Provinciae Venetae Praefecto.

Appendix Secunda in XXXIX. Capita diſtribuitur, quae continent Conchas Resque alias marinas minus notas, qui-

bus

bus adiectae ſunt figurae, quae XIX. Tabulis novis exprimuntur. Tres in ſuperiori Appendice indicatae iam fuerunt, quae hic uberius, ut diximus, deſcribuntur. Exſcribenda quidem eſſet hic univerſa Appendix ſecunda, ut res omnes in ea contentae deſcriberentur; indicabimus tamen ea, quae praecipua videntur. Et primum dicimus Cap. V. accurate dari deſcriptionem et Anatomen duorum generum echinorum, quorum figurae item dantur in Tab. I. et II. huius Appendicis, ubi *Plancus* evidenter oſtendit contra Reaumurium, echinos non aculeis incedere, ſed Cornibus quibusdam, ſeu Proboſcidibus inſtar Hirudinum, quas ex foraminibus pene innumeris emittunt per Triangula ſphaerica, quae a vertice ad baſim echini ſunt diſpoſita. Cap. VI. oſtendit, Cucumerem marinum Rondeletii eſſe echinum quemdam Coriaceum. Cap. IX. Favaginem, ſeu Μελίκηρον, et Κηρίον Ariſtoteli eſſe Ovaria Cochleae Punctatae oſtendit. Cap. X. Anatomen dat cum figuris Nucis marinae utriusque, quarum primam vocat Amygdalam marinam, cui circa ventriculum tria ſunt oſſicula priſmatica a natura data, ut trituratione frangat et digerat Nautilos ſtriatos, quibus veſcitur. Secunda Nux, quam Iuiubam a ſimilitudine huius fructus vocat, oſſicula minora circa ventriculum gerit. Cap. XI. Conchae Peloridis integrae Rondeletii figuram dat, vocatque eam Concham bicaudam, cuius caudae ſunt cartilagineae, articulatae, et cylindricae, easque originem dare entrochis foſſilibus Battarra opinatur. Cap. XII. Concham peculiarem deſcribit ſine Teſta. Cap. XVIII. Pennae marinae dat figuram et Anatomen, eamque Zoophytum eſſe oſtendit, mentulamque alatam vocat. Cap. XIX. Mentulae cuiusdam informis, quam Redius *Carnumi* vocitarat, figuras varias dat et Anatomen. Cap. XXII. Setae Paluſtris oſtendit os fimbriatum eſſe et pampiniforme, ut ſunt fimbriae Tubarum Falloppianarum in muliere. Cap. XXVII. Tubulariae ſeu *Filogranae* ſuae dat figuram, et uberiorem deſcriptionem. Cap. XVIII. deſcribit corpus quoddam, quod Alcyonium rubrum, pulpoſum, conicum plerumque appellat, quod dum ſeneſcit fere ligneum evadit, et totum tunc foraminibus fit per-

 vium,

Digitized by Google

vium, oſtenditque Corpus hoc non confundendum eſſe, ut fecit Vitalianus Donatus, cum Alcyonio illo duriori Diſcoridis, quod *Turbante* a Piſcatoribus dicitur. In Articulo III. huius Capitis oſtendit Tethya ſphaerica eiusdem Donati eſſe ſemper adhaerentia ad Petrobrya, et arte pictoria, et circino geometrico potius fuiſſe a Donato adornata, quam ſecundum veritatem ſimplicitatemque naturae, idque accidit plerumque in figuris reliquis libri illius. Cap. XXX. et ſequentibus deſcribit octo genera Spongiarum ramoſarum plerumque, quae in Hadriatico reperiuntur. Claudit denique Plancus Librum deſcriptione et figura Fuci cuiusdam peculiaris, quem vocat Fucum Abrotonoidem Hiſpidum Atrovirentem. Ita novis his acceſſionibus egregie denuo meruit de Hiſtoria naturali Clariſſ. Plancus, quam gloriam ut diu ſuperſtes tueatur et amplificet, optamus.

IO. IACOBI REISKE ANIMADVERSIONUM AD Graecos auctores VOLUMEN TERTIUM, *quo Thucydides, Herodotus, et Ariſtides pertractantur.*

Lipſiae 1761. litteris Loeperianis, 1. Alph. 13. pl. 8to.

Legimus Clarisſimi Viri priores animadverſiones ſumma cum voluptate, et perhonorifice prioribus huius libri partibus, ſi quis velit evolvere, recenſuimus; qua in re verſabimur iam ita, ut non tam de ſingulis quibusque rebus diſceptemus, eſt enim labor paene infinitus, neque ut ſingulas emendationes in utramque partem pertractemus, ſed potius ut in univerſum, quae ſit huius libelli dos, videamus. Itaque quod debet in unoquoque bono caſtigatore graecorum librorum eſſe, primum ingenium quam optimum, deinde vero accurata earum rerum ſcientia, multorumque annorum uſus, id ſane magnopere ſcimus in Celeberrimum Reiskium conferri poſſe. Habet vero id inprimis, ut paucis ſaepe verbis et quaſi aliud agendo lucem difficillimis locis aſpergat. Itaque utitur genere dicendi eo, quo naſci debemus, neque enim cura laborque id concedere poſſunt, ut clare et perſpicue proponantur omnia; ſed natura potius,

quam

quam perſpicuitatis dotem Reiskius cum iis videtur auctoribus communicare, quos illuſtrandos ſuſcepit. Cuius viri quanta ſit in iudicando vis, optimum ſpecimen in ipſa praefatione eſt, quam qui legere voluerit, experietur facile, quanta ſit res et iudicare exacte, et id ipſum claris verbis proponere. Candor vero elucet ſummus, qui neque aliorum errores tegat, neque ſe ipſum defendi velit, niſi ubi ipſa veritas defendit. Itaque neque ſibi id tribuit Vir Summus, quod ſolent aliqui interdum ſibi arrogare, ut quaſi erroris omnis expertes habeantur, ſed facile retegit ipſe ubi peccarit, qua re tantum abeſt, ut auctoritatem eam, quam apud omnes graecarum litterarum peritos habet, imminuat, ut potius conſervet ac tueatur, cum omnes facile intelligant, quantus debeat eſſe is, qui minutis illis tuendae auctoritatis adminiculis minime ſe indigere putet, quae videmus a quibusdam uſurpari. Itaque cum Cel. Auctor in Ariſtide evolvendo ſummum ſtudii operaeque poſuerit, hunc potiſſimum nobis eligamus, ut quae ad aliquam oratiunculam annotaverit Reiskius, videamus, quo pacto omnes videbunt quaſi e ſpecimine, quantum boni univerſis annotationum Reiskianarum voluminibus inſit.

Ita ad Ariſtidis Platonicam primam haec fere annotavit:

Πάντες γὰρ ὕστεροι δήπου τοῦ διώκοντος λέγουσιν, ponit itaque *τῶν διωκόντων*, ut melius reſpondeat voci *πάντες, ὕστεροι*. Quod quamquam non eſt ſummae neceſſitatis Ariſtidem ita ſcripſiſſe, neque enim ſe auctores tam arctis legibus circumſcribi patiuntur, ſed certe ſi voluit exactius ſcribere, ſic eſſe debuiſſet.

'Ου τῆς ἐπὶ τῆς ἀρχῆς ἐξενεγκοῦσιν ἀποδίδοται τὸ σύμβολον, ἀλλὰ τοῖς παρελθοῦσι. Significat, inquit Cel. Auctor, qui primi carceribus emittuntur ad curſum. Id eſt ut recte putat: Non ii qui primo loco ſe certaturos promittunt, aut ad tempus primi ſunt, ideo etiam coronantur, ſed opus eſt, ut ceteros anteeant etiam in fine; ſi libere haec interpretari velimus.

"Ωσπερ νομίσαι δέον, ὀυχ ἑυρεῖν τὸ βέλτιον: Certo credere ab alio traditum aliquid, aut inventum ſancitumve, idque firmiter ſibi perſuaſum habere, nil ultra quaerentem, cur cre-

dat,

dat, et recte ne an ſecus. Contrarium eius eſt εὑρεῖν, meditando invenire, excogitare, ut poſſis quaerenti rationem reddere, cur ita, neque aliter ſtatuas.

"Ωσπερ ἂν εἴτις καὶ ὑγιαίνειν χρῆναι φάσκοι μόνους τοὺς πρώτους γενομένους, καὶ μηδ' ἐκεῖνο ὁρᾷν, ὅτι ἡ τοιαύτη κρίσις — οὐ λυσιτελεῖ. Recte monet, ὁρᾷ legendum eſſe, prout id etiam in antiquis exemplaribus eſt. Senſus: Si quis vellet dicere, tantum eos bene valere, qui aetate quam maxime remota vixerunt, neque videt hoc, id iudicium, neutiquam prodeſſe antiquioribus illis hominibus, quin obeſſe potius.

Ὅπως μὴ περὶ τῶν μεγίστων φαύλως ὑπαχθεῖεν, ſupplet hic διανοεῖσθαι vel ἐνθυμεῖσθαι, aut ſimile quid. Senſus: ne inducantur ut ſummis de rebus perverſe iudicent. Videtur haec correctio neceſſaria eſſe.

Ἡ πάντας εἰδυῖα λόγους ἀνθρωπίνους ἰατρική. Recte Cel. Reiskius: λόγους non videtur vitio carere, falſum enim eſt, medicinam tenere omnes humanas rationes, πόνους itaque, nam interdum πόνος quoque uſurpatur pro νόσῳ.

Τῷ παρὰ τὴν Πυθίαν μέρει τὴν δόξαν εἴληφε. Propter Pythiam, id quod Pythiae in acceptis referendum habebat.

Τὸν δὲ Τήλεφον οὐκ οἴει τὰ αὐτὰ ταῦτα; ſcilicet ἐροῦντα vel, δυνάμενον ὑπὲρ ἑαυτοῦ λέγειν; Tu autem non putas Telephum eadem pro ſe potuiſſe afferre, h. e. reprehenſum et accuſatum quemque, hic autem me ipſum, qui ſum accuſati loco, qui rem a Platone notatam defendo ac laudo, poſſe haec eadem in ſua cauſa dicere?

Quae ſane ſpeciminis loco ſunto, pleniora quis ex ipſo libro hauriat. Nam id in genere dicendum eſt, multa optime annotata hunc librum continere. Exponit Reiskius obſcura dilucide atque eleganter, corrigit ingenioſe et ſubtiliter, affert ex inſigni graecarum litterarum ſcientia, optima quaeque et maturae frugis. Quae ne quis nobis ita dicentibus credere debeat, ipſius libri diligens lectio, collati cum graeci textus verbis, unumquemque docebit. Quanquam hoc interdum non poteſt negari, videri quaedam emendata, fortaſſe tamen defendi poſſe et manere. Sed ea tota res, ut eſt valde lubrici iudicii, ita etiam diverſitati ſententiarum quam maxime ſubiecta. Quae ſane nos impediverunt, quominus plura ſigillatim afferremus, perluſtraremusque; quod eſſet tantum, quantum noſtrae pagellae minime caperent; animadverſiones de animadverſionibus ſcribere. Itaque ſufficiat hoc: Reiskium in hoc libro ſe praeſtitiſſe eum, qui ſit graecarum rerum et amantiſſimus et peritiſſimus, oſtendiſſe ingenium optimorum ſcriptorum lectione ſubactum, exhibuiſſe ingenium in inveniendo, acumen in iudicando, ſedulitatem ac ſollertiam in omnibus, ut hic libellus graecarum litterarum amantibus, ſi ſit diligenter lectus, plurimum adiumenti afferre ac lucis in illis rebus queat.

❁ ❁ ❁

Digitized by Google


NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipſiae
Calendis Octobris Anno MDCCLXI.

GODOFREDI HEINSII, MATHEM. IN ACAD. Lipſ. Prof. Obſervationes circa phaſin Saturni rotundam, quae an. 1760. rediit.

Viciſſitudines phaenomenorum, quae phaſin Saturni rotundam comitari ſolent, varietate ſua non ſolum omnem excitant attentionem, verum etiam ad perficiendam magis magisque annuli Saturni theoriam ſedulas expoſcunt obſervationes. Cum an. 1743. eiusmodi phaenomena circa nodum aſcendentem annuli Saturni et Eclipticae occurrerent, omne ſtudium adhibui, tum exquiſitiſſimi teleſcopii ope illa obſervandi, tum circumſtantias viciſſitudinum theoria generali explicandi, quam deinceps in *Commentatione mea de apparentiis annuli Saturni*, Lipſiae an. 1745. edita, cuius mentio in his Actis an. 1746. p. 654. facta eſt, publice tradidi. Anno 1760. denuo redibant eiusmodi phaenomena, ſed circa nodum annuli et Eclipticae deſcendentem; quam ergo occaſionem avide amplexus ſum, praedictionem non ſolum de viciſſitudinibus apparentiarum tunc occurrentium ſecundum theoriam rite ſuſcipiendi, verum etiam obſervationes circa iſtas ſolicite inſtituendi. Utrumque negotium, in uſum aſtronomicum, hic deſcribere licebit, et praeſertim prius ſchemate adiecto illuſtrare, cuius explicationem inſcriptiones prae ſe ferunt. Hoc tantum monendum cenſeo, paragraphos, ſi qui in nonnullis locis citantur, Commentationis ſupra memoratae ſubintelligendos eſſe.

Digitized by Google

Tab. III. Quod praedictionem attinet: Planum annuli Saturni productum, ſeu recta *ſe* ſitum eius motu ad ſe et ad rectam *SE* ſemper parallelo indicans, acceſſit ad orbitam terreſtrem prope menſe Octobri an. 1759, quam circiter ſub medium Octobris attigit; quo verum tempore terra multum diſtabat ab iſta *ſe*, circiter ad $\frac{4}{7}$ diametri orbitae terreſtris. Planum annuli, quod imaginationis cauſa ſemel tantum ad *IK* adumbravi, obvertebat tunc ſuperficiem ſuam borealem et Soli et Terrae, ita ut adſpectus annuli probe concederetur. Ab eo tempore ſub ſimilibus circumſtantiis inſequebatur quidem recta *ſe* terram ad eandem plagam motam, ſed lento admodum gradu, ita ut facies annuli ſenſibiliter non mutaretur. Aſt circa medium Decembris 1759. terra curſum flectebat, et ad plagam contrariam reſpectu directionis motus rectae *ſe* pergendo acceſſum mutuum utriusque promovebat, primum lento, deinde greſſu citiori, ita, ut ad initium Februarii an. 1760. diſtantia mutua terrae et rectae *ſe* radium orbitae terreſtris aequaret. Coarctatio annuli ſenſibilis inde ſequebatur, cuius facies deinceps eo magis minuebatur, quo promtior erat acceſſus mutuus terrae et rectae *ſe*, donec tandem terra d. 17. Mart. 21^{h}. 33′ vel fere ad d. 18. Mart. in ipſam *ſe* incidit, et phaſi rotundae Saturni locum fecit. Incipientem hanc phaſin adſpicere terricolis non licuit, cum modo coniunctio Solis et Saturni, nempe d. 8. Mart., celebrata fuerit, ideoque Saturnus ſub radiis ſolaribus lateret; quam ob cauſam quoque diſquiſitioni non ſubieci eam circumſtantiam, qua annulus attingendo terminum ſufficientis elevationis oculi (§. 18. *Commentat.*) citius, momento notato, diſparuit. Celebrato d. 18. Mart. congreſſu terrae cum plano annuli vel recta *ſe*, ſuperficies annuli auſtralis terrae obverti incepit, quae cum a Sole averſa in tenebris lateret, adſpectum annuli denegavit, ita ut Saturnus ex hoc capite phaſin ſuam rotundam poſtea continuaret. Terra et recta *ſe*, ad partes contrarias motae, ſucceſſu temporis celeriter tunc a ſe mutuo recedebant, donec recta *ſe* d. 23. April. hor. 22. min. 11. vel rotunde


Nov 1 1759.
Dec. 1 1759
Januar 1 1760.
J
nodus descendens
Eclipticæ et annuli ♄
K
T. Sept. 1.
E
Sol in plano
Julii 1 1760
Octobr. 1.
Aug 1
Sept 1
Octobr 1
Nov 1.
Noi

tunae

Digitized by Google

tunde ad d. 24. April. an. 1760. in centrum Solis incideret, et illuſtrationem utriusque annuli ſuperficiei a reſpondente Solis hemiſphaerio permitteret. Paulo poſt tenebrae occupabant ſuperficiem annuli borealem; auſtralis vero ab integro Sole illuminata ſimul terrae obvertebatur, cuius ſuperficiei lumen deinceps ita crevit, ut d. 2. Maii terminum ſufficientis illuminationis (§. 17.) attingeret. Huc usque phaſis Saturni rotunda duravit; ſtatim autem poſt annuli brachia ſub forma notabili apparere debuerunt, cum terra ſuper plano annuli ſatis elevata eſſet. Sol d. 2. Maii oriebatur 4^h. $34'$., Saturnus autem 3^h. $20'$., et crepuſculum matutinum incipiebat verſus hor. 2; unde etiam ad tempus praecedens colligere licet, brevem Saturni ad horizontem ortivum apparitionem et lumen crepuſculi forte adſpectui phaſis rotundae non faviſſe. Poſt d. 2. Maii terra et recta *se* a ſe mutuo recedere pergebant, et facies annuli inde augebatur, donec verſus medium Iunii terra curſum flecteret, et ad eandem cum recta *se* plagam mota hanc inſequeretur; primum lento, deinde citiori gradu; interea dum ſemper ſuperficies annuli auſtralis et Soli et Terrae obverteretur; unde coarctatio faciei annuli ſucceſſu temporis locum denuo habere debuit. Terra quidem rectam *se* poſtea non amplius aſſecuta eſt; attamen ad eam verſus medium Novembris tam prope acceſſit, et usque ad finem Novembris ab iſta eandem, ad ſenſum, diſtantiam conſervavit, ut coniecturare liceret, brachia Saturni ob exiguam terrae ſuper plano annuli elevationem futura eſſe diſparitioni valde propinqua. Sic ad ductum §. §. 48. 49, paucis mutatis, ſubſtituendo ſcilicet loco anomaliarum longitudines veras Saturni et Terrae, easque cum lineis nodorum comparando, deprehendi elevationem centri terrae ſuper plano annuli $= 0°. 35'$. d. 21. Novembr. hor. 12, et $= 0°. 37'$. d. 30. Novembr. hor. 12. Ab eo tempore, cum iam recta *se* verſus finem Octobris orbitam terreſtrem reliquerit, et ſucceſſu temporis continuo ab ea recedere pergeret, facies annuli augeri coe-

 pit;

Digitized by Google

pit; qui adſpectus deinceps per 14. annos continuo durare debet, antequam phaſis rotunda iterum locum habeat.

Haec ſunt phaenomena, quae ſchematis effectio, addito ſubinde calculo, patefecit. Ea nunc enumeremus, quae obſervare coelum permiſit. Ipſam phaſin rotundam, quae a medio Martii usque ad initium Maii an. 1760. evenit, partim ob rationes allatas, partim loco ad obſervationes in vicinia horizontis inſtituendas idoneo deficiente, contemplari non licuit. Solummodo igitur ea attendere conceſſum fuit, quae per poſteriores anni 1760. menſes ſe obtulerunt. Adhibui hoc in negotio Teleſcopium catadioptricum Gregorianum optimae notae, ab artifice *Short*, Anglo, elaboratum, in quo ſpeculi maioris diſtantia focalis eſt $16\frac{1}{2}$. pollic. anglic. Huic tria ſpecula minora concava, et duo ocularia ex binis lentibus compoſita ſucceſſive applicari poſſunt, unde efficitur, ut teleſcopium obiecta ſecundum diametrum 52, 84, 97, 126, 157, 240, vicibus reſpective augeat. Elegi autem in meis obſervationibus eum apparatum, quo per teleſcopium obiecti diameter vel 52. vel 97. vicibus maior apparet, quam nudo oculo, eumque in ſequentibus per *amplificationem* 52, vel 97. brevitatis cauſa ſignabo. Hoc enim modo ſufficientem lucis claritatem obtinui, quae partim ob debilitatem luminis Saturni, partim ob altitudinem eius non ſatis magnam ſuper horizonte, partim ob coelum plerumque vaporoſum, licet ſerenitatem iſtud mentiretur, admodum neceſſaria erat. Et ſane coelum, ab initio Octobris 1760. usque ad d. 8. Ianuarii 1761, continuo fere procelloſum, pluvioſum et nubilum, vento ex occidentali horizontis plaga flante, obſervationibus non multum favit. En iſtarum epitomen.

d. 6. Septembr. an. 1760. hor. 10. veſperi primum contemplatus ſum Saturnum per Tubum ſub amplificatione 52, coelo quidem apparenter ſereno, valde tamen vaporoſo, prout Tubus docebat. Annulus *brachiorum* ſpeciem oſtendebat, nullo intervalli obſcuri veſtigio in ſenſum incurrente. Brachia figuram acuminatam a diſco Saturni utrinque protendebant,

Digitized by Google

debant, acumine in extremis a margine diſci Saturni remotiſſimis exiſtente; ad marginem ipſum vero latitudine quadam inſtructa erant, quam in ſequentibus, brevitatis cauſa, ſemper *latitudinem brachiorum* vocabo. Oculorum aeſtimatione iſtam hodie $= \frac{1}{7}$. diametri diſci Saturni deprehendi. *Longitudo* utriusque *brachii*, quae in ſequentibus ſemper denotet rectam inter acumen cuiusque brachii et marginem diſci ♄ni proximum interceptam, conſuetae erat magnitudinis, hoc eſt, in ratione ad radium diſci ♄ni ut 5 : 4. Lumen brachiorum nonnihil quidem debilius videbatur lumine diſci, attamen adhuc ſatis clarum. Figura 2. ſemper in ſequentibus obſervationum et explicationum evidentiae inſerviat. Exhibetur iſta in ſitu erecto, prout eam Tubus monſtrare ſolet. Brachium, quod reſpectu diſci ♄ni verſus occidentem cernebatur per *A*, alterum verſus orientem extenſum per *B*, brevitatis cauſa, ſignabo.

d. 7. Septembr. verſus hor. 10. veſp. coelo puro adſpectus Saturni per Tubum ſub amplificatione 97. earundem erat conditionum ac heri; omnia tamen clariora apparebant.

d. 20. Octobr. veſp. poſt hor. 7. coelum multos abhinc dies turbidum nunc quidem ſerenum videbatur, vaporibus tamen prorſus liberum non erat. Favorabilia quaedam momenta patefaciebant, primum ſub amplificatione 52, brachium *B* conſuetae longitudinis in ratione nempe ad radium diſci ut 5 : 4, brachium vero occidentale *A* nonnihil minus et radio diſci fere aequale. Latitudo utriusque brachii erat vix $\frac{1}{9}$. diametri diſci. Sub amplificatione 97. deinde *A* valde acuminatum nonnunquam, attamen ad inſtans tantum, ipſi *B* longitudine aequale apparebat, plerumque tamen minus quam *B*, et latitudo utriusque brachii vel $= \frac{1}{9}$, vel inter $\frac{1}{9}$ et $\frac{1}{10}$ diametri diſci aeſtimabatur.

d. 6. Novembr. veſp. hor. 7. poſt tempeſtatem hucusque plerumque pluviam et procelloſam coelum quidem ſerenari videbatur, vaporibus tamen valde plenum per Tubum ſub amplificatione tum 52. tum 97. deprehendebatur, qui adſpectum Saturni nonnunquam impediebant, nonnunquam

 reſti-

reſtituebant. Brachia vix cerni potuerunt, niſi quod interdum, ad exiguum tamen tempus, inſtar linearum tenuium vix dimidium radium diſci longitudine aequantium apparerent, ita ut latitudo iſtorum ad diametrum diſci comparari non poſſet. Lumen eorum tam debile erat ac lumen Satellitis Iovis, quando iſte in umbram Iovis incurrens in limine totalis immerſionis verſatur. Praecipuam harum apparentiarum cauſam reiiciendam iudico in coelum nimis vaporoſum.

d. 10. Novembr. veſp. poſt hor. 6. coelo puro, licet aliqua vaporum indicia adeſſent, ſub amplificatione 52. brachia diſtincte videri potuerunt. Latitudinem iſtorum admodum exiguam, vix $= \frac{1}{11}$, vel inter $\frac{1}{11}$ et $\frac{1}{12}$ diametri diſci iudicabam. Brachium occidentale *A* quoad longitudinem brevius aeſtimabam ipſo *B;* illud $= \frac{3}{4}$ vel $\frac{5}{6}$ radii, hoc $=$ integro diſci radio, vel paulo plus. Lumen brachiorum valde erat debile, nonnihil tamen fortius lumine Satellitis Hugeniani, qui circiter 6. diametros diſci Saturni a proximo eius limbo verſus occidentem diſtabat. Color luminis, alioquin albeſcens, iam nigredine quaſi dilutus apparuit. Quando lumen recordabar, cuiusmodi per eundem Tubum ſub eodem apparatu alio tempore in Immerſione Satellitis primi Iovis in umbram eius 20. vel 15. ſecunda temporis ante Satellitis immerſionem totalem in eo deprehendi; iſtud mihi viſum eſt lumini brachiorum hodie aequale. Poſt horae quadrantem amplificationem 97. adhibebam, et ſimilia fere obſervabam; aſt ob coelum interea magis vaporoſum redditum ſingulas circumſtantias ſufficienti evidentia diſtinguere non licuit.

d. 13. Novembr. veſp. hor. $6\frac{3}{4}$. coelo quidem apparenter claro, aſt copioſis vaporibus referto, prout et oculus nudus et armatus docebat, per intervalla nonnunquam faventia ſub amplificatione 97. ſequentia annotare potui. Latitudinem brachiorum aeſtimabam $= \frac{1}{10}$ vel inter $\frac{1}{10}$ et $\frac{1}{11}$ diametri diſci. Coelum nimis vaporoſum iſtam absque dubio auctiorem reddebat, ac illa d. 10. Nov. coelo puro viſa fuit; ſiqui-

ſiquidem, repraeſentationi tubi coelum vaporoſum evidentiam detrahere ſolet, et obiectum male terminatum et auctius tunc videtur. Brachium *A* quoad longitudinem certe brevius cernebatur ipſo *B;* illud = $\frac{5}{8}$ radii, hoc = radio diſci, vel paulo maius. Debilitas luminis brachiorum eiusdem erat conditionis, quae d. 10. Nov. notata eſt.

d. 18. Novembr. veſp. hor. 6½. coelo apparenter quidem ſereno, aſt vaporibus pleno, ſub amplificatione 97. omnes apparentiarum circumſtantiae eaedem prorſus erant, ac d. 13. Novembr.

d. 29. Novembr. veſp. hor. 6. coelum hucusque nubilum et pluvioſum ſerenari quidem videbatur, aſt vaporibus purum non erat; nonnulla tamen momenta adſpectum clarum ſub amplificatione 97. concedebant, qui ſequentia certo patefecit. Brachium occidentale *A* longitudine brevius erat ipſo *B;* illud = $\frac{3}{4}$ radii, hoc = radio diſci Saturni, vel paullum minus. Latitudo brachiorum, ſpeciem linearum phyſicarum prae ſe ferentium, admodum exilis deprehendebatur, vix = $\frac{1}{11}$, ſi non = $\frac{1}{12}$ diametri diſci, ita ut brachia diſparitioni valde propinqua diiudicare deberem, ſiquidem quoque lumen iſtorum nonnihil debilius ac d. 10. 13. 18. Novembr., et maiori nigredine quaſi dilutum, videbatur.

d. 30. Novembr. veſp. hor. 6. ſub amplificatione 97. omnia, ut heri, et quidem clariora, coelo magis defaecato, apparuerunt, ita ut certo cognoſcere liceret, brachia diſparitioni admodum propinqua fuiſſe. Cum deinceps amplificatione 52. uterer, omnia quidem, licet ſub minori magnitudine, lucidiora ſe exhibebant, aſt brachia lumine tam debili inſtructa cernebantur, ut, niſi iſta ſub amplificatione 97. ante vidiſſem, plerumque dubius manſiſſem, an cerni poſſent. Brachiorum quoque longitudo hic minor deprehendebatur reſpectu radii diſci, ac ſub amplificatione 97.

d. 17. Decembr. veſp. hor. 6¼. Coelum a d. 30. Novembr. hucusque continuo nubilum et pluvioſum, paucas ante horas purum evaſerat, ita, ut repraeſentatio Tubi ſub amplifica-

ficatione tum 52., tum 97, admodum diſtincta concederetur. Latitudinem brachiorum inter $\frac{1}{10}$ et $\frac{1}{11}$ diametri diſci; longitudinem ipſius $A = \frac{7}{8}$ radii, ipſius $B =$ radio diſci iudicabam. Lumen brachiorum fortius erat ac d. 30. Novembr., attamen debilius adhuc lumine diſci.

d. 23. Decembr. veſp. hor. 6. coelo puro poſt copioſam pluviam, ſub amplificatione 97. brachia inter ſe longitudine, nondum tamen conſueta, fere aequalia inveni, quanquam, reiterata obſervatione, occidentale *A* nonnihil brevius aeſtimarem ipſo *B*; illud = radio diſci, hoc pauxillum maius. Latitudo brachiorum ad $\frac{1}{10}$ diametri diſci aſcendebat. Lumen iſtorum fere accedebat ad lumen diſci ♄ni, nonnihil tamen adhuc debilius erat. Hodie quoque faſciam nigreſcentem, ad brachiorum longitudinem parallele per diſcum ♄ni protentam, et ſuperiori brachiorum extremitati contiguam, diſtinguere licuit, cuius veſtigia quidem in praecedentibus obſervationibus, aſt valde incerta, deprehenderam. Sic quoque umbram a corpore Saturni in brachium orientale *B* proiectam cognoſcere licuit.

d. 5. Ianuar. an. 1761. veſp. hor. 6. coelo ad aliquot horas depurato ſub amplificatione 97. brachia nondum conſuetae longitudinis vidi, attamen *B* nonnihil maius radio, *A* = radio diſci. Latitudo brachiorum inter $\frac{1}{9}$ et $\frac{1}{10}$ diametri diſci referri debuit. Lumen brachiorum albeſcens valde accedebat ad lumen diſci ♄ni. Faſcia nigreſcens bene; umbra vero a corpore ♄ni in *B* proiecta non ſatis diſtincte cerni potuit. Paulo poſt coelum denuo vaporoſum factum eſt.

d. 15. Ianuar. veſp. hor. 6. Tempeſtas frigida nunc regnabat, ſiquidem mane hor. 8¾. thermometrum mercuriale ex diviſione *de l' Isle* 170. grad. indicabat. Coelum veſperi quidem ſerenum videbatur, aſt valde vaporoſum erat, ita, ut ſub amplificatione 97. Saturnus ſubinde coloratus, et brachia non bene terminata apparerent, acumine eorum inde in figuram globoſam exeunte. Brachium *B* conſuetae erat longitudinis, in ratione nempe ad radium diſci, ut 5 : 4; occidentale vero *A* pauxillum minus ipſo *B*. Latitudo brachio-

chio-

chiorum vel $= \frac{1}{8}$ vel inter $\frac{1}{8}$ et $\frac{1}{9}$ diametri diſci iudicabatur. Lumen eorum pauxillum debilius lumine diſci. Veſtigia quidem faſciae nigreſcentis, ſed non ſatis diſtincta, conſpiciebantur; de umbra vero a corpore ♄ni in *B* proiecta nihil certi colligere licuit.

d. 22. Ianuar. 1761. veſp. hor. 6. coelum ſerenum nebula verſus horizontem occupabat, quae tamen nonnunquam repraeſentationem Tubi ſub amplificatione 97. admodum diſtinctam conceſſit. Brachia prorſus conſuetae erant longitudinis, eorumque lumen aequale lumini diſci. Faſcia nigreſcens bene conſpici potuit; aſt de umbra a corpore ♄ni in brachium *B* proiecta nullum ſenſibile veſtigium.

Saturnus nunc veſperi valde ad horizontem occiduum appropinquabat, quae circumſtantia, pariter ac tempeſtas nubila ſubſequens, eiusmodi obſervationibus finem conſtituit.

Si iam obſervationes hactenus enumeratas cum circumſtantiis, quas praedictio patefecit, compares; facile concedes, eventum praedictioni bene reſpondiſſe. Licet enim obſervationes d. 13. et 18. Novembr. ordinem in decremento latitudinis brachiorum interrumpere videantur; manifeſto tamen haec apparentia impedimento externo, coelo nempe nimis vaporoſo, adſcribi debet. Sic quoque confirmatum invenies, quod §. 50. *Commentat. meae* de exactiori determinatione elevationis terrae ſuper plano annuli pro *termino ſufficientis elevationis oculi ſuper plano annuli* conſtituendo in medium protuli. Cum enim elevatio terrae d. 21. Novembr. $= 0^{\circ}. 35'.$, et d. 30. Novembr. $= 0^{\circ}. 37'.$ deprehenſa fuerit, et tunc temporis omnes obſervationum circumſtantiae docerent, brachia diſparitioni admodum propinqua fuiſſe; facile, ut ibi, adducor ut ſtatuam: a vero parum vel nihil aberrari, ſi elevatio terrae ſuper plano annuli $= 30.$ minutis primis gradus aſſumatur pro *termino ſufficientis elevationis oculi;* hicque ad teleſcopium reſtringatur, quod ſub ſufficienti luminis copia obiectum 100. vicibus circiter ſecundum diametrum augere ſolet.

 Atten-

Digitized by Google

Attentionem tandem meretur ſingularis illa apparentia, qua brachium occidentale longitudine ſemper brevius viſum eſt brachio orientali, in vicina ad terminum ſufficientis elevationis oculi; cum e contrario in viciſſitudine ſimilium phaenomenorum verſus finem Novembr. an. 1743. horis matutinis obvia brachium occidentale longius ſemper apparuerit brachio orientali (v. §. 50. *Commentat.*). Ut huius rei commoda diſquiſitio poſſit inſtitui; cogitetur in plano annuli per centrum Saturni recta ad ſectionem planorum annuli et Eclipticae parallela, quae figuram annuli revera circularem (ſepoſitis reliquis conditionibus) in duos ſemicirculos ſeparabit, quorum alter reſpectu iſtius rectae, ceu termini relationis, verſus borealem coeli plagam, alter verſus auſtralem dirigitur. Iſtum brevitatis cauſa *ſemicirculum borealem*, hunc *auſtralem* vocare licebit. Si igitur rem in ſenſu nonnihil latiori accipiamus, ſemicirculus auſtralis iſte fuit, qui ſpeciem brachii occidentalis ſub finem Novembris an. 1743. ante Solis ortum oculo exhibuit, ſemicirculo boreali orientale brachium referente. Sub finem Novembris an. 1760. e contrario ſemicirculus borealis faciem brachii occidentalis poſt Solis occaſum repraeſentavit, ſemicirculo auſtrali orientale brachium indicante. His ita conſtitutis, in obſervatione an. 1743. ſemicirculus auſtralis effecit brachium longius, borealis brachium brevius; et in obſervatione an. 1760. etiam ſemicirculus auſtralis produxit brachium longius, borealis brevius. An non cauſa noſtri phaenomeni in ipſa conſtitutione ſuperficiei annuli, Soli et terrae tunc expoſitae, quaerenda eſt, ita, ut pars eius a ſemicirculo auſtrali terminata aliam habeat conſtitutionem, ac pars a boreali ſemicirculo circumſcripta? Annon conſtans haec, et per tantum temporis intervallum invariata, apparentia coniecturam *Caſſini* (conf. Memoir. de l'Ac. des Sc. de Paris 1716. ed. Batav. p. 225.) confirmare videtur, quod omnes ſuperficiei annularis partes non ſint in eodem plano? An non eadem conſtans apparentia ad certam annuli portionem adſtricta annulo motum vertiginis denegare valet, quippe quo conceſſo

ceſſo ſubinde fieri potuiſſet, ut ſemicirculus auſtralis brachium longius efficiens in borealem regionem translatus ibi quoque brachium longius (contra phaenomena) produxiſſet? Annon tandem hypotheſi *Caſſini* (conf. Memoir. de l'Ac. des Sc. de Paris 1715. ed. Batav. p. 62.) omnis veriſimilitudo, ex eadem cauſa, detrahitur, qua iſte annulum concipit inſtar congeriei plurium Satellitum ſibi valde propinquorum, et circa corpus Saturni revolventium? Sed haec ſufficere poſſunt.

Des teutſchen Reichs Münz-*Archiv*, beſtehend in einer Sammlung Kayſerl. und Reichs-Münz-Geſetze, Ordnungen, Privilegien über das Münz-Recht, Kayſerl. Reſcripten, Reichs-Gutachten, Commißions-Decreten, Münz-Probations-Reichs-und Crayß-Tags-Abſchiede, auch einzelner Chur-und Fürſten unter ſich und mit den vornehmſten Reichs-Städten errichteter Münz-Vereinigungen, Edicten, Valvations-Tabellen, nebſt zuverläßigen Nachrichten vom teutſchen Münzweſen überhaupt in ältern, mitlern und neuern Zeiten, aus Archiven und *Original Actis publicis* in chronologiſcher Ordnung dem *Publico* zum beſten zuſammen getragen, und mit einem *Real-Indice* verſehen von Joh. Chriſtoph Hirſch, Fürſtl. Brandenburg-Onolzbachiſchen Hof-Cammer-und Landſchafts- auch Münz-*Inſpectore*. Siebender Theil.

Nürnberg, gedruckt und zu finden bey Adam Jonathan Felßeckers ſel. Erben, *A.* 1761. 6. *Alph.* 3. *plagg. in fol.*

Sicut, qui parentes amiſit ſuos, quanquam eos redituros nunquam bene ſciat, commoratur tamen libenter in illis locis, ubi ſepulti iacent, ut aliquam tamen memoriolam eorum in ſe refricet, cum alia ratione non poſſit: ita nos, cum A. A. A. F. F. omnis iuſtitia et aequitas olim interciſa ſit, quoniam nihil in rerum natura de iis reſiduum cernimus, e veteribus monumentis, quod bene vertat, ſaltem beatam memoriam excitare ſtudemus. Itaque eſt, cur *Hirſchio* no-

Digitized by Google

ſtro magnas gratias habeamus, qui nos cum reſtituere in priſcam felicitatem non poſſet, effecit tamen id, quod ſolum poterat, ut dum eius commentarios legeremus, translocati nobis in ditiora tempora videremur, ſaltem tunc felices, cum inter tam ſalutaria maiorum inſtituta quaſi verſaremur. Quo vero Lectores noſtri, quibus illa ſcire intereſt, cognoſcant, quid hoc libro contineatur boni, ſi fortaſſe eos inde deſiderium aliquod propius pernoſcendi libri capiat, age, pro more noſtro, unum atque alterum indicemus. Atque ſtatim in praefatione de noſtrorum temporum calamitate, propter peſſimam monetam, varia accurate monet, additque qua ratione mutari in melius res adeo depravata inter Germanos noſtros poſſet. Fert itaque quaſi conditiones circiter quindecim, quibus coniunctis emendatio aliqua rerum fieri poſſet, idque ita, ut appareat auctorem multos annos in harum rerum peritia conſumſiſſe. Primis ſtatim paginis obſervat e bonis libris, multisque id monumentis antiquis illuſtrat, facultatem nummorum cudendorum Francicos et Germanos Reges ſaepiuſcule cum monaſteriis et clero huius vel illius civitatis communicaſſe, nec minus ducibus, comitibus ſingulisque urbibus, quam in rem antiqua diplomata affert. Habet non minus varias tabulas, quibus plures principes inter ſe de nummis ſic vel aliter cudendis conſenſere. Edicta praeterea Caeſarum permulta, quae ratio in valore nummorum conſtituendo, in argento auroque feriundo, et ſi quid aliud eo pertineat, ſervanda ſit. Antiqua praeterea conſilia, de emendanda illa ratione et plura. Antiquisſima e ſaeculo nono ſunt, recentisſima e noſtro. Egregia praeterea edicta, quomodo nummorum dignitas et valor cognoſci et inter ſe contendi debeat, et a ſingulis regionibus Germaniae, et a ſingulis urbibus lata. Atque haec adeo ſunt, quae in hoc libro poſſunt inveniri. Didicimus autem ex hoc libro praecipue id, ab omni tempore levium monetarum maximum numerum fuiſſe, quibus occurſum eſt, quacunque tandem ratione ullo modo poſſet. Cavent non minus ei rei, quae copiae argentariae quam maxime noxia ſemper fuit, quod tot res ex argento

gento auroque minutim conciſo et bracteato fiunt; quod efficit, ut facile detritum in nihilum redigatur, ac deinde inopia argenti augeatur in maius. Sunt itaque varia, quae in eam rem artificibus praecipiunt, ne nimium argenti aurique ſic inſumant. Sed ne lectorem ſine ſymbola aliqua dimittamus, age ea quae ordine XC. XCI. XCII. ſunt, excerpamus. Pertinent vero ad urbem Argentoratenſem. Res ab 1573. et 1574. accidit. Edicit itaque ei urbi Rom. imperator Maximil. II. ut caveat adverſus ea facere, quae ab imperio in re nummaria fuerint conſtituta. Se enim accepiſſe, eam urbem nummos prohibitos apud ſe receptos valere iubere, nummis receptis ab imperio maius ſolito pretium conſtituere, ſuae utilitatis ac lucri cauſſa. Quam rem ut vehementer ſibi noxiam, queſtas eſſe proximas Argentorato civitates; ſeque adeo velle, ut omnia ſalva in priſtino ordine maneant. Abrogari itaque protinus debere adulterinam monetam, et aut exterminandam urbe, aut conflandam, ne tam pravi res exempli etiam ad ceteras civitates, veluti iam factum ſit, ſerpat; aut, ſi denuo hac de re Argentoratenſes accuſentur, ſecuturas eſſe certiſſime poenas, quas exacturae ſint, imperatoria auctoritate, ceterae aliquae e Germanicis terris, et cives Argentoratenſes a mercatibus ceterarum urbium excluſos omnino fore. Haec itaque primum edictum habet: Secundum iubet eos qui tunc principes inter Rhenanae ditionis ſtatus eſſent, ut attenderent, an ab Argentoratenſibus omnia haec ordine fierent. Sequuntur iam litterae Argentoratenſium, quibus ſe magnopere excuſant, idque non ſine ſpecie eloquentiae, quanquam ſit priſca loquendi ratio, ſed maſcula tamen et vegeta. Excuſant primum hoc, quod non ſtatim rem illam e voluntate Caeſaris exegerint. Fuiſſe enim aliqua ſummi momenti, quae etiam nominatim addunt, quibus fuerint impediti, quo minus ſtatim rem ſuſciperent. Scire itaque ſe optime, quid de nummis, ab his annis conſtitutum et actum a Caeſare et Imperio ſit. Se itaque minime eos eſſe, qui adulterinam mercem foveant, quin ſe ſtatim, cum a legatis ſuis accepiſ-

 ſent,

ſem quid actum ſuperioribus annis in conventibus eſſet, morem gerere voluiſſe. Et quanquam ſua urbs ita ſita ſit, ut plurimum commercii cum exteris nationibus, utpote finitimo intercedat, pauperioresque multi cives ſint, quibus mutatio illa plurimum noceat, ſe tamen imperatoris voluntati morem geſſiſſe, malos nummos cum magno aerarii diſpendio conquiſiſſe, et meliores pro illis dediſſe ferentibus. Severitate etiam magna ſe adverſus adulteratores pecuniae uti, atque id omnibus magiſtratibus ſuis iniunxiſſe, ut facerent. Se itaque ſperare fore, ut haec Caeſar conſiderans, ſuſpicione omni pervicaciae et perverſitatis liberet Argentoratenſem urbem. Sed omnino deleri malos nummos nunc non poſſe. Eſſe enim apud ſe gravem omnium rerum hoc anno annonam, ſed neque cum finitimis deinde facile contrahi poſſe, ſi uno impetu quaſi omnes pravae pecuniae abrogarentur. Excuſatos ſe itaque ſic Caeſari eſſe velle, ſi minus exacte imperata facere poſſint, ſe tamen, quantum ulla ratione fieri poſſit, id procuraturos. Ita ſe Caeſari commendant. Attulimus hoc ſpeciminis cauſſa, placebant enim ea ſcripta, et ratio dicendi, quanquam erat horridula, et quae defatigare lectorem facile poſſet, tamen inerat gravitas antiqua, et ratio eloquentiae non mala. Haec quidem hactenus dicta ſunto. Iam vero ut noſtri lectores expreſſam noſtram paucis verbis ſententiam de hoc libro uno quaſi intuitu contemplari queant, ita putamus. Omnes tales libros, qui colligant ſingula quaedam ſcripta, non poſſe omnibus placere, primum iis, qui fortaſſe ab illo genere rerum quas liber complectitur, ſunt alieniores, quod hic ut arbitramur facile poterit accedere. Nam tota illa ars, quae hiſtoriam nummorum complectitur, non omnium ingeniorum eſt. Deinde vero etiam non poſſunt tam varii generis res, eadem unumquemque ſuavitate afficere. Sed ſi conſideremus primum, conſilium auctoris, quod ſane optimum eſt, deinde diligentiam in exſequendo, quarum rerum optimus teſtis ipſe ille liber eſt, non poſſumus non Hirſchianum opus vehementer laudare, quod optimos hiſtoriae fontes,

tes, nempe diplomata complectitur, et poſteritati transmittit. Itaque ſi quis rerum germanicarum peritus perlegere hoc opus voluerit, magnas gratias auctori habebit, qui ſuo labore effecit, ut optimarum obſervationum ſeges e ſuo libro meti poſſit. Hactenus.

FRAGMENTA MARCHICA:

Oder Sammlung ungedruckter Urkunden und Nachrichten, zum Nutzen der Brandenburgiſchen Hiſtorie geſammlet und mit Anmerkungen herausgegeben, von Philipp Wilhelm Gercken. Fünfter Theil.

Wolfenbüttel 1760. bey Johann Chriſtoph Meißner, 11. plag. et dim. in 8vo.

In univerſum de hoc non inutili libello aliqua dicere iam ſuperſedemus, cuius noſtri iudicii rationem ſi quis cognoſcere velit, ſuperiora Actorum volumina adeat, ubi Gerckianum opus pro meritis laudatum invenerit. In ipſa praefatione nobis hoc praecipue placet, quod fontes medii aevi geographiae optime indicavit, quales eſſe debeant, et quantae ſint in ea re difficultates, optime declarat. Nos vero cum omnia non poſſemus excerpere, (quanquam enim omnia ſint utilia hoc in libello, tamen non ideo etiam ſunt omnibus;) eligamus igitur ea praecipue, quae de ceteris videantur maxime communis uſus fore. Itaque primum iam monumentum dignum memoria vehementer eſt. Nam pontifex romanus Nicolaus III. epiſtolam ad Ioannem Marchionem Brandeburgicum mittit, in qua rogat, ut Rudolphi regis donationibus et ipſe aſſentiatur, atque eas confirmet, ao. 1278. Loquitur ibi de patrimonio quod vocant Petri, praeterea de Sicilia, Corſica et Sardinia, quae omnia ſuae putat ditionis eſſe. Haec omnia a priſcis temporibus ſua fuiſſe, et donata a ſummis imperatoribus, quae omnia rata habuerit atque denuo conceſſerit Rudolphus imperator. Rogare ſe itaque ut et ipſe, pro ſua parte aſſentiatur. Totam vero rem quo Ioannes melius cognoſcat, ſe nunc aliquem

quem ſacerdotem mittere, quem etiam nominat, quo tota res tranſigi eo melius queat. Sequens autem non ita magni momenti eſt, donatur enim villa quaedam Chuten Monaſterio alicui Soltwedeliano. ao. 1282. Tertium de altari aedificato in aede Arenſeae quae eſt, agit 1283. Quartum pariter donationem complectitur, qua oppidum Sulenzée cum quinque villis, ordini S. militiae ut vocatur, ab Ottonibus duobus Marchionibus Brandeburgicis dono datur. Quinto Albertus Marchio Brandeburgicus civitatis Eberswaldae terminos, terminos agrorum et iurisdictionis ao. 1300. deſcribit. Sexto Otto et Woldemarus Marchiones Brandeb. civitatem Prentzlow a cenſu immunem declarant ſi annuas centenas Marcas argenti penſitet 1305. Septimum non magni momenti eſt, habet enim aliqua de donatione monaſterio cuidam facta. Octavo ſe nobiles qui in ditione Arneburgenſi vivunt, cum aliis aliarum ditionum Marchicarum nobilibus coniungunt. IX. X. XI. nihil habent memorabilis. Duodecimo ducis Brunſuicenſis Erneſti apocha comprehenditur, qua tria millia marcarum argenti ab oppidis Marchiae ſe accepiſſe teſtatur, antiquum debitum, profiteturque, neque ſe neque poſterorum quenquam id denuo repetiturum ab urbibus illis eſſe. XIII. XIV. XV. neque haec quicquam habent, quod poſſit in commentarios noſtros referri; decimum ſextum commemorabimus. Eſt enim ab Henrico Epiſcopo Verdenſi; indulgentiarum litteras vocant, re ita abhorrente a Chriſtiana religione, ut appellatio a latinitate omni. Habent vero haec. Soltwedelenſes cives pro pietate ſua pauperes clericos ſublevare conſtituiſſe. Cui rei cum ſoli non ſufficiant, (recte, quis enim omnes mendicos, praeſertim ex inexſatiabili iſto genere aleret?) ſe hortari omnes, ut pro facultate ſubveniant et ipſi tam ſalutari inſtituto; quod ſi fecerint per XL. dies gratiam iis a poenis, ob crimina a ſacerdotibus ſuis indictis, fore. Luneburgi 1370. Eadem de re ſequentes eiusdem epiſcopi epiſtolae agunt. XVIII. et XIX. nihil praecipui complectuntur. XX. et XXI. continet donationes ab Henrico Schu-

Schulenburgico Monaſteriis Creveſeno et Arendsſée quadragenas marcas utrivis, factas, ut pro ſe orarent, et ſacrificia pro mortui quiete facerent. Ergo hoc monachi non feciſſent, niſi pecuniam accepiſſent. Magna ſe fortaſſe in auctoritate apud Deum eſſe putabant, quod interceſſionem ſuam tanti vendidere. Omiſſis ceteris veniamus ad viceſimum ſextum: pacta coniugii nobis ſervat, inter Fridericum ducem Brunſuicenſem et Magdalenam Friderici Electoris Brandeburgi filiam inita. Habet hoc varia memoratu digna, quae cui volupe eſt, apud auctorem legat, neque enim noſtra brevitas ea ſigillatim referri permittit. Tria proxime ſequentia monumenta, pertinent ad aliqua, de quibus inter Salzwedelenſes et Wuſtrowienſes convenit. Plura porro ſunt e tabulariis Saltzwedelianis deſumta, quae ad res huius urbis pertineant. Sequitur triceſimum ſextum, quo Ioachimus Elector Academiae Francofurtanae ad Oderam ea donat, quae ante ad collegium ſacrum Nicolaitanum Stendali pertinuerant, quo ſtudiis maior felicitas eſſet. Dignum eſt quod legatur, et haud ſcimus an ex optimis totius libelli monumentis ſit. Sequitur iam narratio de Marchioniſſa Ingeburga, coniuge Ludovici Romani, Marchionis. Brevibus itaque ea, quae apud auctorem latius enarrantur, complectamur. Ludovicus ſenior pertaeſus curarum fratri imperium ſuum ao. 1351. conceſſit, Ludovico Romano. Huius Ludovici res geſtae, cum multa obſcuritate tegantur, auctor hoc ſibi negotium iniungit, ut eas dilucidius exponat. Erant tum res Marchicae valde triſtes. Namque ementitius Waldemarus ſibi vindicare Marchiam volebat, qua opportunitate principes, qui Brandeburgis iniquiores erant, uſi ſunt, ut quantum poſſent carperent, felici plerumque cum ſucceſſu. Pace tandem facta, inter conditiones pacis ceteras etiam haec fuit, ut Ludovicus Romanus filiam Alberti Megalopolitani, cum hoc enim bellum praecipue erat, uxorem duceret. Ingeburgae ei nomen fuit, quae dotem Ludovico Lentium tulit. Vidua facta eſt anno circiter ſaeculi decimi quarti ſexageſimo quarto, cum circa quinquageſimum

Digitized by Google

ei nupſiſſet. Succedebat autem Ludovico Otto frater, Caroli IV. imperatoris gener, acceperat enim eius filiam uxorem, hac lege, ut ſi ſine liberis moreretur, univerſa ditio Carolo IV. cederet. Quod pactum, cum libenter Otto retractaſſet, iniquius enim erat; coactus eſt a ſocero, ut pecuniam non exiguam acciperet, Marchia vero omnino cederet. Ingeburgam autem invenit auctor denuo nupſiſſe; dicitur enim *Comitiſſa de Holſtein.* Nupſit itaque Henrico, comiti Holſato, tempus non ſatis conſtat. Peperit vero tres in hoc coniugio filios, Gerardum, Albertum, et Henricum, et filiam, quae deinceps duci Pomeraniae collocata eſt. Henricus vero maritus, Ferreus dicitur, uſitato iis temporibus encomio, ſi quis domi belliqne ſtrenuus fuiſſet. Corollarii loco additae ſunt tabulae quaedam, quae de donationibus agunt, ab hac Ingeburga in res ſacras factis. Finem faciunt geographica quaedam, quae ad Pagos et Provincias Slavicas Marchiae Brandeburgicae pertinent, collatis inter ſe finibus, qui nunc ſunt, et qui olim fuere; e ſcriptoribus et monumentis litterarum coaevis a noſtro auctore collectis. Marchia vetus olim incolas habuit Suevos et Longobardos, poſtea ducatui Saxonico annumerabatur. Nam cum Albis tunc temporis inter Saxonas et Venedos terminaret, ea ditio limes imperii Saxonici fuit. Erant autem eo tempore terrae in pagos, *Gauen* dicebant, diviſae, qua in re illud queruntur iſtarum rerum ſtudioſi, tam exigua a nobis colligi e geographia iſtorum temporum poſſe. Nos vero, quoniam omnia transſcribi tamen non poſſunt, nomina ſaltem pagorum, quos auctor illuſtravit, hic collocabimus, ut cupidus earum rerum, quid invenire poſſit in hoc libello ſciat. Marchiae veteris pagus fuit Beleſem, ſed illud nomen varie immutatum eſt, ut quinque ſynonyma, ſono affinia habeat, quorum uniuſcuiusque idoneos auctores Gerckenius laudat. Qui ubi ſitus fuerit, etiam de hoc varia annotantur egregie. Similiter alias pagus, qui Bardengow dicitur, easdem diſtorſiones perpeſſus eſt. Nomen habere videtur a Bardorum natione, qui in Luneburgica ditione

tione habitavere. Lennegow etiam prope Marchiam veterem ſitum fuit. Affinis huic fuit Oehringicus pagus. Drevan ſequitur, quem pagum aiunt a *ſylvoſa* natura regionis nomen obtinuiſſe. Cuius incolae priſcorum Venedorum mores et linguam usque ad noſtrum fere ſaeculum ſervarunt, ſed id nunc abolitum eſt. Sed tamen et nunc aliqua ſervare e priſca conſuetudine dicuntur. Geyn, Hellanga, Aelinga pariter pagi, de quibus varia diligenter e priſcis ſcriptoribus Gerckenius collegit. Maior pagus Nordthuringow fuit, de quo plures docti viri varia, ut notum erit omnibus, annotavere, ſed non minus digna, e variis libris vetuſtis collecta, hic inveniuntur, uti etiam de alio pago, qui Mosdi ſolet appellari, aut tamen ad hunc modum. Sequuntur pagi, qui in Prignitia ſiti fuerunt. Hanc aiunt a Brizanis vetuſtis incolis nomen traxiſſe, ſed ipſum nomen adeo antiquum non eſt. Antiquiſſimi Venedorum, qui eam inhabitavere, Linones et Wilci fuere. Illius tres pagos ſervavit nobis auctor, Ninaggam, Daſſiam et Metelicum, cuius ad latus Ruppina ſita fuit. Habitarunt eam Wilci, qui inter Slavicos populos fuere. Marchia, quam mediam ſolent dicere, Suevos Semnonas antiquiſſimos incolas habuit, ſicut id Ptolemaeo conſtat, quibus Venedi ſucceſſere. Reliquos locos Wilini, Rhedarii, Stoderani tenuere, ſed ſede interdum inſtabili, Lebuſii etiam et Luſici. Tum de Luſizi et Selpoli, ditionibus, varia accurate monentur. Spreva nomen a flumine Spree habet, ſita enim ad hoc fuit. Magnus etiam pagus Marchiae mediae Ploni, aut ad hunc fere modum dictus. Zucha, Hevellin, Riaciani pariter pagi ſunt, ad hanc Marchiam pertinentes. Sunt tres praeterea alii pagi, Liezizi Zamzizi et Morazani. Marchia Uckera, ut appellatur, a Wilcis culta eſt, qui etiam Redarii et Uchri appellari ſolent. Marchia nova Gothos et Venedos incolas habuit. Dubii Pagi ſunt Mintga et Oſterwalda, qui ubi ſiti fuerint, nihil certi poteſt afferri.

Haec quidem oculis Lectoris benevoli ſiſtimus, et induſtriam auctoris merito commendamus. Nam ſi quis id

praeſtat, quod ſe praeſtare velle profitetur, viresque ad eam rem idoneas et habet, et declarat, uti Gerckenius noſter in Geographia et Annalibus illius aetatis declaravit, is dignus omni laude eſt.

VITA GUSTAVI ADOLPHI, MAGNI, REGIS Sueciae, Anglice conſcripta a WALTHERO HARTIO, quam verſam in linguam Theodiſcam a GEORG. HENR. MARTINI, LL. AA. M., praefatione et animadverſionibus additis curavit IO. GOTTL. BOEHMIUS, Hiſtoriographus Regius atque Hiſt. in Acad. Lipſ. Prof. P. Ord. TOMUS I. et II.

Lipſiae, apud Dykium, 1760. et 1761. Alph. 8. plag. 4. cum fig. aen. in 4to.

In comparatione Regis Suecici cum Polonico multum ſalis, ſed nec minus libertatis ineſt. Sigismundo non defuiſſe virtutes, multi agnoverunt, et paullo aequiores ipſi erunt, qui diſſidii cauſſam fuiſſe reputaverint iacturam regni, quamvis culpa amiſſi, exemplo tamen paullum inuſitatiore, nondum tentatis lenioribus remediis, ad aliam familiam translati. Inde Polonorum in comitiis contra regem ſuum expoſtulationes et tergiverſationes, in quibus artes amicorum Guſtavi ipſe Hartius non diffitetur, explicantur. Ubi bene Boehmius de Ioanne Alberto, tertio filiorum Sigismundi, perpetuo Warmienſis epiſcopatus adminiſtratore, auctorem in viam revocavit. Circa haec tempora mortem Iacobi I. R. Angl. referens, ipſe deſcriptionem ingenii et morum eius callide recuſans, *Nani* et *Barrii* iudicia interponit, et monitum ſucceſſori Carolo de cauſſa Palatini Friderici non negligenda datum ex *Spanhemio* depromit. Quae de decreto comitiorum Sueciae A. cIↄIↄCXXV. memorantur ex *Loccenio* potiſſimum, ſicuti et ſequentia de fine induciarum, mutua diſceptatione et motis rurſus a Guſtavo propere armis, repetita ſunt. Ubi poſt alia monita praeclaram Boehmii, de Ioan-

Ioanne Salvio, obſervationem offendimus, ut et de nomine Semegalliae notationem. In transcurſu illud etiam adnotamus, Hartium Curonis, qui non alia, quam Lettica, lingua antiquitus utuntur, ex vulgari errore perperam dialectum linguae Slavicae tribuere, quum nihil reperiri poſſit abhorrentius. In proelii Valhovenſis commemoratione auctor quaedam ex arte militari obſervat, de pedite lanceis contra equitatum opportune armato. Primum hoc perſpexiſſe Guſtavum dum ſtatuit, licet non abſimilis inventi Mansfeldiani mentionem faciat, forte plures adſentientes non habebit, qui antiquiores hiſtorias legerint. Ubi de rurſus irritis tentatae pacis conſiliis aliorum narrata auctor propoſuit, de origine et rep. Caſachorum ex occaſione quaedam repetere voluit, praeclare quaedam correxit Boehmius: nos vero, quae compertiora ſint, adferre poſſumus. Coſachi veri et antiqui, Slavorum populus, iam *Conſtantino Porphyrogennetae* bene noti fuerant, qui ſupra Papagiam poſuit. Tantum abeſt, ut a voce Polonica *coza*, h. e. capra dicti fuerint: quod ex mera adluſione obſcena uſurpatum, ſeu detortum convitium in Saporogenſes, recenti aevo fuit: quum ipſi veri et genuini Caſachi ſuo hoc vocabulo non niſi ad deſignandam nobilitatem liberam et ingenuam, ſicuti Poloni Schlaechtiziorum adpellatione, utantur. Significat vero vocabulum *ſenes canos* hodieque in lingua Turcica. Vetuſtiores autem Caſachi, non convenarum multitudo, ſed ſui corporis gens, origine Slavica haud ſecius, quam Poloni, et Ruſſi, et Bohemi, et Croatae; vel Conſtantino Imp. teſte, quod et ſermo et inſtituta inſuper evincunt. Hi, ad Boryſthenem captis ſedibus, ſui primum iuris, variante inter finitimos fortuna, acceſſio plerumque victoriae, poſtremum ex dulcedine praedae potentiorum adſeclae, in invidiam ex levitate incurrere, ut aliquoties Poloniae tutela electa, et cito rurſus mutata fide, audaciam tandem libertatis vindicandae, aut ſumendorum dominorum induerent. Inde, quia tanquam in formam provinciae redacti aliquamdiu *Vcrainenſes* ſolum dicti erant, poſtremum, repetita avita adpel-

Digitized by Google

latione, Caſachos tam ſeſe, quam ſocios et foederatos omnes, vocari voluere. Quia autem ex Tartaris, Turcis, Polonis, Moldavis, Vlachis, et Germanis demum variis fatis profugi ipſis acceſſerant, his ob diſcrepantes mores quietis in medio impatientibus regio ſterilis, et ſolis commerciis apta, Boryſthenis ad Cataractas, olim pulſis *Pozinegis*, (Pazinacitas fere Graeci vocant,) quorum reliquiae ipſo nomine ſuperſunt *Boſnaci*, ſeu *Boznienſes*, ore Turcorum enuntiati, cum proprii regiminis forma, diſciplina prorſus militari, conceſſa, cuſtodiendi ad limitis inſtar. Ab his cataractis, Slavice *Porogis*, hodieque *Saporogi*, i. e. trans cataractas colentes, iidem *Haydamachi*. In hos ſolos convenit deſcriptio, ut ſint colluvies advenarum. Nos haec alio tempore uberius et neceſſario cum adparatu proponemus. Ceterum recentiores ad rebelliones Caſachorum noſcendas facit etiam libellus rariſſimus, quem poſſidemus, *Aaronis Bliverniztii Diſſertatio iuridico politica de Coſacis*, *anno*, *quo*

TVrba CoſaCCoruM Contra InCLyta Regna PoLona.
En fVrIt atqVe rVit, VeXat et ora, feroX.

Leſnae Pol. Typis Wigandi Funccii. Odia Polonica nihil apertius prodiderit, quam quod de totius gentis excidio deliberatum fuiſſe declamator indicat. — De Buckinghami ducis miro ingenio digniſſima ſunt poſterorum memoria, quae Hartius tradit. Ubi idem redintegratum in Poruſſia bellum narrat, varie et docte a Boehmio corrigitur, ut de ſuſpicione in Brandenburgicum, de pacto huius a partibus abſtinendi, de ſinus marini prope Pillaviam ambitu, de Poruſſia, non ab origine, ſed ab anno demum Chr. cIↃCCXXX., ab equitibus Teutonicis poſſeſſa, de Elbingae praeſidio, de clementia poſtulatorum Guſtavi in deditione, de occupatione Mariaeburgi, de agitata cum Gedanenſibus, ſed diſcuſſa rurſus pactione, de Sigismundi ad Graudentium occurrentis copiis, de Turriano comite iuniore, de tentata denuo pacis reconciliatione, ea adnotantur, quae non acre minus iudicium in hiſtoria, quam optimorum eius ſubſidiorum cognitionem adprobent. De nata eo tempore Chriſtina, et ſucceſſioni

in

Digitized by Google

in cunis iam ſollemni ordinum iureiurando deſtinata, ut omnes Sigismundi ſpes iam inde abrumperentur, liberius paullo iudicavit Hartius, et Boehmius antitheta auctoris plus ex ſtudio artis, quam veri, habere, recte agnoſcit, qui idem de ordinum decretis, et educatione eius praeclare quaedam admonet. Domi hinc quae Guſtavus egerit, auctor narrat, duos eius conatus de exſulibus, ob religionem qui pellerentur, in Suecia recipiendis, et de coloniis in Americam deducendis, ut iure laudat, ita utrique non reſpondiſſe eventum fatetur. In iis, quae de progreſſibus Suecorum in Poruſſia ſequuntur, multa rurſus egregia Boehmius adiecit. Qualia ſunt, de Streifii et Teufelii deditione; de Keſemarchia, de vulnere Guſtavi prope caput Viſtulae, quod vocant, accepto; de eiusdem in ordinem periſcelidis cooptatione; de Wurmbrandio, inventore tormentorum coriaceorum; de Grebino; de pugna navali prope Gedanum; de irrita Belgarum pacificatione; de Ferdinandi Imp. conſilio et pactione cum Sigismundo, de mandati Wallenſteinio imperii in mari Baltico ratione; de Maſovia provincia, quam a Scheffero deceptus Hartius pro urbe habuit, de Electoris Brandeburgici conatu conciliationis; de Turriano patre; et nonnulla alia, in quibus paſſim reconditiora monumenta laudantur. Tandem ad ea accedit auctor, quae ſummum operi quam curioſo et utili, tam per partes etiam expolito, quamvis non aequaliter, pretium inter nos conſtituunt, quando cauſſas et occaſionem belli Germanici, a Guſtavo ſuſcepti, aperire incipit. Duo maximi momenti ad hunc plane impellendum, ut ſua arma diſſidiis noſtris interponeret, uno tempore accidiſſe ſtatuit, obſidionem Stralſundae, et conventum, paci pangendae Lubecae inſtitutum. Secutus quidem eſt ipſam Guſtavi profeſſionem, an praetextum? Sed, qui diſcernere cauſſas invitantes, et iuris ſpecie quaeſitas, norunt, forte longe alia ſubdidiſſe facem oleo novo, in late iam graſſans incendium effuſo, haud dubitaverint. Ipſe aliquoties iam ſupra ingenio et aetate fervidiorem regem irritatum, ob favorem Ferdinandi Poloniae

prae-

praeſtitum non diſſimulavit. Et ſane quis Auſtriae iuſte ſucceſeat, ſi Poloniae, ob communis hoſtis Turci metum, rationem eſſe habendam dixerit. Idem Hartius alibi dubitat, num ſola religionis cura ad arma incitaverit. Quidquid ſit, Stralſundae tuendae titulus ius dare ad arbitria in Germania interponenda non poterat, et negata legatorum Lubecae admiſſio utut offenſioni iuſtae locum praebuerit, bellum tamen aegre forte excuſaverit. De rebus vero Stralſundenſibus plura ſupplenda et emendanda quum bene Boehmius e *Khevenhülleri* annalibus obſervet, nos etiam lectoribus, qui his forte careant, *Meterani* hiſtoriam continuatam l. XLV. commendamus. Egregia quoque huius eſt adnotatio de ſoluta obſidione, quamvis nominis ſignum ab operis omiſſum ſit. Nec minoris momenti ſunt, quae circa conventum Lubecenſem idem adiecit. Quae inde ſequitur ſatis acris Ferdinandi II. reprehenſio, ſummatim ſaltem et oratorie concipitur, ubi quisque cum notatione perſonarum, locorum, atque temporum, paullo digniora hiſtorici officio exſpectaſſet. Nemo iniquius cum religionis ex Auguſtana formula inſtitutae cultoribus actum fuiſſe negabit; ſed quis laudare potuiſſet Bohemorum et Friderici Palatini deſtinata, quibus exacerbandis animis faces ſubditae fuerant. Vere autem et perſpicaciter lectores Boehmius monet de quibusdam ipſos inter Romanis ſacris addictos, qui edictum reſtitutionis non improbaverant tantum, ſed ſatis libere Imperatorem etiam dehortati fuerant. De actis Auguſtae Vindel. optimum eſt indicium Boehmianum, ubi tamen pro errato operarum legendum: *ſ. in des Hrn. von Stetten Geſch. der F. R. Stadt Augsburg Th. II. Cap. I.* Iure Hartius Io. Georgii I. Saxonis ſollicitudinem hic praedicat, qui tamen alibi parum aequus tanto principi eſt. Acutae ſunt coniecturae Hartianae de cauſſis, ob quas Wallenſteinius de ſeveritate erga Magdeburgenſes repente remiſerit, quaſi aut Guſtavo indignationis occaſionem, aut terris Mecklenburgicis propinqui belli materiem praebere veritus, ſponte in aliud mutatus fuerit. Nos credere non poenitet, ea arte uſum, qua oſten-

oſtentatis durioribus clementiam praeferendo voluntates paſſim colligeret, et imperatorem paullatim nec opinantem ab exſecutione edicti de bonorum ſacrorum reſtitutione veluti per neceſſitatis excuſationem deduceret. Paullo ingratius haud paucis lectorum fore putamus abruptum hoc, quo Hartius, has Germaniae res linquens, in Poloniam tam cito revolat, ut reliquias iſtius belli narret. Novimus hunc recentiorum Gallorum morem: ſed quibus intelligentibus is valde probari potuit? Aliter certe, et longe meliore exemplo veteres, apud quos alio tranſeundi opportunitas ex intervallis temporum, aut aliis propoſiti rationibus ſine difficultate naſcitur. Sed apud Hartium aliquot eventus, ex feſtinatione omiſſos, ſcite adnotavit Boehmius, cui et in reliquis utiliſſimas notitias tam rerum, quam librorum periti lectores debent, unde rectius iudicare liceat. Quam praeter meritum etiam in plerisque nimium fidei *Sirotii*, varia ex rumoribus narrantis, auctor tribuerit, percommode docemur. Ad res tandem Germaniae perſequendas redit Hartius, ubi more ſuo rationum noſtrarum parum gnarus Io. Georgium, integerrimum reip. tunc vindicem, indecore et mira levitate carpit, tanquam Auſtriae et perfidis adminiſtris obnoxium. Sed Britones ignoſcant nobis, longe aliter ſtatuentibus, ut etiam Germaniae reſtitui tranquillitatem huius conſiliis potuiſſe arbitremur, niſi turbarum auctores varia contra moliti fuiſſent, et Sueciae poſtremum arma, a Richelio callide in nos advocata, pacem orbi excuſſiſſent. Boehmius certe breviter, ſed vere quaedam, ad tuendam optimi principis famam monuit; et quanta ex ipſis actis publicis, quae manent, addi poſſent? Nec iuſtiorem cenſuram Chriſtiani IV. R. Dan. ob pacem Lubecae factam exiſtimabunt, qui cauſſas, ab *Holbergio* proditas, ſuis ponderibus examinaverint. Ubi Guſtavi deliberationes de bello in Germaniam transferendo exponuntur, quaedam aut non legiſſe, aut diſſimulaſſe videtur Hartius, quum neque tum defuerint, qui callida regis deſtinata improbarent, et hodieque non deſint, qui haud alia ex initio fata Suecos urgentia computare ſo-

Digitized by Google

leant, quoties ſuos ſenſus aperire audent. Vertit ſane ſalutarem ad exitum dei cura hominum acta; ſed nemo praeſtiterit, non haud paullo plus profici potuiſſe, ſi oſtentatis potius aliquantisper, quam motis armis, et conſociatis cum meliore ordinum Germaniae parte conſiliis, reducendae pacis rationes tractatae fuiſſent. Unde etiam miramur, mentionem nullam ullibi eſſe factam conciliationis inter evangelicos et catholicos, quos vocant, intra annum in comitiis Ratiſponae agitatae; quam ſero coeptam, aucto iam et adulto bello armis exterorum, ſucceſſus deſtituit; qui, leniorihus remediis adhibitis, vix deeſſe potuiſſet. Coniiciuntur autem hunc in locum complura, quae paullo ante, quum res Stralſundenſes expoſitae ſunt, narranda fuiſſent, ne lectorum meditatio confunderetur: unde multo rectius a *Puffendorfio* petentur, quem, uti nec *Chemnitium*, hic conſultum fuiſſe, praeclare Boehmius evicit, qui et alia animadverſione digna proxime docuit. Digreſſio deinceps bene longa de progreſſibus revocatorum ad Chriſti inſtituta apud nos ſacrorum fit, in qua non deeſt, quod noſtri, a Calvini et adſeclarum rationibus abhorrentes, aegre admiſerint, cauſſae etiam religionis et reip. nimis temere in unum confunduntur, et plurima omittuntur, quae de turbarum publicarum auctoribus, nullum in doctrina Lutheri et conſortium nactis praeſidium, adferenda fuiſſent. Inſunt tamen et multa egregia, quae a ſcriptore iſtarum in religione partium vix exſpectaſſes, et plura Boehmius ſuppeditat, quibus informetur iudicium. Digniſſima fide ſunt, quae in adnotatione Hartius profert de Caroli V. erga noſtram doctrinam ſenſu, quamvis multis vulgi criminationibus, et illa praeſertim de adfectata monarchia univerſali, elevare conetur. Poſſemus adferre nondum publicata quaedam, ſi hic locus ea careret, quibus hoc probaretur, et ipſe Lutherus interdum haud aliud falſus erat. Unum praeterire haud poſſumus, quod profeſſor hiſtoriarum iſtius aevi in Academiae Vitebergenſis matricula ſua manu adnotavit. Ferdinandum in comitus Auguſtanis A. C. cIↃ IↃ LV. poſtquam diu fruſtra

circa

circa reſervatum, quod vocant, ècclesiaſticum conciliare animos tentaſſet, et varia utrique parti concordiae cauſſa propoſuiſſet, poſtremum quosdam noſtrorum clam arceſſitos monuiſſe: *fuiſſe hanc conditionem ab adverſariis ſcripto ſuppeditatam, et tam pertinaciter urgeri, ut metus ſit, comitia citius diſſolutum, quam de illa quidquam remiſſum, iri. Se multum operae inſumſiſſe irritum, quem, reperta nunc nova ſecuritatis via, ſi audire velint, rem ſine ipſorum periculo confici poſſe. Se enim tabulis adiecturum, eſſe hoc ex plenitudine poteſtatis ſuae inſtrumento inſertum;* (hanc enim deſignationem antea abfuiſſe idem auctor teſtatur,) *proinde ipſis proteſtationis poteſtatem fore, qua perinde ſua iura ſervent, atque olim ſacrorum libertatem ſervaverint. Hinc tacito pacto adſenſos noſtros conſtitutioni de pace religionis, ſic omnino conceptae, ſubſcripſiſſe.* Nihil legimus, (legimus autem omnia, qnae de iſto negotio publicata ſunt) quod maiorem veri ſpeciem habeat. Et in univerſum iſta adnotata, horum annorum quanti iudicii, tantae eruditionis ſunt, oſtenduntque virum reip. peritiſſimum, et opera procerum varias notitias interiores nactum. Nam is ipſe quoque auctor eſt, eadem in matricula, totidem verbis, ſua manu ſignatis, libelli de bello Gothico, apud *Tenzel.* Suppl. II. ad Sagitt. Hiſt. Goth. p. 814., quem P. D. Marius Languetum temere perſuadere voluit; cui adſeverationi tamen multa alia etiam vel ſic obſtarent. Ceterum Boehmianis in obſervatis, quamvis breviſſimis, hac etiam in particula operis copiam optimae frugis colligent, quos lectio optimorum ſcriptorum delectabit. Ceterum, quod Hartius de Henrico IV. R. Franc. tanquam ex memoriis nondum publicatis ſe proferre putat, mirum videbitur omnibus, qui vitam eius a *Perefixio* ſcriptam legerint. De turbis Bohemicis pauciſſimis verſibus ieiunúm aliquid et mancum adpoſitum, quum infinita ad arguendam praepoſteram ambitionem novi petitoris memorari meruiſſent, pluribus exprimet;

Dic aliquem, ſodes! dic Quinctiliane colorem!

Melius ſapuerat Io. Georgius I., quamvis Hartio parum probetur. De reſtitutionis edicto, erratorum Ferdinandi II.

omnium abnormiſſimo, dici exquiſitiora utique potuiſſent. De potentia Auſtriaca nimia praedicat Hartius, qui Hiſpaniam, agnatione et foedere ſaltem coniunctam, inter eius poſſeſſiones numerat, nec forte legit ſcriptores, res Ferdinandi unquam, decennio quam ante propius ſummum periculum, vix Vienna in fide manente, teſtatos. Sed accidunt talia, meros panegyricos meditantibus, hiſtoricorum officio neglecto. Aeque minus probari poteſt hyperbole, qua opimior poſſeſſionum Palatinarum portio Bavaro adſignata refertur; ubi ſcite iam aliquid Boehmius admonet. Idem plane de pace cum Danis dici poſſet; de qua tam abiecte Hartius non pronuntiaſſet, ſi imperatori Germanorum Romano veram maieſtatem potiore iure, quam regna precaria tenentibus, ſtatueret deberi. Bavari conſiliorum etiam interpretationem nimis iniquam ducent, qui de ſtatu rerum iſtius aevi ex utilitate Germaniae calculos ponere didicerint. Si tunc Romanam religionem profeſſi noſtris parum aequi fuerant; at virtute tamen et ſapientia in ceteris nihil concedebant multis, qui ſanitatem doctrinae, ſaepius ne creditae quidem, vaſtis et immoderatis auſis obtentui ſumunt. Potuiſſet profecto, dimiſſis imperatoris bona ex parte copiis, quies Europae reddi, niſi exterorum, Germaniae diſcordanti inſidiatorum, multitudo improviſa ſuperveniſſet. Sed quibus mirum in modum ubique placent vis et arma, etſi calliditas adſit, et ſpecioſa religionum nomina non deſint, cogitare deberent, quam a praeceptis Chriſti haec abhorreant. Sique talia unquam vere adverſariis noſtris obiecta ſunt; eo magis cavendum fuerit, ne ipſi eiusdem culpae rei fiamus. De quaeſtione, num mero religionis ſtudio, an aemulatione potius et rivalitate, ob potentiam Auſtriacam, arma Guſtavus ceperit, non ſine ratione auctor Ludovicae Iulianae, Principi Palatinae adſentiri videtur, ratae, Suecum Auſtriae, ob imperii profundam cupiditatem inviſae, bellum illaturum fuiſſe, ſi vel proteſtantium a partibus Ferdinandus ſtetiſſet. Auxerant tales ſuſpiciones et odia aſperaverant, declamatores nonnulli effrenes, qui ſine certis mandatis ſua ſomnia publican-

blicantes criminibus materiem, magno reip. malo, ſubdiderant. Poſſidemus ex eo genere libellum, qui praeſcribitur: *Oratio de novae apud Europaeos Monarchiae, pro tempore et ad infringendam Turcicae dominationis impotentiam et ad ſtabiliendum Chriſtianae ſtatum, utilitate. Auctore Andrea Hoio, Brugenſe, Gr. litt. ap. Duac. Prof. Duaci ap. Io. Bogardum, A. 1599.* Perſpici ex hoc poteſt, quam vanae quaeſtiones cerebroſorum ingenia tunc exercuerint; ut aliorum furioſa claſſica taceamus. Poſtquam mentio facta eſt aliis etiam noſtrorum iniecti pridem metus, ne imperatores Auſtriaci, quorum conſilia a ſodalibus Ignatianis regi credebantur, paullatim pactionem Paſſavienſem reſcinderent, enumerantur quidam libri iſtis in controverſiis poſt turbas Bohemicas publicati; ut cancellaria Anhaltina et Hiſpanica, Vindiciae Palatinae, cancellaria Bavarica; nec non Kelleri ſub Fabii Hercyniani nomine ſcripta. Boehmius vero in adnotatis tam vetuſtiores electorum ſaecularium expoſtulationes ex *Senckenbergii*, L. B. et V. Perill., Sylloge antea nondum editorum monumentorum, opportune indicat, quam pleniorem notitiam reliquorum, quae in iſta cauſſa publicata ſunt, ex Gryphio, Hoffmanno, et Lundorpio petere ſuadet. Summatim etiam quaedam excerpſit *Struvius* in Hiſtoria religionis gravaminum. Nos etiam aliqua nacti ſumus, quorum rationem necdum alii habuere, quibus aut enumerandi aut colligendi talia conſilium fuit. Sed quis foret finis, ſi quis ſingula complecti vellet? Quum nullum ſaeculum maiorem proventum acerrimorum diſputatorum tulerit, ut mirum non ſit, ſi quaedam memoria excidant. Forte non defuiſſent, qui plura factis, quam verbis, ab utraque parte refutata maluiſſent. Iudicium vero Hartii de ter infelicius cedente Auſtriae mutatione, in collegio principum electorum facta, omnes rerum Germaniae periti in nullum exemplum ſatis congruere animadvertent. Mire enim cauſſae eventusque ex diverſa temporum conſequentia miſcentur. Elegans eſt Boehmii obſervatio de errore vulgari, quo ſolus Richelius bellum Germanicum Guſtavo perſuaſiſſe creditur. Recte

Digitized by Google

idem auctoris anachroniſmum corrigit, qui putaverat, iam ante proſcriptionem Friderici publica imperii lege ſancitum fuiſſe, quod in pactione Ferdinandi III. demum de adeundo imperio ſecundum praeſcriptam formulam conſtitutum eſt, ne ſine electorum criminis haud participum conſenſu, huic poenae quisquam ordinum ſubiiciatur. Sed multipliciter praeterea erravit Hartius, quum et de ſolis electoribus, et de omnium ordinum conſenſu, et de unanimi comitiorum decreto, hoc primum latum credidit. Nam de electorum, principum, et omnium ordinum proſcriptione cum Ferdinando III. iam; de ceteris, quae ponit, nonniſi cum Carolo VI., tandem ſic conventum eſt. Sed de unanimi conſenſu vel in hunc diem nulla lex exſtat, neque dubitatur, maiorem tantum ſuffragiorum partem requiri. Adeo vero in Anglia noſtri imperii conſtitutiones ignorantur! Neque excuſaverit Hartium, ſi quis vocabulo legis pro conſuetudine, ſeu obſervantia, quam vocant, uſum dixerit: tali enim ambitu, qualem is ſtatuit, nullam novimus, neque quisquam adhuc probare conatus eſt. De litteris regiis ad electores accuratiora rurſus monemur a Boehmio, quum Hartius, nullo ſervato diſcrimine, plerumque ex actis publicis carptim, et per inanes repetitiones, idque haud raro praepoſtere, referre ſoleat: quod ex more oratorum parlamentariorum, quos cum venia ſic dixerimus, ipſum habere crederes.

HISTORIA NATURALIS RANARUM NOSTRATIUM, in qua omnes earum proprietates, praeſertim, quae ad generationis negotium pertinent, fuſius enarrantur. Cum Praefatione Illuſtris viri, ALBERTI v. HALLER, Societatis Regiae Scientiarum Goettingenſis Praeſidis. Edidit, accuratisque iconibus ornavit AUGUSTUS IOANNES ROESEL von ROSENHOF.

Norimbergae 1758. typis Ioannis Ioſephi Fleiſchmanni, fol. mai. plag. 30.

Nefas

Nefas eſſe duximus, Acta noſtra carere mentione operis tam ſplendidi, tam accuratis obſervationibus referti, ut lector et ſpectator fere neſciat, quid maiorem admirationem laudemque mereatur, an ſumma diligentia et indefeſſum ſtudium in obſervandis naturae operibus, an ſolers doctaque manus, cuius veſtigia, in pulcerrimis ranarum imaginibus, accuratiſſime non modo aeri inciſis, ſed nitidiſſime etiam pictis, per univerſum opus curioſos naturae ſpeculatores magnopere delectant. Nemo ſane erit, qui, ſi aequus rerum aeſtimator fuerit, Illuſtri *Hallero* non aſſentiatur, fateaturque, inclytam Germaniae Nationem nulli genti cedere ingenio, virtute, induſtria, idque vel maxime ex hoc doctiſſimo labore cognoſci. Omnes ſciunt, incomparabilem in hoc genere *Swammerdamium* fuiſſe. Hunc igitur Auctor noſter ſedulo legit tractavitque, eiusque doctas obſervationes plerumque confirmat, rarius aliquanto emendat. Series autem operis haec eſt. *Sect. I. Cap. I.* Coitus et generatio ranae fuſcae terreſtris fuſe enarratur, opinionesque *Menzii* aliorumque erroneae refutantur. *Cap. II.* Partes ranae fuſcae terreſtris internae, eaeque praeſertim, quae generationi inſerviunt, deſcribuntur. *Sect. II. Cap. I.* de ranae arboreae proprietatibus, coitu et generatione, verba fiunt. *Sect. III. Cap. I.* ranae viridis aquaticae proprietates, coitus et generatio enarrantur. *Cap. II.* ranae viridis aquaticae partes internae deſcribuntur. *Sect. IV. Cap. I.* bufonis aquatici, allium redolentis, maculis fuſcis, externus habitus, nec non aliae proprietates proponuntur. *Cap. II.* reperitur deſcriptio internarum partium bufonis aquatici, allium redolentis, maculis fuſcis. *Sect. V. Cap. I.* bufonis terreſtris, dorſo tuberculis exaſperato, oculis rubris, generatio, nec non reliquae proprietates exponuntur. *Cap. II.* habetur deſcriptio partium interiorum bufonis, dorſo tuberculis exaſperato, oculis rubris. *Sect. VI. Cap. I.* agitur de generatione bufonis ignei. *Cap. II.* recenſentur interiores partes bufonis ignei. *Sect VII. Cap. I.* legimus bufonis terreſtris foetidi proprietates, coitum et generationem. *Cap. II.* pro-

proponit bufonis terreſtris, foetidi interiores partes, nec non eas, quae inſerviunt generationi.

DE LAUDIBUS CAROLI III. POTENTISSIMI Hiſpaniarum Regis, Carmina.

Bononiae 1759. ex typograph. SS. Inquiſit ſub ſigno D. Tho. Aquina. pag. 14. quaternis.

Quod omnium temporum hiſtoria docet, Regibus atque Principibus iis, qui litteras ſingulari favore complexi eſſent, gratiſſimas ſe Muſas praebuiſſe, eorumque nomina commendaſſe poſteritati quam diligentiſſime: eius rei exemplum inſigne capit aetas noſtra in *Carolo III.* Rege Catholico. Nam cum ille doctrinae et artium optimarum amantiſſimus ſemper fuerit, ſuaeque in eas benevolentiae duratura ad omnem memoriam monumenta exſtare pridem iuſſerit: factum eſt ut veriſſimae eius ampliſſimaeque a longe plurimis laudes, et ſuperiore tempore et his proximis annis, diverſo orationis genere, celebrarentur. Neque geſtis illius exornandis divinior poeſeos vis et ſacrorum vatum concentus unquam defuit. Sed ad hanc communem Regis magni admirationem, boni civis pietatem adiunxit *Caſimirus Gomezius Ortega*, Reg. Collegii Gaditani Alumnus; ita enim in Epiſtola Nuncupatoria ad Regii Maiorisque Bononienſis Hiſpanorum Collegii Rectorem et Sodales ſcripta, nomen ſuum profeſſus eſt horum Carminum Auctor. Hic enim idem, qui Sapientiſſimi Regis *Ferdinandi* obitum verſibus nuper luxerat, nunc *Caroli* ſplendidiſſimum ab utriusque Siciliae regno ad capeſſendum potentiſſimum Hiſpaniarum imperium laeta acclamatione proſequitur tranſitum.

Carminis quidem maioris, quod paginis octo porrigitur, quae ſit forma, quis curſus, videamus. Ducitur laudationis principium ab ipſa Principis iuventute, et mature elucente indole eximia. Tum initia et progreſſus imperii narrantur.

Naſcentique licet ſceptrum fortuna negaſſet
Invida, Borbonidae tamen ingens dextera et armis

Egre-

Egregium robur peperit, ſubiectaque forti
Regna enſe, et priſcis titulis ceſſiſſe coacta.
Hinc primaevus adhuc indicens bella triumphat
Herculis in morem, mox laeto Etruria plauſu
Excepit rerum dominum, regnoque potitum.
Sed poſtquam vires animus firmavit, et aetas,
Hunc maiora vocant: quis enim vel neſciat arcem
Caietae, aut claros hoſtili caede Bituntos?
Meſſanam et Capuam domitas, cunctamque receptam
Trinacriam? Sic Borbonides *duo maxima victor*
Transgreditur, ſubigitque brevi certamine regna.

Inde praeclaram Regni utriusque Siciliae adminiſtrationem extollit poeta, ubi nec indictam praetermiſit felicem Herculani reſtaurationem. Delatus poſtea ad poſtremi quod Italiam quaſſavit belli diſcrimina, primum pulchre pingit Regem in Martios campos egredientem.

Haud illi clypeus, mentitave vatibus arma
Vulcani fabricata manu; ſed dextera Regem
Quae deceat, fidusque enſis comitatur euntem.
Enſis quem gnato dederat pater ipſe Philippus,
Virtutis patriae monumentum, et pignus amoris; cet.

Mox illum celeberrimi ad Velitras conflictus deſcriptio occupat: non minima pars gloriae *Carolinae.*

Iamque propinquabant adverſa ex parte phalanges,
Martia quas rapido Germania miſit ab Iſtro,
Et Tranſylvanus ſpectato robore miles,
Pannoniique equites, ſimul hirſutique Croati.
Hos ſuper Illyrici venit gens accola Ponti.
Quos omnes bello aſſuetos, et fortibus auſis
Unus agit pugnae Dux Lobcovicius ardens.

Ut ipſam certaminis narrationem iucundiſſimis floribus diſtinctam, et maxime in univerſo carmine exſplendeſcentem, omittamus. Tandem iter Caroli, obtinendi patrii regni

cauſſa ſuſceptum perſequitur, laetaque ab eius virtutibus omina Hiſpaniae ſignificat.

Subiecta ſunt Epigrammata duo: alterum in adventu *Caroli* Mantuam Carpetanorum ſcriptum; alterum, idque Graeco et Latino ſermone compoſitum, cum idem Rex ex Italia in Hiſpaniam ſolveret. Nos prius adponemus, ut de his quoque iudicari poſſit.

Qui ſat Parthenopen bello, ſat pace beaſti:
Patria, Rex, tandem regna beare veni.
Tu validos terraque marique tuebere Iberos,
Compoſitos placida Tu ditione reges.
Quodſi etiam doctas Phoebi exornare ſorores,
Vatibus et facili Numine adeſſe velis:
Tunc Tua pro meritis qui dicant arma, virumque,
Plures noſtra feret Mantua Virgilios.

Hanc autem breviuſculam de his Carminibus relationem inſtituiſſe nos exiſtiment Lectores, partim quod ea non omnino indigna crederemus tanti Principis maieſtate, partim ut noſtrae quoque erga Illum reverentiae exſtaret quoddam hoc loco documentum.

ELOGIUM

GEORGII MATTHIAE BOSII, PHYS. PROF. PUBL. Ordin. in Acad. Wittebergenſi.

Res hominum, a deo evocatus, reliquit *Georg. Matthias Boſius*, academiae Wittebergenſis *Doctor* atque *Profeſſor* tam clarus, quam *naturae interpres* felix, ut eius famam nominis nulla gens non acceperit, quae de litterarum novis aetate noſtra progreſſibus accipere quidquam potuit. Ortus Lipſiae veteri et illuſtri genere, patre *Georgio Henrico Boſio*, mercatore non ſplendido minus, quam peregrinatore erudito, matre *Eva Sibylla*, nata *Bachmeyeria*, maiorum nobilitatem morum decore quae aequavit, anno huius ſaeculi

X. a.

X. a. d. X. Kal. Oct. Ipſe autem hunc ſtirpis honorem pari felicitate conſervavit et auxit, qua hodieque clariſſimae huius urbis familiae, *Carpzovia, Telleria*, aliae, antiquam gloriam tuentur. Praeter parentum ſollicitudinem et indulgentiam, ingenio vivido et erecto Lipſienſes lautitiae et elegantiae benignam ad proficiendum materiem ſuppeditaverant. Nactus praeceptores, non eos ſolum, publica qui auctoritate iuvenes erudiunt, ſed privata quoque impenſa requiſitos, annos teneriores acerrimis ſtudiis impendit. Tam igneus vigor animo inerat, ut plura, quam in aetatem cadere viderentur, inter ipſa ſtudiorum rudimenta aeſtimatoribus peritis expendenda repraeſentaret. Nec his immorari deceat, quibus ad maiora feſtinandum ſit. Anno aetatis XVII. iam *Doctor Philoſophiae*, medicinae non alio conſilio operam dederat, quam ut noſcendae rerum naturae, quanta ea demum eſt, eo fauſtius operaretur. Aliquoties in publicis diſputationibus, quum alienas commentationes arguendo vel tuendo, tum ſuas proponendo, praeclare ſteterat; quando, hortantibus praeceptoribus et amicis, docendi inter philoſophos iura duabus academicis diſſertationibus publicatis obtinuit. Argumentum ipſum dilectu et utilitate eximium animos virorum doctorum ſollicitaverat, ut ſubtilitati faverent; quia Perraulti de natura ſoni opinionem ſuis ponderibus examinaverat. Inde ad aliorum inſtitutionem diligenter incumbens, omnia, quae ſibi paraverat, tam lubens his cum communicabat, qui ſeſe audire voluiſſent, ut magnis ſumtibus nunquam parceret, quo locupletius inſtrumentum haberet, unde experimentis faciendis totam illam doctrinam philoſophiae univerſae, mathematum, rerum naturalium, et quae his ſerviunt, aut ab his invicem iuvantur, redderet utiliorem et ornatiorem. Tantum fecerat ea in exercitatione operae pretium, ut non auditorum ſolum adſenſu, ſed quod longe maius et ad fidem inter poſteros potentius, iudicio iisdem artibus eruditiſſimorum, famae commendaretur. Ita accidit,

dit, ut et benigna aliorum iudicia novum calcar induſtriae adderent, et amor concepti ſtudii vaſta quaevis et ardua meditantem per immenſum fere artium ambitum duceret. Diu erat, quod Du Fayi Galli pericula in excutiendo igne e perfrictis corporibus, quae electrica ab una ſpecie vocant, in oblivionem prope venerant. Nihil difficile aut anceps *Boſii* diligentiae circa rerum naturas obiici poterat, quin longe acutior aliis novas explorandi vias reperiret. Ita adgreſſus, quod multi deſperato ſucceſſu reliquerant, longe pulcherrimum opus, e coniecturis fortuitis et paucis conatibus aliorum primum cauſſas inveſtigavit ratiocinando, inde experimentis ſollertibus et cautis certum eruit, atque hominum doctrina praeſtantium tandem exſpectationem novis et incredibilibus initio miraculis longe ſuperavit; ut tota in Europa aeque nihil ferveret, quam inquiſitio iſta, in qua Boſianis inventis plerique idonei arbitri palmam deferebant, quod plurimis exemplis confirmare, *Richmanni* nominatim, profeſſoris quondam Petropolitani, ad imitationem non ab alio magis incitati, liceret. Dudum multas per gentes et terras nomen tam diligentis arcanorum naturae ſcrutatoris celebrabatur, quum iudicio et mandato FRIDERICI AUGUSTI, *Reg. Pol. Pot, Pr. El. Sax. Ser.* ad munus profeſſoris publici in academiam Wittebergenſem vocaretur XXIII. ante annos. Hic aegre definias, ex qua parte potiſſimum aeſtimanda eius ſint merita. Docendo tam ex officio, quam ſponte phyſicen, mathemata, philoſophiam univerſam, paria fecit cum quolibet, et ne morbis quidem aut aliis cauſſis excuſari interdum voluit. Sed non erat is, qui nuda contemplatione abſolvi ſuas curas arbitraretur, niſi innumerabilibus experimentis cum ipſa naturae varietate quotidie certaret. Eam ob rem ſumtuoſiſſimum inſtrumentorum adparatum conquiſierat, et bibliothecam rariſſimis et lectiſſimis libris inſtruxerat; quorum ope in frequentibus rerum naturalium ſpectaculis edendis in admiratione omnium erat, iudicare qui noſſent, quantum inter utilem veri perquiſitionem

et

Digitized by Google

et curioſas lautitias diſcriminis interſit, licet elegantiam, velocitatem, et munditias nemo in Boſianis meditamentis deſiderarit. In tam exercita tamen et laborioſa vita quis ad ſcribendum ſuperfuiſſe tempora credidiſſet? Tot nihilominus commentationes ab ipſo publicatae, tot in commentarios ſodalitatum litteratarum adſcitae, tot amicis per Europam regionatim transmiſſae, ferream eius patientiam et indomitum moleſtiis ingenium teſtantur. Ipſa argumentorum varietas, quam multarum artium fuerit, perdocet. Difficile foret, quidquam veri, certi, et pulcri nominare, quod ipſum fugiſſe dici poſſit. Ne de pictura quidem, ut vel hoc utamur, quisquam ſubtilius exploratiusque iudicabat. Nec a nobis probationem exigent, qui eius libros legerunt. Neque aliunde habuit, quod aſperitatem rerum abſtruſarum tempeſtivis ſubinde amoenitatibus emollivit. Perſpicuitatis certe mirae in omnibus, quae attingebat, ut popularitate quadam, quam ille conciliaſſet, occultiſſima artium placerent, effecit. Vis iudicio aderat, vigor et acumen ingenio ſupererant. Diſſerere, ſcribere, inſtrumenta tractare, pari facilitate adſueverat, quaſi natura id faceret, quod alii ex longa diſciplina demum habent. Tranſierat inde nonnihil in mores, ut candori, comitati, elegantiae et fidei alia poſtponeret. Tam gnarus praeter eas artes, de quibus diximus, hiſtoriarum omnis aevi erat, ut vel ea memoria retineret, quae nonnulli vix diuturna inquiſitione eruunt; unde etiam, aliud ſaepius agens, tam erudite quaedam obſervabat adnotabatque, ut habitaſſe ipſum in Saturni archiis nonnemo veterum, ſi videre potuiſſet, credidiſſet. Et de opuſculis eius, quae in vario doctrinae genere confecit, eo minus hic aliquid memorare vacat, quia et multitudo obſtat, et rerum ſelectio brevem et perfunctoriam mentionem non admittit; adeo quidem, ut in titulis ſolis proferendis nullum operae pretium fieret, niſi ſimul momenta praeſtantiae adiicerentur, quae hic locus non caperet. Profuit claritas ſtudiorum haec ad ianuam abſenti patefaciendam per muſea magnorum vi-

rorum, quotcunque doctrina ubique hac aetate eminuerunt. Neque aliud argumentum clarius, quam tot ſodalitatum litteratarum, academias ſcientiarum vocant, quas ſub eius titulis legimus, conſortium. Ex creberrimis certe epiſtolarum commerciis tantos fructus ad ſuas muſas referebat, ut domi, veluti ex oraculo, ſciſcitantibus, quid rerum circa litteras usquam geratur, reſponſa redderet, et ſuum fundum peregrinis quotidie copiis inſtrueret et excoleret. Et ſi quis Germanorum hac in re *Iſaacum Voſſium* aequavit, *Boſius* is profecto noſtra aetate fuit. Nec magnatum atque procerum ex diverſis regnis, nationibus, et civitatibus, gratia defuit tam fauſte naturae myſteriis operato, ut quidquid ſingulare vel rarum alibi deprehenſum eſſet, illi impertirentur, atque eius ſententiam exquirerent. Non debent hic inſeri tanta nomina, ne triſtis miniſterii umbra obſcurentur, et reſervanda potius alii occaſioni talis eſt opera; qua ſimul illius merita circa progreſſiones artium ſingulatim perſequi liceat nobis, vel alii. Quam acuto et celeri ſenſu in iudicandis iis, quae ſublimitate multorum captum excedunt, fuerit, non alia magis re probatur, quam quod inter ſummorum virorum diſſenſus, veluti captus arbiter, ſaepius ſic pronuntiaverit, nulli, ut, quae poſtulaſſet, tota, cuique tamen, quae iure deberentur, adiudicaverit; ea quidem aequitate, qua vel viventibus, nedum mortuis, ſatisfieret. Inter *Newtonum* ſane et *Leibnitium* qui id haud raro praeſtitiſſet, ne de *Carteſio* dicamus, facile adſecutus erat, ut in Germania, Anglia, Gallia, et Italia iuxta gratioſus eſſet. Religioni ſic erat deditus, ut et veram amplecteretur, et irriſores eius mire contemneret, et hanc unam, in qua vires humani ingenii periclitari nefarium ſit, duceret; ſimulationi tamen, interdum vel ex ſuſpicionibus, iraſceretur, et concertationibus nimiis circa eam amitti verum, unice ſtatueret. Agnoſcebat tamen, quoties non obrepſerant humani adfectus, eas quaeſtiones ipſius ad profeſſionem nihil pertinere. In vita commodus et officioſus quaerebat, tanquam materiem virtutis,

tutis, quos obligaret. Hac felicitate in ſtudiis facile conſequebatur, ut neque reliqua ad dignitatem, fortunamque deeſſent. In his non poſtremum fuit matrimonium rariſſimi exempli, quamvis temporibus breve, et filius ſuperſtes, qui virtutum et eruditionis paternae inſtar promittit. Illud publico nomine, quum uxori, *Ioannae Henricae*, natu *Carpzoviae*, feminae clariſſimae, X. ante annos funus duceretur, celebratum, hic rurſus commemorandum haud erit; filii vero *Adolphi Iuliani*, *LL. AA. M.* eo minus elogium requiretur, quia ſimul cum ſtemmatis notitia legitur in *Memoria Melanchthonis*, quae ante annum eſt, quod Lipſiae publicata fuit apud heredes Lanquiſios. Tam praeclare inſtitutum multa cum laude vitae curſum tenuerat, donec anno ſuperiore omnes in felicitates purpuram academicam geſtantis transverſo impetu incurrit neceſſitas, quem non effugit. Acceſſit reliquis calamitatibus in nupero Vitebergae incendio bibliothecae, inſtrumentorum, veſtium, vaſorum, ſupellectilium, omnium exuſtio; cuius iacturae nuntium abſens tanta conſtantia accepit, ut ad filium *Adolphum Iulianum* plenam fiduciae ac roboris, quae a divinis promiſſis adſumſerat, conſolationem reſcripſerit. Velo cetera quodam tecta poſteris aliunde petenda relinquimus, quatenus ad rationes viri eruditi, cuius memoria recolenda eſt, nihil pertinent. Hoc dicimus, *Boſius* ipſis Kal. Sept. anni, quem vivimus, vixit Magdeburgi. Tentatus dyſenteriae malo, quum praeſto eſſent certatim amicorum, et eandem ſortem nactorum, opes, atque *Weinſchenkii*, *Pot. Reg. Poruſ. a Conſil. Aul. et Medici*, ab artis experimentis et dignitate ſpectatiſſimi, et *Cothenii*, *Conſil. Intim. et Archiatri Regii*, *V. Ill.* paratum auxilium, ſpe Chriſtiana munitus, nihil, quod imploraret, praeter divinam bonitatem, invenit; adeo ſaeva erat vis morbi. Ad deum immortalem mentem ubi totam vertit, miſit is ſuae internuntium voluntatis, *Silberſchlagium*, *V. Pl. R.* qui ſolatiis coeleſtibus anhelanti ad aeter-

aeternitatem prudens atque religioſus occurrit. Inter omnia, quae conſtant, nihil tam eminet, quam Chriſti, liberatoris unici, ardentiſſimus amor, et ſapientiae divinae confeſſio et adoratio, quibus immortuus eſt *Boſius*. Vixit is. Nos, coelo receptum, ordine quisque ſuo, et impetrato pari exitu, ſequemur eo, ubi *Chriſtus*, Servator generis humani, praeſentis vitae miſerias magnis praemiis penſabit.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Novembris Anno MDCCLXI.

HENRICI CANNEGIETERI DE MUTATA ROMAnorum nominum, ſub Principibus, ratione, Liber ſingularis. Item Poſtumus, Bataviae Adſertor, Hercules Magnſanus, et Deuſonienſis, Aggerum Bataviae Auctor, ex Numis atque ex Inſcriptionibus demonſtratus. Nec non Trebellii Pollionis negligentia caſtigata. Et Monumentum Dodenwerdenſe expoſitum.

Traiecti ad Rhenum 1758. apud Guilielmum et Guil. Henr. Kroon, Bibliopolas, Alphab. 1. plag. 19½. in 4.

Cannegieterus, Vir clariſſimus, cuius magna Latini ſermonis antiquitatisque ut omnis, ita maxime Romanae, ſcientia, ex animadverſionibus in fabulas Aviani, aliisque ſcriptis, ſatis elucet, etiam hoc libro omnes doctrinae veteris amatores et admiratores ſibi non parum devinxit. Tam plenus eſt et refertus eruditione antiqua! Offendit tamen aures noſtras atque animum non modo oratio aſpera interdum, nec apta ſatis; ſed etiam hoc, quod ſtilus auctoris ſaepiuſcule deflectit, praeter opinionem, de re propoſita ad alias, quae cum ea non multum cohaereant: quae tamen vitia abunde compenſat magna, ut diximus, doctrinae copia et ubertas. Sed, age, indicemus breviter, quae continentur ipſo libro, ut lectores noſtri eo magis poſſint exiſtimare de magna eius utilitate et praeſtantia.

Digitized by Google

Conſtat autem ille quatuor Partibus. *Prima* exponit de mutata nominum Romanorum ratione ſaeculo Caeſarum [p. 1 — 110]: *ſecunda* agit de Poſtumo Bataviae aſſertore non minus quam de Hercule Maguſano et Deuſonienſe [p. 113 — 174]: *tertia* caſtigat Trebellii Pollionis negligentiam [p. 177 — 210.]: *quarta* denique illuſtrat monumentum Dodenwerdenſe [p. 213 — 268.]. Claudit opus, praeter Addenda nonnulla, duplex Index, alter Scriptorum veterum, et monumentorum, vel laudatorum, vel illuſtratorum, alter ipſarum rerum. Sed de argumento ſingularum Partium paullo diligentius dicamus.

In Praefatiuncula Parti primae praemiſſa oſtendit *Cannegieterus*, ſe, in explicanda Romanorum nominum ratione, non ſequutum eſſe veſtigia aliorum Virorum doctorum, ut Robortelli, Sigonii, et caeterorum, in quibus emineat maxime Petrus Servius; ſed adhibuiſſe in conſilium Corpora Inſcriptionum veterum, ut Gruterianum; Reineſianum, Muratorianum, non minus quam numos priſcos, et in his maxime eos, qui ab Adolpho Occone, et a Franciſco Mediobarbo editi ſunt: et quum Iac. Perizonius edere voluiſſet librum ſingularem de Nominibus Romanis, ſe ea de re ſcripſiſſe docet ad Antonium Perizonium, Iacobi patruelem, civitatis Brielenſis Senatorem, ſi forte in eo libro reperirentur, quibus ipſe uti in conficiendo hoc opuſculo poſſet; ſed tuliſſe a Perizonio reſponſum, in ſcriptis Patrui nihil huius generis inveniri. Ipſum Opuſculum diviſum eſt in viginti Capita. *Primum* Caput, percurremus enim ſingula breviter, docet, Auctorem propterea coactum eſſe quaerere de hoc genere Nominum Romanorum, quod inſtituiſſet illuſtrare antiqua Bataviae monumenta. Nam etſi Sigonius accurate expoſuit de Nominibus Romanis, libera republica; tamen nemo ſeparatim explicavit rationem eorundem nominum, Caeſarum aetate: et ipſe Sigonius parum caute Valerium Priſcianumque ſequutus eſt duces, quum uterque deflexerit de via non raro. Sed ut lingua moresque Romanorum valde mutati ſunt,

ſunt, quum arma eorum ultra Alpes veniſſent; ita nec Nomina manſerunt expertia iſtius mutationis. Nam Caeſarum quidem ſaeculo, inde ab Auguſto, id quod *ſecundo* Capite pluribus declaratur, Praenomina in locum Cognominum venerunt; Cognomina facta ſunt Praenomina; Nomina gentilia uſurpata ſunt loco Cognominum Praenominumque. Sic *Marcus*, *Quintus*, *Sextus*, *Titus*, quae, temporibus liberae reipublicae, Praenomina fuerant, in titulis antiquis, Caeſarum ſaeculo, occurrunt ut Cognomina. Contra vero *Caius*, *Lucius*, *Numerius*, *Publius*, Praenomina facta ſunt nomina gentium: et *Rufus*, *Firmus*, Cognomina, ſucceſſerunt in locum Praenominum: id quod etiam Nomini *Flavius* accidit. Neque raro duarum pluriumque gentium nomina commiſta ſunt, ut *T. Cocceius Salvius* apud Gruterum p. 1121. 8. Etiam feminae a duabus gentibus nominatae leguntur, ut *Salvia Titiſcenia* apud Sueton. Aug. 69: *Calvedia Vettia* in marmorr. Felſineis p. 484. Omninoque mulieres, everſa republica, non modo Nominibus et Cognominibus inſignitae fuerunt, ſed etiam Praenominibus, ut *L. Marcia Procula* apud Muratorium p. 1050. 1. *Ap. Aurelia Ap. filia Lupercilla* p. 1642. 1: *L. Septimia Doxa* p. 1214. 4: Ↄ. *Plinia* apud Reineſium Cl. 14. 124. *Tertium* Caput maxime in eo verſatur, ut doceat, Fratres iisdem ſaepe Praenominibus gaviſos eſſe, ſolisque Cognominibus diſtinctos inter ſe. Filius maior cognominabatur a patre, minor a matre, cuius nomen deſineret in *anus*. Sic Flavius Sabinus, pater Imperatoris Veſpaſiani, uxorem habuit Veſpaſiam Pollam, ex qua ſuſcepit filios duos: maior dictus eſt patris cognomine Sabinus, minor Veſpaſianus a Veſpaſia matre. Sueton. Veſpaſ. 1. Apud Muratorium p. 774. 7. memorantur *T. Aelius Acilianus* et *T. Aelius Iocundus*, fratres: p. 94. 9. *D. Veturius Antigonus*, *D. Veturius Sp. F. Philo*, *D. Veturius Albanus*, fratres. *Quarto* Capite exponitur de nominibus variis filiorum Adoptatorum. Obiter conciliantur duo loca Suetonii, Tiber. 7. et de illuſtrr. Gramm. 16.

Digitized by Google

Poſteriore loco τὸ *Satrii* a librariis, non a Suetonio, profectum, atque adeo delendum, videtur: et quia loco priore pro *Caecilii* in Codicibus nonnullis erat, Oudendorpio teſte, *Pomponii*, credibile eſt, olim lectum fuiſſe *Pomponii Caecilii*, vel *Pomponiani*. nam adoptati tum utriusque gentis nominibus appellabantur. Singulatim agitur de nominibus Caeſarum Iuliae genti per adoptionem inſertorum. *Quintum* Caput recenſet nomina ſpuriorum. Dicti ſunt nomine gentili, vel patris, vel matris. Et nota SP. F., quae legitur paſſim in titulis vetuſtis, non ſemper, ut Fabrettus putavit, legi debet *Spurii filius*, ſed nonnunquam *Spurius filius*, vel etiam *Spuria filia*. id quod, praeter Plutarchum quaeſt. Romm. 103, ipſae Inſcriptiones docent. vid. Gruterus p. 434. 4: ubi *C. Mamercius* primo verſu vocatur SP. F., ſed quinto verſu *filius naturalis*. Caput *ſextum* attingit nomina peregrinorum. Aſſumſerunt nomina, aut eorum, quorum beneficio cives facti eſſent; aut eorum, quorum in clientelam ſeſe tradidiſſent; aut amicorum in civibus. In Aſia duo geſſerunt nomina, unum patrium, alterum civitatis dominantis: inter ſuos appellabantur patrio nomine, inter Romanos Romano. Sic *Proculus*, qui videtur fuiſſe libertus, non ſervus, etiam *Torpacion* dictus eſt: et qui ab Hebraeis *Saulus* vocatus eſt, eum Chriſtiani aliique *Paullum* nominarunt. Caput *ſeptimum* explicat eam Romanorum conſuetudinem, qua uni homini ſolebant plura tribui nomina. Primorum quidem Caeſarum aetate nomina duarum gentium dabantur uni: quae vanitas tandem eo progreſſa eſt, ut unus appellaretur undecim nominibus. ut *C. Batuus C. F. Trocilo Minucianus Valens Antonius Celer Publius Sigonius Rufinus Liguvianus*, apud Muratorium p. 682. 7. et apud Gruterum p. 375. 4. Hinc iisdem temporibus, ambiguitatis fugiendae erroriſque vitandi cauſſa, invaluit mos, ut adderentur nominibus verba *qui et*, vel etiam ſimpliciter *ſive*. quam in rem, praeter titulos antiquos, qui ſunt apud Fabrettum Inſcriptt. p. 145. et in Marmorr. Felſinn. p. 460, attulit *Cannegieterus* inſcriptionem, Bruxellis ad ipſum miſſam hanc,

D. M.

D. M.
TI. CLAVDIO
NICEROTI
QVI ET ASIATI
CVS LIVI QVIN
TILIA CONIVGI
PIISSIMO ET DVL
CISSIMO FECIT
V. A. XXX

Capite *octavo* diſſeritur de nominibus ſervorum et libertinorum. Et privati quidem ſervi habebant nomina liberorum hominum. Meliſſus, Maecenatis ſervus, de quo Suetonius memorat de illuſtr. Gramm. 1, fuiſſe videtur libertus Iunianus. Sed ſervi publici, de quorum nominibus exponit *nonum* Caput, legebantur ex iis qui manumiſſi erant, aut a republica, aut ab hominibus privatis. Poſteriores appellabantur nominibus patronorum, quae deſinerent in *ianus:* priores, Romae quidem dicebantur Publici, ſed in municipiis et coloniis vocabatur quisque nomine municipii et coloniae, cui libertatem debebat, etiam magiſtratus et Collegii, cui operam dabat. ut *Euvodus Publicus Rubrianus*, h. e. municipii Rubriarum, apud Gruterum p. 624. 6: *Publicus Minicianus*, h. e. Minicii libertus, apud Muratorium p. 1293. 10. *Decimo* Capite tanguntur nomina ſervorum Caeſarum. Appellati ſunt ipſi non minus, quam ſervae, nominibus liberalibus, ita ut retinerent nomen patroni, cuius e familia transiiſſent in aulam Caeſarum, deſinens in *anus*. ut *Calamus Ti. Claudii Caeſaris Auguſti Germanici Pamphilianus*, apud Muratorium p. 893 5: *Anthus Imperatoris Caeſaris Auguſti ſervus Agrippinianus*, apud Fabrettum Inſcriptt. p. 46. 264. Unde apud Tacitum hiſt. 5. 9. pro *Antonius Felix* legendum videtur *Antonianus Felix*. Etiam privati homines nobiliores nonnunquam aliorum libertos receperunt in ſuam familiam, qui appellarentur eodem modo nominibus patronorum. ut *C. Saluſtii Criſpi Servus Metellianus*, apud Muratorium p. 932. 3. Capite *undecimo* et conditio eorum qui vernae ap-

Digitized by Google

pellati ſunt, et varia poteſtas ipſius vocabuli huius diligenter explicatur. Proprie quidem *vernus* idem valet quod vere natus: deinde *verna* coeptum eſt dici et de ſervis, et de liberis hominibus, aliisque rebus vel domi, vel in Latio, natis et factis. ut apud Martial. 3. epigr. I. *verna liber*, h. e. in urbe factus, opponitur *libro Gallo*, h. e. in Gallia confecto. Obiter emendatur locus Feſti [p. 61.] et Terentii, apud quem [Phorm. 5, 6. 10.] pro *curialis vernula eſt qui me vocat*, reſcribendum videtur *curialis vernula eſt qui re vocat*. Vernae dicebantur etiam vernaculi, ita ut Pricaeus apud Apuleium Metam. 2. p. 19. pro *quid vernaculi?* male cenſuerit reponendum eſſe *quid vernulae?* Neque minus homines aerumnoſi et miſeri vocati reperiuntur vernae. vid. Plautus Amphitr. I, I. 25. *Duodecimo* Capite quaeritur de nominibus ſervorum libertorumque deorum, qui ut iuribus, ita etiam vocabulis, hominum liberorum gaudebant. Sed an ex ea conſuetudine illuſtranda ſint loca N. T., ubi Apoſtoli dicuntur δȣ̃λοι Θεȣ̃, valde dubitamus, quum certum ſit, vocabulo Graeco δȣ̃λος redditum eſſe a ſcriptoribus divinis Hebraicum עבד. Neque vero magis placet, quod *Cannegiterus* verba Thomae apud Iohannem [c. 20, 22.] ὁ κύριός μȣ καὶ ὁ Θεός μȣ intelligenda cenſet ex eo, quod ſervi ſervaeque deorum et dearum deos ſuos atque deas nominarint *dominos* et *dominas*. quam in rem protulit titulum lapidis, qui eſt in templo vici *Millingen*, in tetrarchia Neomagenſi ad Vahalim, haud longe a Rheni divortio: quem titulum quum a nemine adhuc editum ſciremus, eum repetere placuit, ſi quis forte lectorum noſtrorum vellet poſſetque lacunas eius explere. Eſt autem hic,

. . . . DEAE. DOMINAE. RVFIAE
. . ATERNAE. ARAM. E.
VCVM. CONSACRAVI
MVCRONIA. MARCIA
. . BI. OMNIBVS ANNIS SACR . .
INSTITVIT XVI. K. AVG
. T. NAT L. MATERNAE
. . . . OCTOBER. ARENIA .
. . . MARIA . . . RV . .

Se-

Septem priores verſus Vir doctus ita legendos cenſebat: *M. Ideae* (h. e. Matri Ideae) *dominae Ruſiae Maternae aram et lucum conſecravit Mucronia Marcia ſibi omnibus annis ſacrum inſtituit XVI. Kalend. Aug. et Natali Maternae.* Capite *tertio decimo* diſputatur de nominibus eorum, qui natalibus reſtituti, h. e. e ſervis et libertinis facti ingenui, et anulis aureis donati eſſent: in primisque de Icelo, Galbae liberto. Is dictus eſt *Martianus*, non *Marcianus*, a Marte, ut indicaretur fortis eius animus. quod nomen a Tacito hiſt. 1, 13. appellatur *equeſtre*, quia pro equeſtri cognomine datum eſt Icelo a Galba. Caput *quartum decimum* totum eſt de nominibus Chriſtianorum priſcorum. Aſſumſerunt nomina fere a virtutibus, maxime Epiſcopi, Abbates, Presbyteri. quod genus *Homobonus Epiſcopus* apud Murator p. 1886. 2: *Adeodatus Presbyter* p. 419. 6: *Contumelioſus*, h. e. qui contumelia afficitur, *Epiſcopus*, qui ſubſcripſit Regulae S. Caeſareae, in Actis SS. Ianuar. d. 12. p. 736. Hinc apud Gruterum p. 1050. 7. ubi eſt *Prolectus*, legendum videtur *Proiectus*. Etiam a rebus fetidis et tetris petierunt non raro nomina: quale eſt *Stercorius*, quod extat paſſim in cippis vetuſtis, quoque infirmitatem et imbecillitatem corporis humani ſignificare voluiſſe videntur. Alia nomina imponebantur pueris recens natis, alia baptizatis. Sic Innocentium, Epiſcopum Dertonenſem in Liguria, referunt Acta SS. Boland. April. 16. p. 482, primo dictum fuiſſe *Quinctium*, patris nomine, ſed alterum illud nomen accepiſſe in baptiſmate. Caput *quintum decimum* agit de nominibus uxorum, ita ut Auctor ab Viri cuiusdam docti dubitationibus defendat ſententiam, in diſſertatione de aetate et ſtilo Aviani c. 9. p. 265. propoſitam, nomina maritorum ad uxores non tranſiiſſe, ſive uxores nomina maritorum gentilitia nuptiis non accepiſſe. Livia Auguſti uxor dicta eſt *Auguſta*, non tum quum eſſet eius uxor, ſed quum, rupto morte matrimonio, adoptione ex teſtamento Auguſti filia facta eſſet. id quod diſerte tradit Sueton. Aug. 101, etiam Tacitus Ann. 1, 8: neque repugnat Plinius H. N. 15, 30. Caput *ſextum decimum* complectitur

nomina

nomina coniugum, explicatque in primis formulam ***ubi tu Caius, ego Caia.*** Et quum Caius proprie ſignificet bovem aratorem, attinguntur etiam alia vocabula a bubus taurisque petita, et ad coniuges translata. Obiter explicatur locus Iuſtiniani §. 2. I. de Nuptiis, ubi conſortium maris et feminae vocat *individuam vitae conſuetudinem.* Caput *ſeptimum decimum* agit de cognominibus priſcarum mulierum, refellitque argumentum, quod Adverſarius Auctoris ſumſit e verbis ignoti cuiusdam ſcriptoris de nominibus Romanorum, *Iſta praenomina a viris tracta ſunt, Caia, Lucia, Publia, Numeria.* Nam primo libellus iſte eſt fetus poſterioris aetatis: deinde *viri* non ſunt mariti, ſed mares. Capitibus quae ſequuntur duobus perſtringuntur alii nonnulli errores eiusdem Viri docti, quos attingere brevitas nos noſtra non patitur. Caput *viceſimum* quaerit de nominibus Auguſtarum: quae omnes abſtinuiſſe reperiuntur nominibus maritorum gentilitiis. Hactenus de prima Opuſculi Parte.

Pars ſecunda, quae inſcripta eſt *Poſtumus*, continetur Capitibus ſeptem et decem: quorum ſummam paucis indicabimus. Poſtumus, imperante Gallieno, Gallias vicinasque Galliis provincias tenuit, et eam Germaniae partem, quam nunc Belgae incolunt, ab incurſione barbarorum defendit. In eius hiſtoria contexenda plus tribui debet fidei titulorum numorumque veterum, quam negligentiae et vanitati Trebellii Pollionis. In titulo quodam apud Fabrettum p. 686. vocatur *Imp. Caeſ. M. Caſſianius Latinius Poſtumus:* in numis autem modo *Poſtumus Aug.* dicitur, modo *Imp. C. Poſtumus Aug.*, nunc *Imp. C. Poſtumus P. F. Aug.*, nunc *Imp. C. M. Caſſ. Lat. Poſtumus P. F. Aug.* [c. 1.]. Conſtitutus eſt a Valeriano totius Transrhenani limitis dux, et Galliae, etſi non univerſae, Praeſes. Qua de cauſſa in epiſtolam Valeriani, apud Trebel. Pollionem de 30. tyrannis c. 2, nominatur *Praeſens.* quo ſenſu occurrit idem vocabulum apud Lampridium in Alex. Sev. 32, et alibi [c. 2.]. Victis barbaris Galliam recuperavit. unde vocatur in numis *Reſtitutor Galliae* et *Reſtitutor Galliarum.* Sed Gallia his in titulis

Digitized by Google

titulis tam late patere videtur, ut etiam Germaniae, ſuperior et inferior, itemque Hiſpania et Britannia, intelligi debeant [c. 3.]. Praefuit enim Poſtumus etiam Britanniae et Hiſpaniis. quod e numis diſcitur, ita ut dubitari non poſſit [c. 4.]. Dictus eſt *Reſtitutor orbis* et *Pacator orbis*, ob defenſam Galliam et Hiſpaniam. Fuit Pontifex Max. Coſ. Trib. poteſt. Pater patriae, etiam Proconſul. Conſulatum autem in Gallia geſſit, non Romae [c. 5.]. Sedes imperii eius videtur fuiſſe Colonia Agrippinenſis. quo pertinet numus apud Smetium Antiquitt. Neomagg. p. 239, in quo eſt hic titulus, IMP. C. POSTVMVS P. F. AVG. COL. CL. AGRIP. COS. IIII. nam ſic legi debet, non C. L., ut Smetius edidit; ſignificatur enim Colonia Claudia Agrippinenſis. In eadem urbe fuit moneta, addenda monetis reliquis ſex Imperii Occidentalis, quae memorantur in eius Notitia, et tribus Gallicis, Lugdunenſi, Arelatenſi, et Treverorum; cuius rei teſtis eſt numus, quem *Cannegieterus* dono accepit a Cl. *Nunningio*, in quo conſpicitur ſimulacrum feminae, additis notis MON. AVG. Etiam multis rebus aliis nobilitatum eſt idem opidum [c. 6.]. Ob Rhenum defenſum ab impetu barbarorum numos videtur percuſſiſſe Poſtumus, in quibus legitur SALVS PROVINCIARVM: qui fluvius vocatur *bicornis* propter duo oſtia [c. 7.]. Naves Rheni erant vel privatae, hoc eſt, Romanorum et Germanorum; vel publicae. Inter publicas erat claſſis Germanica, de qua loquitur Hegeſippus de excidio urbis Hieroſol. 2, 9: quem locum correxit Vir doctus e Codicibus a ſe inſpectis. Claſſis illa dicta eſt *Pia*, *Felix* vel *Fidelis*, diverſa a Britannica [c. 8.]. Etiam viarum curam habuit Poſtumus, Rhenumque munivit; unde appellatus eſt *Hercules Maguſanus* et *Deuſonienſis*. Maguſanus quidem, quod vocabulum *nutricem, defenſorem, tutorem*, ſignificat, fuit Batavorum deus, cuius quatuor arae ſuperſunt in Batavis, templi autem unius veſtigium: et Deuſonienſis ab Iſalanis, ut deus, cultus eſt [c. 9.]. Nomen accepit a Deuſone opido, quod nunc Doesburgum nuncupatur [c. 10.]. Obiter emendatur locus Vopiſci, in vita Probi

Digitized by Google

c. 13. ſ. [p. 146.]. Sed Poſtumus dicitur in numis etiam *Hercules Erymanthinus*, quod confecit aprum Erymanthio non minorem: neque alia eiusmodi nomina rara ſunt in numis Poſtumi [c. 11.]. Caput *duodecimum* depingit formam imperii tyrannorum, Gallieni ſaeculo, quod omnino duravit annos fere quatuordecim. Capita, quae ſequuntur, tria, deſcribunt aras Herculis Maguſani totidem: quarum prima, a. 1514. reperta, eſt in vico Valachriae, cui vocabulum *Weſtcappel:* altera Bruxellis in Collegio Ieſuitarum, eruta in inſula Batavorum; tertia inventa eſt in agro Silvaeducenſi. Capite *ſexto decimo* quaeritur de ſimulacro Herculis Maguſani: et *ſeptimum decimum Caput* diligenter exponit de Hercule Oginio et Saxano, cuius quinque arae repertae ſunt in lautumiis. Titulus quartae arae a *Cannegietero* iam in libro de Brittenburgo p. 102. editus eſt: ſed quintae inſcriptio, a nemine adhuc prolata, ita habet:

HERCV SA
VEXILLAR
LIM FLVI VICT
LX GPEAL COI . .
CY Q SOACVT
SVCVM IVLI
COSSVTI 7 LVI
VIC PC

Sed et de altera Parte ſatis dictum videtur.

Sequitur ut de tertia videamus. Inſcripta eſt *Trebellii Pollionis Negligentia caſtigata.* E libello Trebellii, quem reliquit de triginta tyrannis, excerpta ſunt ea capita, quibus exponitur de Galliarum tyrannis, hoc eſt de Poſtumo Patre, Poſtumo filio, Lolliano, Victorino Patre, Victorino filio, Mario, Tetrico Patre, Tetrico filio, Victoria. Singulis Capitibus ſubiectae ſunt notae copioſae, in quibus hoc agit Auctor, ut, auctoritate et fide numorum veterum maxime, Pollionem convincat vanitatis et negligentiae magnae. Corriguntur paſſim verba ipſius Pollionis [ut p. 187. ſ.], etiam aliorum, ut Eutropii [p. 189.]. Numi varii nondum editi de-

deſcribuntur [ut p. 204.], alii ſpurii iudicantur [ut p. 184.]: multa vocabula rariora, nec ſatis intellecta a Viris doctis, explicantur, quod genus *impluſſum*, *inſcriptus* [p. 192.] et alia. Haec de tertia Parte.

Reſtat ut de Monumenti Dodenwerdenſis explicatione, hoc eſt, de Parte quarta, dicamus. Deſcripſit eam Auctor in decem Capita. Monumentum illud eſt lapideum. Titulum eius primum edidit Cuperus ad Harpocrat. p. 239: deinde Muratorius Theſ. Inſcriptt. p. 861. 5. Sed imaginem totius lapidis exhibuit Hagenbuchius, in Obſervatt Critt. Novis, quae cura Dorvillii prodiere, To. X. XI. XII. p. 349. Eam *Cannegieterus* denuo contendi cum ipſo lapide iuſſit a Guilielmo van der Souw, ſacerdote Dodenwerdenſi. Monumentum habet partes tres, titulum, hominem diſcumbentem, et tutelam. Titulus hic eſt

M TRAIANIVC
GVMATTIVS GAI
SIONIS FVETALAE
AFROR TRI

Atque nomina quidem hominis ſunt vel Romana, vel barbara. nam Veteranus ille fuit mixtus e Romano et barbaro, hoc eſt, barbarus natione, civitate Romanus. Hanc acceperat ab Imperatore Traiano, qui et ipſe Marcus praenomine dictus eſt. vid. Dio Caſſius lib. 68. p. 770. Solebant enim milites, maxime iis vicinisque in terris, aſſumere nomina eorum Imperatorum, quorum indulgentia conſecuti eſſent civitatem. id quod confirmatur fide tituli cuiusdam antiqui, editi primo ab Hermanno Fley, in Annalibus Circuli Weſtphalici p. 221, repetiti deinde ab Cupero, et a Muratorio p. 335: quem *Cannegieterus* ipſe deſcripſit Cliviae, in cuius opidi agro ſuburbano nunc extat lapis, translatus illuc a Mauritio Naſſovio, quum erutus eſſet ad Coloniam [c. 1.]. Fuit autem Traianus ille barbarus. id quod cum nomen eius, *Iucgumatius*, docet, tum nomen patris, *Gaiſio*. *Attius* quidem fuit antiquiſſimum nomen Romanum: et *Iucgo*, *Iuggo*, *Iugo*, unum idemque videntur ſignificare, et ducta

eſſe a verbo *iagen*, ut Traianus ille fuerit aut Germanus, aut Gallus. Neque inſolens eſt, coniungi nomina barbara et Romana: ut *Liviquintilia* in titulo quodam apud Muratorium p. 328. 13. [c. 2.]. Etiam vocabulum *Gaiſionis* oſtendit, eum fuiſſe Germanum aut Gallum; nam *Gais*, *Gaiſo*, *Gaiſio*, *Gaeſus*, *Geſus*, *Giſus*, ſunt nomina Gallorum et Germanorum. *Gaeſa* certe a Tranſalpinis dicta ſunt pila, quae propterea a Virgilio Aen. 8, 661. ſ. vocantur *Alpina Gaeſa*: ad quem locum Servius animadvertit, viros fortes a Gallis Gaeſones fuiſſe appellatos: unde patri Traiani nomen iſtud videtur datum eſſe ob rem bene geſtam. Solebant etiam cives Romani barbara patrum nomina in monumentis apponere [c. 3.]. Capite *quarto* explicantur verba VET. ALAE AFROR. Veteranorum conditio illorum temporum cognoſci debet e titulis utriusque Codicis. Alae et cohortes conſtabant hominibus eius civitatis, cuius nomen haberent: at ſuppletae tamen reperiuntur militibus eius civitatis, in cuius finibus praeſidia agerent. Sed tempus, quo ala Afrorum meruerit ad Rhenum, ignoratur. Caput *quintum* aggreditur exponere alteram Monumenti partem. Traianus in medio accumbit ad menſam cibis inſtructam: ad pedes eius ſtat puer; ſupra Traianum viſitur Victoria alata, et utrinque leo rugiens. nam in monumentis addebantur ſigna et imagines rerum, ut canum, equorum, puellarum, ſervorum, quibus vivi delectati eſſent. Tota imago referre videtur epulas in campis Elyſiis. *Sextum* Caput perſequitur argumenta et ornamenta lapidis. Ea ſunt vel communia, ut lectus cum pulvino, menſa tripes, cibus, poculum, ſervus decuſſatis manibus adſtans: vel propria, ut ſyntheſis, ferculum in menſa, mantile, gutturnium, ſervus paenulam geſtans, et tunicam infra paenulam. de quibus ſingulis accurate diſſeritur, etiam loca quaedam ſcriptorum veterum emendantur, ut Terentii Adelph. 4, 2. 46. ubi pro *in ſole* legendum *inſulae*; et Pomponii Melae 2, 1, ubi verba ſunt ita disiungenda, *Inter epulas, quot quisque interfecerit, referre, laetiſſima et frequentiſſima mentio, binisque poculis, qui plurimos* retu-

retulere, perpotant. Is inter locantes honos praecipuus eſt. Manus decuſſatae non ſunt ſignum hominis lugentis, ut opinatus eſt Cuperus, ſed otioſi, et iuſſa domini exſpectantis. Mantilia inſternebantur menſis, erant villoſa et fimbriata, ſed mappae pendebant a coenantibus. Caput *ſeptimum* docet, figura Victoriae, non Tritonis, qui nullas habet alas, ſignificari amiculam M. Traiani. quod eo valde probabile ſit, quod veteres ſolebant nomina hominum exprimere et demonſtrare figuris pictisque imaginibus. Victoriae autem nomen tributum fuit multis feminis. Leones poſſunt additi eſſe vel ad iniiciendum terrorem furibus, vel ad ſignificandam Traiani fortitudinem. Caput *octavum* oſtendit originem fabulae de hoſpite mortuo, et de pecunia eius qua templum Dodenwerdenſe exſtructum credatur. *Dode* enim, praeter alia, mortuum, et *Weerd* hoſpitem, cauponem, notat: menſa autem ante Traianum poſita viſa eſt imperitis numularia. At vicus ille ita dictus eſt vel a prato, cuius poſſeſſor fuerit Dodo quidam; vel a typharum multitudine, ut *Dodewoert* ſit locus paluſtris et uliginoſus; vel ab anſerum anatumve pullis, nam *Dode* etiam typham, et, ut omnis avis, ita anſeris praecipue, pullum ſignificat. Caput *nonum* de tempore quaerit, quo vixerit Iucgumattius. Videtur autem vixiſſe Traiani ſaeculo: id quod et nomen eius declarat, et os imberbe. nam Romani, quum ſaeculo ab V. C. coepiſſent barbas ponere, eas alere denuo inſtituerunt aetate Imperatoris Hadriani. Et ut lapis primo ad ſepulcrum eius poſitus erat, deinde turri templi Dodenwerdenſis inſertus; ita ad Dodenwerdam propterea ſepultus videtur, quod ibi erat via publica. honoratiores autem cives, et in his veterani alarum, tumulabantur ad vias publicas. Quam per occaſionem diligenter diſputatur de aggeribus, ſive viis militaribus, ad Vahalin et ad Rhenum. *Decimo* Capite docetur, Monumentum ipſum eſſe e creta: turrim vero templi Dodenwerdenſis e lapide Antunnacenſi, ita dicto ab Antunnaco, opido vetuſtiſſimo ad Rhenum.

Atque ex his facile poterunt exiſtimare lectores noſtri, quantae divitiae antiquitatis, maxime Romanae, inſint in hoc Opuſculo, quae invitare rerum antiquarum ſtudioſos debeant, et allicere, ad id diligenter legendum. In Addendis, praeter epiſtolam *Cannegieteri* ad Auctorem diſſertationis de epiſtolis Apoſtolorum idiographis, dignum quod memoretur eſt Monumentum Valentis Bititralis, veterani ex ala prima Thracum, quod nuper in villa Velſena Gerardi Papenbroeckii fuit, ſed nunc Leidae viſitur, et cuius argumento argumentum Monumenti Dodenwerdenſis mirifice illuſtratur.

SOLIDITAS ET AREA SUPERFICIERUM FRUſtorum ungularium reſectorum a Cylindris rectis, quorum baſes ſectiones conicae etiam altiorum generum ope calculis inveſtigatae a IOSEPHO STEPLING, S. I. Presbyt. Aſtron. Speculae Pragenſis Coll. Clement. Praef.

Dreſdae et Lipſ. apud Waltherum, plag. 7. et 2. Tabb. aeneae, in 4.

Inter eximias, in quibus ſingulari arte in applicandis recentioris methodi, quae ſub nomine calculi differentialis atque integralis inclaruit, partes, merito referendae ſunt ſuperficies ac corpora, quae ex ſectione Cylindri, ſeu inflexa paulisper definitione cylindri Euclidea, cuiusvis corporis Cylindrici oriuntur, ac fruſta Cylindrica corporaque ungularia vocantur. Enituit quidem iam in iis conſiderandis ſagax *Sereni Gregorii a Sancto Vincentio*, *Walliſii*, *de la Hire*, *Iacqueti*, ac inprimis in experienda recentioris Infiniteſimalis calculi circa illa dexteritate ac univerſalitate *Krafftii* diligentia. Cum vero perquam reverendus *Steplingius*, ad exercendam elegantem hanc Analyſeos Mathematicae partem, hoc etiam Ungularum aliorumque fruſtorum Cylindricorum genus accuratius conſiderandum aſſumpſerit, et in iis occupatus in aliam, ab eorum via plane diverſam inciderit: tantum abeſt ut eius labor in ordinandis, accurate demonſtrandis, ac com-

combinandis iis propoſitionibus, quae fruſta haec ungularia concernunt, et ab aliis iam conſideratae ſunt, ſupervacaneus ſit, ut potius Auctor S. Reverendus eximiam laudem mereatur, quod elegantem hanc Geometriae partem in ſyſtema redegerit, illuſtrarit, illamque iis etiam, quibus non datur facultas eam ex vaſtis et rarioribus Geometrarum Voluminibus perdiſcendi, cognitam reddiderit. Nos, ut eximium hoc opus commendemus, praecipua eius capita indicabimus. Summe R. auctor erudite agit Cap. I. de Sectionibus Cylindricis: Cap. II. de variis expreſſionibus generalibus diverſorum fruſtorum ex Cylindris reſectorum: Cap. III. de fruſtis cuneiformibus Ungularibus, et ungulis Cylindri circularis recti: Cap. IV. de ungulis, aliisque fruſtis Cylindri Parabolici recti: Cap. V. de fruſto cuneiformi, ungulari, et ungula Cylindro-Elliptici et hyperbolici recti: Cap. VI. de fruſtis cuneiformibus et ungularibus Cylindrorum rectorum, circularium, parabolicorum, ellipticorum, infinitorum generum. Tandem Cap. VII. accedit explicatio ſuperficierum fruſtorum cuneiformium, et ungularum Cylindrorum rectorum.

SYLLOGE NOVA EPISTOLARUM VARII ARGUmenti. VOLUMEN PRIMUM, Libros quatuor priores continens.

Norimbergae 1720. impenſis heredum Felſeckeri, 2. Alph. 4. pl. in 8.

Vere hoc animadverſum eſt, nihil minutum putari oportere, in quo ſummi viri operam collocarint, atque id multo minus ab iis, qui ab univerſa illa arte ſint remotiores: quod multa prima ſpecie inutilia videantur, quae tamen ideo non ſint, ſi rem velis accuratius conſiderare. Et, ſi boni patris familias eſt, proſpicere de multis rebus, quibus deinde ne opus quidem ſit; ita etiam philologi boni, multa annotare ſolent, quorum ſi nulla deinde utilitas ſit, tamen id ſpectant, ut ea, quae utilitatem habent, ubi opus fuerit, praeſto ſtatim

ſtatim ſint. Verum ii viri ſolent haud raro accuſari a nonnullis, quaſi ſtudio antiquitatis provehi ſoleant eo, ut ſaepe res minimi momenti commentando illuſtrent. Quibus ſic occurrimus: in omnibus artibus occurrere haud raro, quae ſupervacanea primum intuenti videri queant, deinde tamen maximos fructus ex ſe pariant ipſa. Neque tamen hoc negaverimus, haud raro res vanas curari, quaſi ſint magnopere ſeriae. Sed danda eſt haec libertas ingeniis humanis, ut in artibus, quas colunt, etiam luſus quaſi aliquos innoxios habeant. Secuti itaque ſumus ab omni tempore id inſtitutum, ut eos laudibus excitaremus, qui nobis collectiones optimorum in ſuo genere ſcriptorum tradiderunt, praeſertim vero obſervationes, quibus in promtu ſitis; felicius quoddam ingenium facile ut materia utetur, ac, ſi optio daretur, materiam mallemus ſine artifice, quanquam eam informem fortaſſe, quam artificem ſine materia. Quamobrem, cum praeſentis libelli duplex haec dos ſit, primum ut multa egregia habeat, quae partim elaborata iam ſint, partim ita collecta, ut pulcerrimum opus conſtrui inde queat, nos eum merito laudamus. Habet autem in ſumma ubertate tantam diverſitatem, ut fere omnibus in univerſum placere, et ſingulis hic liber, in tanta ingeniorum ſtudiorumque varietate, poſſit. Seu te verborum et phraſium rationes, emendationesque criticorum delectent, plurima in eam rem in hoc libello invenies; ſive antiquorum rituum, nominum, dierum enarrationes; ſive laetiores philologiae proventus, ſive etiam ipſa philoſophia et theologia quoque, ubique invenies aliqua, quae tibi Lector Benevole poſſint placere. Offerunt ſe vero ſtatim ab initio tibi Theoph. Sigfr. Bayeri, ſummi viri, ad Io. Math. Geſnerum epiſtolae, dignae ſane illae commemoratione, habent enim egregia quaevis, ſed tamen ea, quae huc transferri non queant, quod ſingula exſcribenda fuiſſent. Sed nobis praeter ceteras placuit epiſtola ea, qua narrat, relictis latinis et graecis meſſibus, olim exhauſtis, ad Orientis antiquitates ſe contuliſſe, quod ea a nemine fere tractatae fuerint. Scimus enim omnes, quantus

tus in hiſtoria Orientis Bayerus fuerit; qua in re ſummam laudem ſibi peperit, gratiamque iniit in rebus obſcuriſſimis illuſtrandis ſummam, quae nulla, certe a nobis, non eſſet, ſi aetatulam in explicandis veterum veſtibus, aut ſupellectile culinaria, conſumſiſſet. Praecipue vero nobis haec ſapientiſſime ab eo dicta placent: *Saepe ad me redeo ex illo genere laborum meorum, et mecum, id eſt deo vivo, ne dum alios, ſeu iuvare, ſeu delectare ſtudeo, mihi deſim. Quantillum hoc eſt quod ſapimus!* Quibus paucis verbis ſapientiam eam oſtendit, quantam nullis obſervationibus criticis declarare potuiſſet. Iniicitur vero perſaepe mentio Luciani ab Hemſterhuſio Geſneroque edendi, quod eorum cauſſa annotamus, qui incunabula luculenti illius operis ſcire voluerint. Bynckershoeckii epiſtolae ſequuntur eleganter ſcriptae ad diverſos, ut illius viri omnia ſunt. Sequuntur has Mat. Veyſſ. la Croze epiſtolae. Quae varia continent, partim ad religionem Indorum, idque chriſtianam, partim vero ad litteraturam Indicam pertinentia; quibus ille vir illuſtrandis ſummam gloriam conſecutus eſt. Nobis ſat eſt indicaſſe, quae invenerimus, neque enim hae res in compendium redigi queunt. Nicolai Engelhardi, eius qui inter primos Wolfii ſectatores fuit, aliquot ſunt epiſtolae inſertae, quae lucem in controverſias Wolfianas poterunt inferre. Sed ea in re minime nos iudicabimus, invidioſa enim res ab initio fuit, et futura eſt. Dorvillii epiſtolas legiſſe neminem poenitebit, ſunt enim lepide ſcriptae. Verum iis, qui veterum Romanorum hiſtoria delectantur, et antiquitatibus, gratum erit pabulum in iis quae Alphonſus des Vignoles ad Almeloveniium, de Conſulum ſerie, Annalibusque emendandis, ſcripſit, idque valde prolixa epiſtola. Diſſertationem potius appellaremus, niſi quod ad unum ſcripta eſt; ſed habet ea, uti ſummae induſtriae, ita etiam maximae eruditionis monumentum. Commendamus vero illam vehementer, nec veremur ne accuſemur ab iis, qui eam legerint, quaſi temere laudaſſemus. Io. Chriſtoph. Wolfii epiſtolae laeto et abundanti dicendi genere ſunt factae, et egregia multa habent, quae nobis ſe valde proba-

 runt;

runt; quanquam tantum obiter pleraque ſcripta videantur. Claudunt agmen Th. Wopkenſii epiſtolae, et hae ipſae bonae. Sufficiat itaque haec potiſſimum de prima primi voluminis parte annotaſſe: eſt vero id volumen in quatuor partes diviſum. Offert ſe in fronte Vol. ſecundi Gisbertus Cuperus, cuius epiſtolae ad Almelovenium et Fabricium ſcriptae, interdum res maximas, interdum vero etiam minuta quaedam annotant, familiarius enim ad amicos ſcriptae ſunt, ubi parvis etiam rebus quandoque locus conceditur. Sunt tamen non minus multa optimae frugis, e. c. de nonis piis i. e. Aprilibus, quod Commodus Imp. et ſe pium appellari inter ceteros titulos, et ſingulos menſes ex uno agnominum ſuorum nominari voluit, ut itaque Aprilis *pius* diceretur, quanquam id cum vita Imperatoris ſublatum eſt. Praecipue vero iis, qui ſeriem Conſulum Romanorum avide addiſcunt, Cuperianae epiſtolae negligi nullo modo debent, quae multa in ſupplementum eius rei praebent, ſummi ingenii, excellentis memoriae, infinitae lectionis. Floridam epiſtolam inter eas invenimus, qua ſummus vir veterum rationes et opiniones, quomodo incantationibus deos et manes defunctorum cogi poſſe putarent, annotavit. Emendat Cuperus ſaepe veterum loca diligenter, explicat ſubtiliter, coniicit feliciter, et quanquam ad amicos, tamen doctiſſime omnia ſcribit. Quem ſuademus evolvant, qui philologiam ac criticen ſeveriorem amant; invenient enim, quibus delectentur, plurima. Laetiora vero ingenia, alia laetiora invenient in Cuperianis epiſtolis. Nobis, uti omnia, ita praecipue candidus huius viri animus, et ingenua quaedam ac nativa virtus, placuere. Pacis amans, amicus ſuis, propenſus in bonas litteras et in doctos viros, paucis dicemus, eruditione ut admiremur facit, his virtutibus ut etiam amemus. De legione fulminatrice, de cruce Conſtantino viſa in nubibus, egregia quaedam ſunt. Negat enim Cuperus, quod Fabricius defenderat, meteoron tantum eam crucem fuiſſe, ſed aliquid plus potius, ac deinde quomodo eius rei figura inter inſignia haberi coeperit, declarat. Tertia parte ſunt epiſtolae, primum Io. Anderſoni

ad

Digitized by Google

ad Ott. Sperlingium, qua ſe ait MSS. Meieriana emiſſe, illuſtrantia voces Saxonicas, et veteres, et noſtras, ex aliis ſeptentrionalium populorum linguis. Rogat itaque Sperlingium, peritiſſimum harum rerum, ut ſibi fontes eius rei, ſi quos forte praeterea noſſet, et ſi quid in eam rem annotaſſet, indicare velit. Digna praeterea attentione noſtra eſt (nam minoris pretii epiſtolas omittimus,) Benedicti XIV. papae ad Praeſules Germaniae epiſtola, (Breve ſolet dici,) anno 1755. ſcripta. Quam ſperamus noſtrorum temporum hiſtoricis non iniucundam lectu fore. Proteſtantes, ait, allaboraſſe, ut Fridericum Caſſellanae Haſſiae heredem alienarent a ſalutari inſtituto, quo romanam religionem ſit amplexus, eaque in re patrem principis eos ſocium habuiſſe; ſe vero hunc Franciſco Imperatori et Thereſiae commendaſſe. Dolere ſe, quod Proteſtantes Ratisbonae Concluſum fecerint abſonum, pernicioſumque orthodoxae religioni. Hortatur itaque Epiſcopum quemque, ut ſe his Acatholicorum conatibus fortiter opponat. Nota tota res ex hiſtoria noſtri temporis eſt, quam ob rem nihil praeterea addimus. Alia epiſtola Beverlandi ad Baeleum eſt, qua multa is de odio Theologorum, peſſima Latinitate, ſcribit. Tortuoſus ipſe, tortuoſa eius ſcriptio. Queritur, eos Creechii ſuperbiam voluiſſe deprimere, qua de cauſa vir ille mente motus deceſſerit: „*Exteruati animi exuvias inſeruit hederis Epicuri.*" Qualis Latinitas! Sed certe, qui omnis ſuperſtitionis profligator erat, non miramur ſi is grammaticae ſuperſtitioni generoſum animum addicere noluit. Se itaque nunc, ait, propter amicorum perfidiam ex Anglia redire in patriam velle; quod ſi hic quoque male a concionatoribus excipiatur, ſe in Angliam rediturum. Magna ſane iactura, ſi tantus vir abit! Quin ſibi etiam iocoſus videtur: e. g. cum Voſſium narrat moribundum ſacerdoti ſacram coenam offerenti reſpondiſſe: *doceto*, *quomodo poſſim meos colonos compellere ad penſiones ſolvendas*. Quantum acumen! barbara ratio ſcribendi, nihil feſtivum, nihil elegans. Vere puerilia omnia. Bene agitur cum religione, ſi hos homines adverſarios potius, quam defenſores habet,

 quos

quos niſi inſania et protervitas, ingenium certe nunquam celebres faceret. Io. Andr. Boſius ſumma cum eruditione de Philippis Imp. et nummis eorum agit. Eſt etiam Epiſtola aliqua Sam. Crellii ad Ioach. Langium, quod Langius paulo vehementius, ut Crellius putabat, ſe erroris in Trinitate admonuiſſet. Exaravit itaque Crellius hanc epiſtolam valde aſtutam, ſumma cum ſpecie modeſtiae, qua ſe ſuosque variis modis commendat, adverſariis invidiam facit, Langium vero amice et callide exagitat. Vult enim, caritatem obtinere ubique debere, hanc obſervari a ſuis, ab orthodoxis non item. Cuperi ſequitur epiſtola, quae varia Velleii loca emendat. Eam ſequuntur aliae eiusdem viri, dignae quae legantur; exempla enim ſunt et doctrinae inſignis, et probitatis morum. Quibus ſane epiſtolis varia Fabricii ſcripta, ſunt enim ad Fabricium ſcriptae, commemorantur, illuſtranturque laudibus ac annotatiunculis, aliorumque etiam laborum, quos eruditi homines ſuſcepturi ſint, iniicitur mentio. Dulcis res iis, quibus monumenta doctorum virorum grata ſunt. Epiſtola alia cuiusdam viri docti, inſtitutum praelegendorum iuventuti auctorum veterum, contra quosdam inepte religioſos, optime defendit. quam ut ſecum revolvant ii, qui antiqua contemnunt, nec meliora ſubſtituunt, vehementer optamus. Sunt praeterea variae litterae a Io. Grammio ad Fabricium ſcriptae, de optimis rebus, ſed quae de gratia ſua plurimum amitterent, ſi huc transferri paucis verbis deberent. Leibnitii quaedam inſeruntur poſthaec, quibus huius viri imago quaſi expreſſa eſt. Itaque, uti Plinius aliquo loco ait, *Natura nusquam magis, quam in minimis tota eſt:* ita quoque Leibnitii ſummum ingenium vel paucis his epiſtolis ineſt. Nobis vero ea praecipue placuit, qua de ordine diſputat, quo ſit procedendum in defendenda religione Chriſtiana, Criticenque ad hanc rem utiliſſimam eſſe. Minus ſe nobis ea probabat, quae neſcimus quam lenitatem adverſus Pontificios ſuadet, quos ille ut optimi animi homines nobis depingit, praecipue Principes eorum nonnullos; non itaque nobis magnopere ab illis timendum eſſe. Narret

Digitized by Google

ret hoc iis, qui ungues leoninos experti nondum ſunt, nobis vero haudquaquam, novimus enim quid interſit. Ad hiſtoriam medii aevi qui animum appulit, varia inveniet variis in epiſtolis, quibus optime queat uti. Sic Schannati et Schminckii epiſtolae varia huc conferunt. Anderſoniis, quas dicebamus, Sperlingianae reſpondent, refertae litteratura veterum Septentrionis linguarum. Placuit vero nobis non minus Vitebergenſium Theologorum ad Herm. Hardtium, patrem novarum opinionum, epiſtola, qua illum hominem in ſumma caritate ita depexum dant, ut voluptas mera ſit haec cognoſcere.

Habemus itaque ſummas gratias, cum ipſi collectori, de inſtituto utiliſſimo ſvaviſſimoque, tum praecipue ſummis viris, qui laudabile hoc conſilium adiuvant, quo nihil in bonas litteras amantius fieri poteſt. Rogamus vero omnes, qui has paginas noſtras legerint, ut, quantum poſſint, de auctore, de nobis, de re litteraria demereri, mittendis ſi quas habeant, ſummorum virorum epiſtolis, velint.

ROBERTI LOWTH, A. M. COLLEGII NOVI SOcii, et Poeticae Publici Praelectoris, de Sacra Poeſi Hebraeorum Praelectiones Academicae, Oxonii habitae. Subiicitur Metricae Harianae brevis confutatio, et Oratio Crewiana. Notas et Epimetra adiecit IOHANNES DAVID MICHAELIS, Philoſ. Prof. Ord. et Societ. Regiae Scientiarum Goettingenſis Collega. PARS POSTERIOR.

Goettingae 1761. ſumtibus Pockwizii et Barmeieri, a pag. 339-778. cum indice, et trium Pſalmorum verſione theotiſca, pagg. 16. conſtante, in 8.

Explevit tandem feliciter vota plurimorum, abſolvi praeclaram operis utiliſſimi editionem cupientium, Celeberrimus Michaelis, quem vix defunctum eo labore Potentiſſimus Magnae Britanniae Rex nomine honorifico Conſiliarii aulae ſuae inſignivit. At ille dum reliquam operis partem,

tem, pulchriorem et ipſam opera ſua, in luce Germaniae collocat, Lowthum quoque, cui fama deceptus exſequias iverat Partis in prioris praefatione, rebus humanis reſtituit: gratiſſimo lectoribus omnibus de tanti viri vita nuncio: quem etiam humaniſſime compellat in Partis huius limine, ſuarumque annotationum iudicem vult ſedere primarium.

Nobis autem neque hoc loco videtur multis vel de argumento operis, vel de praeſtantia dicendum. Iſtud quidem viro magno et feliciſſima non Graecarum modo Latinarumque litterarum, ſed divinorum inprimis librorum interpretatione excellenti, qui nuper ſententiam de libro Lowthiano dixit, merito adſentimur, praecepta hoc libro propoſita de interpretandis Hebraeorum poematis adeo nova non eſſe, ut nemini potius qui veterum muſis operam dederit, non dudum cognita et ipſo uſu exploratiſſima eſſe debeant; ſed haec ipſa accommodandi has regulas carminibus ſacris peritia, hoc felix noſtri acumen in perſpiciendis iis, quae poeſis ſacra elegantiſſime et ſummo dicta artificio habeat, haec igitur nonne novas eſſe in ſcriptore dotes agnoſcas, comparata cum illis vulgarium interpretum ſocordia, qui ad alia omnia, quam ad verae et communis poetices leges referunt illa divino ſpiritu edita poemata, faciuntque nimium intelligendo, nihil in illis ut intelligant. Certe qui carminis Hebraici naturam et vim, eundo per ſingula illius genera, ediſſeruerit imo expreſſerit rectius Noſtro, ſubtiliusque, quamvis diligenter quaerentibus, occurrit nemo.

Iam vero de Obſervationibus potius V. Ill. Michaelis dicamus, adſperſis huic quoque volumini, quae et multae ſunt, et egregia rerum ubertate refertiſſimae; quaedam etiam ad Diſſertatiunculas ſingulares excreverunt. Quarum ſi maiorem partem adſcripſerimus, non hoc agere nos Lectores exiſtiment, ut dignam doctrina ſua operam libro huic navatam eſſe a Viro Celeberrimo oſtendamus, ſed ut appareat, quam non carere hac operis editione vel ii poſſint, qui exemplum quale ab Auctore vulgatum eſt, teneant; deinde, ut poetices in univerſum ſtudioſis, magisque etiam

iam explicaturis propheticos poeticosque V. Foed. libros eadem illa commendetur.

Nam profecto adnotationes pleraeque omnes, quas Ill. Viro debemus, certam et praeſentiſſimam oſtendunt interpretibus utilitatem. Explicaverat Lowthus Praelectione XIX. parallelismi poetici vatum ſacrorum rationes et ſpecies diverſas. Statim ſubiungitur Epimetron Editoris a pag. 382 - 392. de Uſu huius Parallelismi Hermeneutico. Neceſſaria vero admonitio eorum interpretum cauſſa, qui cum ſeiunctam ab omni humana lingua divinam exiſtiment, faſtidioſam in eiusmodi repetitionibus, membrorumque parallelismis, qui frequentiſſimi occurrunt, ſtatuunt legem: cuivis membro ſuam eſſe peculiarem ſententiam, verbaque eius ita accipienda, ut aliquid dicant, ſuperiori membro indictum; nec enim decere Spiritus S. ſapientiam et parſimoniam, dicere quod dixerit; omnem ex divino libro tautologiam elliminandam. Sed ſaniora docent vel inſpecti loci innumeri, quibus aut ſynonyma, aut antitheta, aut ſententiae parallelae componuntur, qua concinnitate neglecta, vehementer ieiuna prodit interpretatio. Illa v. c. Pſ. XXII, 32.

יבאו ויגידו צדקתו
לאם נולד כי עשה

quum redduntur:

Venient et indicabunt iuſtitiam eius populo naſcituro,
Quia fecit,

omni exuuntur membrorum conſonantia, cum contra haec verſio:

Venient et profitebuntur veritatem eius;
Populo naſcituro, quod fecerit;

h. e. profitebuntur populo naſcituro, quod perfecerit promiſſa ſua, haecque de me illuſtria vaticinia impleret; cum haec, aimus, verſio et aptiſſimum exprimat parallelismum, et ab ipſo accentuum auctore probata ſit: vox autem צדק Arabum et Ieſaiae uſu ſaepiſſime veritatem denotat. Quid? quod addi poteſt, eam interpretationem praecedenti quoque

Digitized by Google

que verſu 31. firmari. — Eiusdem paralleliſmi beneficio verba Pſ. CXXXIX, 20. obſcuriora:

אשר ימרוך למזמה
נשאו לשוא עריך

illuſtrat hoc modo V. Cl. Oſtendit, poſterius hemiſtichium hunc habere ſenſum: *Qui peierant per urbes tuas*, nimirum Sichemum, Hieroſolymam, et alias, more ex Matth. V, 35. noto. Itaque et priora verba deducunt nos ad *peierantium per nomen divinum* impietatem. Quinam Ieſ. XXVI, 14. ſint רפאים, *medici* an *gigantes*, an populus aliquis, dubitabis, donec attendens ad *mortuos* ſuperioris membri, *inferos* agnoſcas in hac voce. In explicandis בצורי ישראל incerti errarunt interpretes a *ſervandis* inde usque ad *vaſtandos*. Sed vel illud prioris membri שבטי *ſtemmata* ſeu *rami*, ſimilem ſuſpicari imaginem iubet. Eſt autem Arabibus בצר *virere*, unde Ieſ. XI, 1. *ſurculus* בָּצֵר dicitur; noſtro loco בצורים *rami* inſolentiore vocabulo dici potuerunt.

Obſ. 93. ſententiam Lowthi, praedicantis ſublimitatem Ezechielis, quae vel Ieſaianae par ſit, quamvis in genere diſſimillimo, oppugnat V. Ill. traditque videri ſibi illum in exornandis amplificandisque imaginibus plus artis et luxuriei habere, quam cum impetu et ſublimitate poematis conſiſtere poſſit. Perpetuum aliqua ex parte imitatorem eſſe, et tamen novum ac ſuum, non grandem ſed ingenioſum; imagines enim, quibus iamdiu ante poeſis Hebraica adſueverit, inventas ab aliis, ſed ſtrictim uſurpatas, totas illum abſolvere, itaque plene, ita copioſe pingere, ut nihil addi poſſe aut in mente lectoris relinqui dixeris. Cuius iudicii defendendi cauſſa, comparat cum locis Pſ. LXXVIII, 48. Deut. XXXII, 24. Ieſ. XXXIV, 6. 7. et Habac. III, 5. uberrimam Ezechielis deſcriptionem, C. XXXIX, 17-20.

Obſervatio 96. de carmine Hebraeorum Alphabetico diſſerit. Prima forte huius artificii origo in lamentis fuit, ut ediſcentium ea praeficarum memoriae conſuleretur: paullatim ad alia carmina a pueris et plebe ediſcenda translatum,

neque

neque ars adeo exilis in tanto apud Hebraeos honore fuiſſet, niſi eam prima vulgaſſet in threnis neceſſitas. Noſtros autem poetas merito illius pudet, abſterretque ab eadem vel linguae natura. Et ipſi Hebraei in hoc carminis genere nonnihil licentiae ſibi arrogarunt; ut v. c. Pſ. XXV. littera ו non verſum, ſed poſterius hemiſtichium verſus 5. exordiatur, Kuph vero v. 17. in media duntaxat voce poſitum ſit. Sed quod eodem et XXXIV. Pſalmo poſt ת verſus alius addatur a פ incipiens, id quidem a duplici litterae פ adpellatione, forte ſigno aliquo diſtincta olim, ut apud Arabes, repetendum videtur Viro Doct. Adiicit protinus Obſ. 97. ſibi ſententiam eorum, qui Threnos Ieremiae non in urbis excidio, ſed in obitu regis Ioſiae compoſitos fuiſſe exiſtiment, prope certam videri, cum nihil in illis legatur, quod non caeſo Ieremia veriſſime canere Propheta potuiſſet, et ad hos threnos aperte digitum intendat locus 2 Paral. XXXV, 25. denique occurrant in illis quaedam, quae ſeriori tempori minus apta ſint.

Obſerv. 100. Pſalmi XLII. elegantiae declarantur, quem eo tempore ſcriptum putat Cl. Editor, quo filium degenerem fugiens David, ad tutas ſe Libani radices receperat, quod eum feciſſe 2 Sam. XVII, 24. 26. 27. docet. Mox de miraculo ſtantis iubente Ioſua ſolis lunaeque ita diſputat, adiutus interpretatione Habacuci, III, 11. ut crebros fulminum iactus, coelumque ſemper patens, Iſraelitis dicat pro ſole fuiſſe, totamque adeo noctem illuſtraſſe, ut nullibi latere fugientes potuerint: haec aliquem poetam, libro Iaſar inſertum, atque ab Habacuco grandiſona et brevi imitatione delibatum, hac figura efferre auſum eſſe: ſolem lunamque in medio coelo iuſſu Ioſuae ſtetiſſe. Ipſo quidem in praelio graviſſimam tempeſtatem Phoenicibus immiſiſſe Deum, teſtari hiſtoricum ſacrum, quae facile per totam noctem durare potuerit. Eidem narrationi miraculi fidem detrahere, ſed alia ratione conatus eſt clariſſimus SS. litterarum interpres, *Heumannus*, edita ante paucos annos interpretatione duorum locorum difficilium V. T.

Cum omnem Odae diverſitatem in tres ſpecies incluſerit Lowthus, quarum prima ſuavitas ſit, altera ſublimitas, tertia medius quidam et ex utraque temperatus color: Noſter in primo illo genere, quod totum ſuavitatis eſt, feliciſſimum fuiſſe Davidem exiſtimat, (Obſ. 106.) ut, cum agrorum, ſilvarum, fontium naturam deſcribat; ex reliquis etiam odis has maxime praeſtare, quas in utroque exſilio cecinerit: otio enim illum tunc abundaſſe poetico, adfectus expertum vividiores, eamque oculis et animo obiectam ſpectaſſe naturam, cuius ex prima iuventute memor iterum tamquam iuveneſceret. Contra mediocriter ait ſenſus ſuos affici iis Odis, in quibus ſaevior adfectus dominetur; ſive triſtitiae, ſive indignationis. Satis quidem in illis elegantiae eſſe, ſatis in Pſalmis iis qui mala omnia hoſtibus apprecentur, dirarum, atque etiam imprecationes exquiſitas, ſed quas legens minus animo commoveatur et percellatur.

Obſervatione 117. interpretes Pſalmorum triplicem errorem fugere iubentur. Sunt enim, inquit Vir Ill. qui ex hiſtoria Pſalmos interpretantes ita agunt ac ſi omnia noſſent, nec quidquam ſub regno Davidis accidiſſet, quod non memoriae ſit proditum. Quod in tanta hiſtoricorum ſacrorum brevitate, rerumque geſtarum magnitudine et multitudine, veri eſt diſſimillimum, patetque in hiſtoria belli Davidici cum filio, comparantibusque hiſtoriam 2 Sam. VIII, 15. cum Pſ. LX. Ergo illi plures quam fas eſt Pſalmos eadem de re explicant, quam forte ex hiſtoria norunt: unde fit, ut languere carmen, ſolisque abundare verbis videatur, nulla ſcenae varietate delectans. Alii magna utuntur fingendi licentia, quamque ex commentariis antiquorum haurire nequeunt, ſolo ſe ingenio ſupplere poſſe ſperant hiſtoriam: quo in genere non pauca peccaſſe videtur ſcriptor vitae Davidis, *Patricius Delanius.* Plerique ad ſententias morales et ſenſus myſticos confugiunt, aut quae non intelligunt hiſtorica, vaticinia eſſe iubent: nihil horum facturi, niſi nihil hiſtoriae ſe ignorare putarent. Addit V. Cl. multum ſane nos ſemper in hiſtoria Davidis ignoraturos; ſe tamen ſuſpicari, ex

his

his ipſis quae ſuperſint, monumentis multa paſſim ſparſa et ignorata colligi, uberioremque tanti et viri et regis hiſtoriam conſcribi poſſe, ſeque ipſum nonnumquam cepiſſe conſilium vitae Davidis enarrandae. Hunc certe eas res geſſiſſe, ut cum maximis ſeculi noſtri regibus comparari poſſit; magni, licet non diuturni, imperii fundatorem, imperatorem maximum, militem non deteriorem, auctorem praeterea fuiſſe diſciplinae militaris et artis bellicae, quae ante ipſum vix ulla in populo Iſraelitico fuerit.

Subiectum Praelectioni XXVII. Epimetron illuſtrat Pſalmos, XXIX. et LXVIII. Illius quidem lectores admonet, ut, ubi terrarum, et qua in gente, Dei maieſtatem a tonitruum terrore laudet vates, perpetuo ſecum cogitent: in Palaeſtina nempe, cui tempeſtates ab Occidente aque mari mediterraneo ingruunt, graviſſime in iuga Libani detonaturae, indeque Arabiae deſerta petiturae; interque Iſraelitas, quibus fulmen curruſque tonans, prorſus ut Graecis, inſigne veri ſummique Dei ſit, cui hoc telum hocque ſolium, ipſi etiam vanorum numinum cultores ſacrum ſuumque relinquebant. Eidem tonanti Deo, volucrem currum agenti, ſeptenarium etiam numerum dicari; huc enim ſpectare artificium Pſalmi, ſepties illud קול יהוה (*vox Iehovae*, ſeu *tonitru*,) repetentis, ut myſtici etiam numeri uſu, omnem tonitruum gloriam terroremque principi Deo conſecret, qui ſeptem diebus coelum terramque perficiens, ſeptimum ſibi diem feſtum eſſe ſtatuit. Atque haec nova Pſalmi verſione, adiunctaque vocum obſcuriorum illuſtratione, confirmat. Longius in Pſ. LXVIII. verſatur, quem reliquos ſublimitate vincere exiſtimat, et Moſaici pene ingenii vocat. Tamen neque totum intelligere ſe fatetur ultro, pro humanitate et modeſtia magnis ingeniis propria. Iſtud manifeſtum eſſe ait, initium Pſalmi, et minimum XIV. priores verſus, non de victoriis Davidis agere, ſed de itinere Iſraelitarum per deſertum, rebuſque Moſe et Ioſua ducibus fortiter geſtis. Etiam hoc liquere arbitratur, plura Dei ſanctuaria cani, idque ad argumentum Pſalmi primarium eſſe referendum.

Digitized by Google

Sed dignae ſunt quas hoc loco copias doctrinae effudit Vir Ill. ut ab ipſis perluſtrentur lectoribus. Obſcuritatem autem, qua inde a verſu 15. laboret Pſalmus, non a ſola linguae et hiſtoriae inſcitiae, ſed forte magno ab ipſius lectionis vitio, in qua verba quoque non pauca omiſſa ſint, ducendam putat; certe pro צלמון legere, quamvis nullo auctore, mavult ציון, quae vox omnia reddat expeditiora.

Obſervatione 121. commune multis Pſalmorum interpretibus receptaculum, ut, ubicunque ſenſus impeditior ſit, aut nova quaedam explicatio valde placeat, ſtatim ad mutationem perſonae loquentis confugiant, licet nullum ſit in Pſalmo mutatae perſonae indicium, (praepoſteri in eo *Sal. Tillii*, interpretis non ignobilis, imitatores,) diſturbat. Latent quidem aliqua dramata, forſitan non pauca, ſed in conſtituendis illis hoc cautiores nos eſſe decet, quo plura ad unam et ſimplicem orationem revocari, ſi philologiae opibus inſtructus ſis, poſſunt. Pſalmum v. c. ſecundum, qui primus vulgo inter dramaticos, idque ſine dubitatione, habetur, non ſatis tuto adſcribi huic generi oſtenditur.

Magnum eſt quod Obſervatione 123. aliisque pluribus, quae ſequuntur, docendum ſuſcipit Vir Cl. neque epithalamium eſſe Canticum Canticorum, neque allegorico ſenſu explicandum. Nuptiarum quidem dies eo carmine cani, ut credat, his potiſſimum cauſſis prohiberi ſe dicit: primo quod nulla ſit in toto carmine, tam longo, rituum nuptialium vel tenuiſſima mentio; ſolum cani amorem, nihil praeterea, non velationem ſponſae, non virginitatis iacturam, non epulas ſolennes; deinde quod ſponſus, qui putatur, tam fingitur labori adfixus, ut ipſa nuptiarum hebdomade aliquoties et convivas et novam nuptam deſerat per integros dies, gregis paſcendi cauſſa, neque noctu redeat, ſed ſolam in lecto relinquat, quam tantopere adamarit; ſponſa autem eodem tempore vineam cuſtodire debuiſſe, ob quam neglectam fratres ei ſuccenſuerint, non minus a feſtivitate nuptiali abhorret. — Si quis de ſponſo ſponſaque ante nuptias cogitare audeat, magis etiam repudiandus erit. Ea eſt enim

aman-

amantium conſuetudo; eae voces, eae deſcriptiones totius corporis, eae denique ſuſpiciones rerum ſilendarum, carmini callide intextae, quibus nihil indecentius, magisque a moribus Orientis abhorrens cogitari poſſet; cum ibi ſponſo ne videre quidem liceat ſponſam, nuptam et velo tectam, niſi poſtquam virgo eſſe deſiit. — Sed nec furtivos cani hoc carmine amores quisquam dixerit. Obſtat enim inprimis, quod ignes amantium non clandeſtini ſunt, ſed amicis et virginibus Hieroſolymae noti; deinde quod C. VIII, 5. ipſa mater ſub arbore aliqua foedere iunxiſſe filiam dicitur. — Sua igitur ſententia *caſtos coniugum amores* Cantici argumentum dicit Ill. M. Neque hoc ridiculum fore ſperat iis, qui teneant, quid noſtra inter et Orientalia coniugia diſcriminis interſit. Noſtrorum coniugiorum, (verba ipſius adponimus,) modo votis amantium reſpondeant, aequabilis eſt, nullo caſu interrupta ratio; difficultatibus et tamquam nodis carens, quorum ſolutionem exſpectes; nihil earum artium, quas Galli *intrigues d' amour* vocant; nihil novitatis; ſine quibus rebus carmen amatorium languet. Quotidiana coniugum conſuetudo efficit, ut eorum ignes ſinceri ſint, ſed leniores, quam ut poetae ſufficiant. At alia omnia in Oriente propter polygamiam. Multi in tali coniugio nodi et difficultates, multi caſus, lites, ſuſpiciones, metus, artes, victoriae. Plenum eſt inſidiarum gynaeceum maius, quibus dilectiſſimae coniugis honos quaeritur eripiturque: oſculum, noctem etiam alteri praeripere, ponitur in victoriis, Gen. XXX, 14. 15. 16. Hinc fit, ut caſtus coniugum amor carminis amatorii materia eſſe potuerit: hinc patet et iſtud, Canticum Canticorum totum eſſe Aſiatici tamquam coloris et ſanguinis.

Quae pro allegorico Carminis huius ſenſu afferri poſſunt, ea praeter argumenta theologica, omnia expromſit Lowthus. Sed ea non omnem cauti lectoris ex animo dubitationem eximere iudicat Noſter, his fere cauſſis propoſitis. Antiquae eccleſiae Chriſtianae auctoritatem in hac quaeſtione exegetica levis momenti eſſe, praecipue quod Hebraicae

 linguae

linguae et litterarum elegantiorum minus periti, myſtici autem ſenſus ſtudioſiſſimi fuerint Patres plerique; et a ſcripti carminis tempore longius remoti. Tabulas N. Foed. numquam illud vel citare, vel de Chriſto interpretari. Eandem temporis longinquitatem, et alia, Synagogae auctoritatem hoc loco ſubvertere. Analogiam aliorum carminum, amores divinos ſub humanorum imagine canentium, atque inprimis Pſalmi XLV. eo quidem valere, ut potuerit Salomo ſanctiores amores tali carmine, quale noſtrum ſit, celebrare; quid autem fecerit, quos cecinerit amores, ex illa ſola analogia numquam diſci. Argumentis potius ex ipſo poemate ductis, et rationibus internis ex operis ſtructura petitis, allegoriam eius ſtabiliendam fuiſſe; quod vero refugerit Lowthus. Veri certe diſſimillimum eſſe, in tam longo carmine, ſi allegoricum ſit, nihil omnino reperiri poſſe, quod ad veſtigia aliqua allegoriae ac divinioris amoris nos deducat; nihil quod non in libro amorum proprie ſic dictorum legi potuiſſet: idque apud Hebraeos, qui propria allegoriis intexere ſoleant et miſcere, ubi noſtri poematis leges id fieri vetent. Atque etiam hoc moleſtum eſſe, quod non liqueat, quae tam longa tot actuum allegoria, proponatur ac conveſtiatur moralis ſententia, non prorſus nota, tantaeque ſcriptionis indigens; nihil enim ex toto Cantico allegorice intellecto elicere poſſe prudentem ac Lowthi ſimilem interpretem, praeter id, quod nemini ignotum, amare Deum eccleſiam, et ab illa amari. — Si quis quaerat, quid igitur ſancti et divino adflatu digni hoc carmen contineat, ſi nihil de divinis myſteriis pandat: reſpondet Noſter, caſtos coniugum et teneros amores, ab ipſo Deo mortalium pectori tanto artificio inditos, et ex quibus humanae felicitatis magna pars pendeat, non unius voluptatis, ſed et ex virtutis praeceptis eſſe, nec indignos divinae etiam Muſae commendatione: quam nimiam felicitatem coniugiorum ſi qui faſtidiant triſtiores et truculenti morum doctores, quales innumeros vidit eccleſia, vel horum cauſſa dignum fuiſſe argumentum coeleſtis Muſae carmine. Quid? quod Salomo ipſe in Proverbiis

biis non dedignatus ſit, felicitatem et infelicitatem coniugiorum deſcribere. — Ceterum per eandem occaſionem locorum Cantici quorundam illuſtrationem adiicit V. Doct. quanto magis petitam ex interiore et elegantiore doctrina, tanto planius oſtendens difficultates libri huius interpretandi: cui ſane Commentator idoneus ad hoc usque tempus defuit.

Pervenimus ad metam curarum, quas Lowthiano libro impendit Cl. Michaelis, et quae in Epimetro ampliſſimo iuxta ac lectu digniſſimo, *de Iobi carmine, fabulane ſit an hiſtoria? itemque de poematis antiquitate, ſcopo et argumento,* deſinunt. Quod licet pertrahat nos ad ſe et ſubſiſtere iubeat, tamen quoniam pro numero et dignitate egregie in eo obſervatorum dicere de illo iam non licet, ſummam eius brevem contrahemus. Prorſus igitur verum videtur Viro Cl. fabulam illo poemate conveſtiri, eo fine propoſitam, ut diſcamus, bonis in hac vita male eſſe poſſe, praemiorum enim poenarumque locum in alia eſſe vita: id autem ſi accidat, ſapientiſſimas ob cauſſas a Deo permitti, ſed ita reconditas, ut nemo mortalium aſſequi illas poſſit, debeatve ſcrutari. Huius ſententiae non ſolum invidia, ſi quam apud imprudentes habere poſſet, ſe liberat, eamque ingenii ſumma vi defendit, ſed hoc etiam ſuperaddit, morum praecepta, dogmata, inque adverſis ſolatia, abundantiora ex fabula de Iobo peti, quam ex hiſtoria Iobi poſſe. In vera enim hiſtoria ſermones perſcribendos fuiſſe, quales habiti a Iobo et amicis fuerint, meris hominibus, ſpirituque Dei non actis, quippe quos multum in diſputando peccaſſe, interveniens Deus, et utrosque ſtultitiae arguens, edixerit; unde quid veri habeant, quid falſi, ſatis certo conſtitui non poſſe. Fabulam autem divinitus inſpiratam habere primo informatam a Deo animi humani imaginem, quales in morum doctrina *Characterum* nomine laudare ſolemus, deinde clarius oſtendere, quae colloquentium ſententiae probandae ſint, quae reprobandae. Scriptam vero putat hanc fabulam ad ſolandum populum Iſraeliticum, Aegyptiaca tyrannide preſſum: longe

longe plurima certe ineſſe Aegyptiaca, ſingulari de Iobo Aegyptio commentatione demonſtravit. Moſen libri auctorem eſſe, ſcripſiſſeque illum annos XL. natum, ſuſpicatur: hinc comparantibus Iobi fabulam cum reliquis carminibus Moſaicis, quae valde provecta aetate fuderit, diverſitatem ſtili elevandam nimium non eſſe. Oppugnat etiam *Heathum*, Anglobritannum, qui Iobi librum multo fecit recentiorem, exſiliique Babylonici acerbitatibus ut lenimen adferret, compoſitum fuiſſe ratus eſt. Denique omnem carminis huius oeconomiam, nodos et ſeriem difficillimae quaeſtionis eo pertractatae explicat, eundo per ſingula Capita, et ubique lucis plurimum adſpergendo. Unum adferimus: locum nobilem C. XIX. extr. de reſuſcitatione e morte interpretatur, eosque qui de reddenda huius vitae felicitate illic cogitant, totum quaeſtionis filum impedire arbitratur; ſtatuens in univerſum, (p. 664.) vix aliud quidquam incredibilius *Warburtonium*, libro ingenioſo de divina legatione Moſis, aſſeruiſſe, quam immortalitatis alteriusque vitae ſpem a toto Iobi libro abeſſe.

De Pſalmorum, II. VIII, et XLII, imitatione et paraphraſi, verſibus Theodiſcis expreſſa ab Ill. Viro, ſubiectaque ad calcem huius editionis, dicere nos nihil attinet: vel popularium cauſſa, utpote quos ea delectatione non minore adficiet, quam eiusdem generis poematia a Noſtro ſuperiori tempore edita; vel aliorum cauſſa lectorum, qui a cognoſcendis illis linguae noſtrae inſcitia arcentur. Sed minime tacendum eſt, polliceri V. D. alius libri, et ipſius praeſtantiſſimi, *Hierobotanici Celſiani*, novam editionem, ſuis augendam annotationibus, ac forte etiam imaginibus plantarum rariorum illuſtrandam. Ea ut procuretur quantocyus, prodeatque ſimul abſoluta, quam typis iam ab aliquo inde tempore deſcribi ſcimus, *Grammatica* et *Chreſtomathia* eius *Arabica*, ipſa litterarum commoda efflagitare videntur. Neque vero depoſuimus memoriam promiſſae ab eo ante plures annos *Hiſtoriae Linguarum Orientalium*, ſed magno eius operis deſiderio tenemur, ampliſſimamque de eo exſpectationem concepimus.

Illuſtri

Digitized by Google

Illuſtri et Magnifico Actorum Eruditorum Lipſienſium Collectori

CAROLO ANDREAE BELIO D.

S. P. D.

FR. PLATNERUS.

Quemadmodum nihil magis difficile eſt, Vir Illuſtris, quam legum peregrinarum indolem, vel Romanarum, extra Germaniam, auctoritatem, accurate cognoſcere: ita etiam puto nihil magis cavendum eſſe, quam ne intercidant praecepta eorum, qui ſuper iis rebus nos docere poſſint. E quo genere eſt praeſens epiſtola, et a doctiſſimo celeberrimoque viro perſcripta, et de eo argumento exponens, cuius dignitatem et praeſtantiam apud nos nemo negaverit. Mitto Tibi, Vir Illuſtris, iſtius apographum, quo uti poteris ut ipſe volueris. Ceterum me videris ſemper rebus factisque Tibi deditiſſimum. Vale.

FRIDERICO PLATNERO

ICto Lipſienſi Celeberr.

S. D. P.

P. KOFOD ANCHER.

Tantum abeſt, ut iniquo feram animo humaniſſimas Tuas literas, ſcriptas d. XXIV. Iunii, ut de Tua potius fiducia mei, quam concitavit Illuſtriſſimus Comes a Moltcke, Flos Nobilitatis Danicae, et de data ſimul occaſione, Tuam mihi conciliandi amicitiam, magnopere gaudeam.

Quod attinet ad auctoritatem Iuris vel Romani, vel Canonici, vel Longobardici, vel Carolini Criminalis, in foris patriis, nihil profecto extranearum legum, vel expreſſa, vel tacita receptione, vim legis obtinuit unquam.

Quae de auctoritate Iuris Romani et Canonici in Dania tradit Arthurus Duckius, etiamſi trahuntur ad aeta-

Digitized by Google

tem Codice Chriſtianeo ſuperiorem, pleraque, ut molliter dicam, nulla nituntur, vel levi ſaltem auctoritate. Certo falſa nobis defert, narrans, nullas Danis leges ſcriptas eſſe ante Valdamarum nomine 2dum, et has quidem maxima ex parte deſumtas ex Iure Civili et Canonico. Non enim tanti apud nos ponderis eſt Georgius iſte Lorichius, quem teſtem laudat, ut illius auctoritas labefactare valeat indubiam momentorum fidem. Immo noſtratibus olim idem uſu venit, quod Germanis, ſcilicet ut peregrinam et externam ſcientiam Iuris, utpote quaeſtum peregrinationis literariae, ſecum in forum traherent reduces, ne et operam et oleum Iurisprudentiae ſuae perdidiſſe viderentur. Non tantum aevo Valdamari 2di (cuius auctoritati debemus legem Iuticam, qua hodieque utuntur Slesvicenſes, rogatam ao. 1240. non 1232.) erant in numero noſtratium, teſte Huitfeldio noſtro, quem deſcripſit Pontanus, nimium quantum ducti obſequio Iuris Romani, ſed poſterior quoque aetas id genus homines in medium ſaepe protulit. Ut alia taceam argumenta, huius rei teſtimonio nobis eſt farrago iſta Iuris peregrini, titulo Iuris Caeſarei (vulgo *Kayſer Ret*) hodieque exiſtens, aevo Chriſtiani 3tii neſcio quo auctore compilata, quam in foris noſtris magnum aliquando habuiſſe pondus, antiquae loquuntur ſententiae iudiciales. Sed factum id privata auctoritate, non publica. Solum enim conſenſum eruditorum, qui ſcientia Iuris apud exteros imbuti erant, ecquis diceret univerſalem? Hodie omnino regimur Legibus Chriſtiani V. regiisque poſtea Conſtitutionibus, iisdemque ſolis. Ius igitur dicturi, primo omnino quaerimus de legibus noſtris, et genuino earum ſenſu, in ſubſidium vocantes analogiam Iuris, Leges patriae antiquas, (unde maximam partem emanavit Codex Chriſtianeus,) et alia quaecunque media hermenevtica. Sed ne quidem, deficiente omni in univerſum praeſcriptione Iuris domeſtici, peregrinum aliquod Ius civile

civile, qua tale, in foris laudare licet. Nunc illud duntaxat Ius, unde ducunt, quicquid habent recti, cetera quaecunque iura, quodque ubivis terrarum et gentium imperium habet, in patria noſtra vi pollet Iuris ſubſidiarii.

Neque tamen exinde concludere licet, nulli uſui eſſe ICtis noſtris ſtudium Iuris peregrini. Immo de exacta cognitione Iuris univerſalis tanto magis nos ſollicitos eſſe oportet, quanto brevius, et conſequenter inſufficientius, quanto quoque ſimplicius, et a ſubtilitatibus legalibus magis alienum eſt ius noſtrum. Vera autem Philoſophia Iuris, niſi me fallit animus, haurienda ex lectione et examine variarum legum. Quod ad ius Romanum, mea quidem opinione, vere iudicat Leibnitius, ſcribens Epiſt. XV. ad Keſtnerum: „non deprehendi uspiam Iuris Naturalis praeclare exculti uberiora veſtigia, quam in Pandectis. Erant enim ſagaciſſimi, et Philoſophiae inprimis Stoicae peritiſſimi, antiqui ICti Latii; neque eorum philoſophia ſubſtitit in principiis nonnullis generalioribus, ſed regulas exhibet, ad negotia forenſia, et uſum civilem propius accommodata.“ Pervellem igitur, (in tranſitu haec monere liceat,) ut aliquis huic labori haud impar, ex disiectis membris componeret univerſum aliquod et apte inter ſe cohaerens corpus Philoſophiae Civilis ad mentem ICtorum Romanorum. Quam eximia iſta et fructuoſa opera! Uſus autem legum peregrinarum ne in abuſum degeneret, cavendum ſedulo, ne poſitivum et arbitrarium pro naturali venditemus. Hanc in rem curae nobis cordique erit non tam uſus Iuris Romani in foris Germaniae, quam verus ſenſus et rationes legum. Eapropter magni habere ſoleo ICtos, (quorum Sectam Tu quoque ſequeris, Vir ampliſſime,) humaniorum diſciplinarum ope origines et principia legum perveſtigantes.

 Nam

His enim ſolis vim ac poteſtatem legum aſſequi contingit. Id quoque omni ſtudio elaborandum, ut momenta differentiarum, earumque cauſſas, cognitas habeamus atque perſpectas. Huic inſtituto apprime inſervit doctrina Iuris Germanici, et variae illae de differentiis Iuris ICtorum commentationes. Prope enim accedit, et ab antiquo quidem acceſſit propius ad Leges Germanicas, Iuris noſtri indoles.

Sed ne nimis ſim longus, ad cetera quoque rogata ſtrictim reſpondere pergo. In Dania et Norvegia, praeter Comitatus et Baronatus, nulla nobis Feuda ſunt. Haec autem multum quidem participant de natura Feudorum in genere, nullis tamen legibus, praeter Privilegia Comitum et Baronum, data a Chriſtiano V. d. 25. Maii 1671. devincta. Binae exſtant de Feudis noſtris, et ſucceſſione feudali, Diſquiſitiones, quas, modo probabiles eſſent, lubens ad Te transmitterem.

Liber IIdus Codicis Chriſtianei, una cum Libro Rituali ſ. Liturgico, auctoritate C. 5ti publicato d. 25. Iulii 1685. exhibet Ius noſtrum Eccleſiaſticum. In noſtro certe, haud ſecus ac univerſo Iure Eccleſiaſtico, multa originem debent Iuri Canonico, proxime tamen moderna Iura Eccleſiae Danico - Norvegicae deſcendunt ab ordinatione Eccleſiaſtica Chriſtiani IIItii, et recentioribus Friderici IIdi atque Chriſtiani IV. Conſtitutionibus. Scilicet, haud paullo poſt depurgatam Eccleſiam noſtram, a ſuperſtitione Pontificia, legibus quoque Eccleſiaſticis correctionem adhibere in animo inſtituit Chriſtianus III. ordinationem ſuam, vulgo *Kirke - Ordinantz* (cuius hiſtoriam opera non perfunctoria condidit beatus Grammius noſter, in Praefatione ad Cragii annales Chriſtiani III.) a Clero noſtro primum conſcriptam, deinceps comprobatam promulgans 1537.

Liber 14tus Codicis Chriſtianei ante oculos ponit Ius noſtrum Criminale, quod tamen ſimplicitatem ſuperioris memoriae, plus iuſto, redolet.

Hi

Hiſtoriam Iuris noſtri breviter delineatam ſiſtunt Holbergii Deſcriptio Daniae et Norvegiae Cap. XII. et Nic. Petri Sibbern Bibliotheca Hiſtorica Dano - Norvegica Capite VIII. Luculentius et plenius hanc telam pertexuit Chriſtianus Stubaeus in 4. Diſſertationibus de Legibus et Legislatoribus Danorum, quas, ſi ita iubes, in uſum Tuum deſcribi faciam, breves enim ſunt, typis autem impreſſae rariſſimae, et vix impetrabiles. Pervellem in publicum prodirent Diſſertationes iſtae, recuſae, emendatae, et ad noſtram usque aetatem deductae.

Praeter Germanicam illam verſionem, quam Weghorſtio debemus, quaeque Tibi ad manum eſt, Codicem Iuris Danici latine quoque reddiderunt Weghorſtius et Hoielſenius. Neuter quidem laude ſua fraudandus: ille nimirum, utpote ICtus, de lingua iuridica, hic de elegantia linguae latialis magis ſollicitus.

Nobis quidem non omnino deeſt ſyntagma aliquod Iuris ſcientiae Danicae; ſed patrio idiomate, non latino aut Theotiſco. Allaborandum nimirum Ius Patrum docentibus, ut uſibus omnium inſerviamus, quando quidem apud nos illiterati etiam, et ſtudium adhibent, quoad eius fieri poteſt, in ſcientiam Iuris, et ad iudiciaria munera adhibentur.

Mitto poſitiones Weghorſtii, de differentiis Iuris Romani et Danici; ſed dolet mihi, quod paucae admodum ſint, et exiguae. Exſtant porro haud paucae numero Diſſertationes, de differentiis in variis ſpecialibus argumentis Iuris; quas, ſi in rem Tuam ſint, data occaſione operam dabo ut Tibi comparare poſſim: data inquam occaſione, nam res Danicae, et illae quidem imprimis, quae Ius ſpectant, et hiſtoriam patriam, admodum rarae ſunt, et impetratu difficiles.

Nomen meum in amicorum numerum benigne refers. Immo amicitiam Tuam colam ſemper, et obſervabo diligentiſſime, non immemor mutuorum officiorum, quae ab

Digitized by Google

amico amicus non expectat ſolum, ſed etiam poſtulat. Quam gratus accepi Hiſtoriam Tuam Iuris Romani et Byzantini, teſtatur, Te, quod ait Martialis, ſub gladio etiam pingere. Sed reſtituat vos propediem Deus O. M. in ſtudioſum otium. Quod ſupereſt, vale et fave. Scripſi Hafniae d. IX. Sept. A. R. S. MDCCLX.

NOVA LITTERARIA.

Edidit anno MDCCLX. *Hermannus Henricus Chriſtianus Schrader*, Chirurg. et Medic. Doctor, et in Collegio Anatomico-Chirurgico Brunſuicenſi artis obſtetriciae Profeſſor, Vir doctiſſimus, ſumtibus Meiſnerianis; *Obſervationum rariorum ad rem medicam et obſtetriciam ſpectantium* Faſciculum I. qui plagulas octo in 8. explet, plenum optimae frugis, et magnae doctrinae, diligentiſſimaeque obſervationis certiſſimum indicem. Quem, ut ne artis medicae peritos lateat, potiſſimum apud exteros, hic paucis, ſaltim quoad ſumma capita, indicare, aequum eſſe credidimus. Sunt autem iſtarum Obſervationum XIII. numero. 1.) *Singularis caſus inediae.* Puella XIII. annorum, triennio paene integro, parciſſimo, et interdum notabili ſatis ſpatio plane nullo cibo vixit. 2.) *Partus laborioſus.* Prolapſum brachium. Fetus mortuus, inſtrumentis ſolutus. 3.) *Caput praevium oblique ſitum.* Fetus mortuus extractus. 4.) *Nates praeviae.* Fetus praegrandis, inſtrumentorum ope, mortuus educitur, ſalva et incolumi matre. 5.) *Caſus ex alto viri quinquagenarii.* Sanguis fluit ex ore, naſo, atque etiam ex auribus, ima pars ſcapulae fracta, etc. ſalvus evadit. 6.) *Vir quadragenarius, cuius cervicem ramus quercinus tetigerat*, moritur altero mane. 7.) *Vocis amiſſio*, a ligatura et diſciſſione nervorum recurrentium, *in cane.* 8.) *De rabie contagioſa.* 9.) *Abdominis enormis contractio*, viſcerum imi ventris ſitus plane mutatus, et inteſtinorum invaginatio. 10.) *Ebrietas ſumma.* 11.) *Hydrops Anaſarca*, puerperio ſuperveniens, feliciter curata. 12.) *Menſtrui ſanguinis inordinatus fluxus.* 13.) *Arthritis, ſeu Podagra.* Iſtarum Obſer-

Digitized by Google

Obſervationum deſcriptio diligens, atque adhibita morbis medela, exercitatum in arte ſua Medicum omnino teſtantur. Optabunt autem iſtarum plagularum lectores, una nobiſcum, ut Viro docto vita ſuppetat, atque otium, edendis multis aliis talium obſervationum, toti Medicorum familiae proficuis, Faſciculis. Deſcribemus, Speciminis loco, *Obſervationem XI.* Femina ruſtica, iuvenis, XX. et aliquot annos nata, primipara, puerperio nondum finito, ex relatione mariti, in morbum acutum incidit continuum, qui XIV. dies aegerrime illam affligit; ab empyrico in vicinia medicamina petunt, qui lagenulam decocto quodam herbarum et pulveres aliquot exhibet: pulveres hi valide ἄνω καὶ κάτω corpus expurgant, et vires a puerperio et partu nondum ſatis refectas plane peſſundant. Propinantur haec medicamina primis morbi diebus, tandem nulla amplius medicina data, decimo quarto die effluxo iterum per hypocauſtum obambulare incipit. Vires haud recuperavit, nec ciborum appetitus rediit, et membra totius corporis laſſata et maxime gravata ſemper queritur. Aliquot adhuc diebus elapſis pedum ſubſequitur tumor, qui ſenſim in dies increſcit, femora occupat, dein et imum ventrem, et ipſa praecordia diſtendit. Lecto iterum affigitur aegra, pedum ac femorum tumor ſemper augetur, et abdomen praecipue ita inflatur, ut lecto decumbens, prae ingenti imi ventris tumore, pedes ſuos haud videre poſſet miſella haec femina. Cibi deſiderium, antea plane deletum, iam iterum, hydrope increſcente, pauliſper excitabatur, ita ut carnium iuscula tenuiora, et panem bis coctum capere poſſet, et interdum multo cum deſiderio expoſceret. Maritus interrogatus, an durante puerperio lochia rite fluxiſſent? an morbo acuto ſuperveniente, et draſticis illis pharmacis ab Empyrico exhibitis fluere deſiiſſent? ſibi omnia haec incognita eſſe reſpondebat, idque valde ſe mirari addebat, me illum tam multis quaeſtionibus divexare, qui tamen mihi urinam uxoris tradidiſſet, ex cuius accurata inſpectione ego longe melius divinaverim, quaenam eſſent mala ſymptomata morbum ſuae uxo-

Digitized by Google

uxoris vel antecedentia, vel concomitantia. Nihil nunc amplius ex ruſtico hoc quum reſcire poſſem, omnibus probe penſitatis, ſimplici hac methodo ad curationem peſſimi huius morbi uſum ſum:

℞. M. Pill. Tartar. Bontii ℈ij.
Aperient. Stahl. Ph. Würt. ℈j.
Reſin. Gial. gr. xv. cum ſ. qu.
Eſſentiae Pimpin. F. l. a Pill. prael. gr. j.
Conſp. Lem. lycopod. DS. Capiantur tertio quovis veſperi Pillulae xv. ad xviii.

℞. Elixir. Aperitiv. Clauderi ℥j.
Eſſentiae Fuliginis Clauderi ʒvj.
MDS. Capiantur omni quadrihorio xl guttae cum cereviſia calida, addita Roob Sambuci ſ. quantitate.

Roob Sambucinum, plebeium alias remedium, egregia vi diſcutiendi et expellendi aquas hydropicas pollere, iam antea, et aliena, et propria mihi experientia conſtabat, hydrope nec febri acutae, nec viſcerum inflammationi coniuncta.

℞. Tartari Vitriolati ℈j.
Salis Abſynthii gr. xij. M. F. Pulvis.
Diſp. in 12plo. DS. Mane et veſperi unus decocto ſequenti capiendus.

℞. Rad. Ononidis
Bardanae āā ℥j.
Rad. Chinae ʒvj.
Caryophillat. ℥ß.
MDS. Coquatur dimidia pars tribus menſuris aquae fontanae ad remanentiam menſur. duarum cum ſemiſſe. Capiantur mane ac veſperi calide quatuor vel quinque vaſcula, Theae hauriendae quae inſerviunt.

Haec ſufficiant; reliqua addere prohibet pagina: neque eſt neceſſum, cum vel ex his iudicare lectores poſſint, qua artis ſuae ſcientia Auctor eniteat.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Decembris Anno MDCCLXI.

CHRISTOPHORI SAXII IUSTA DEPULSIO IMmanis calumniarum atrocitatis, qua in ipſum ab aliquot annis, inprimis ſcripta ad Fratrem Theologum epiſtola, graſſatus eſt PETRUS BURMAN, Minor, alias Secundus, manſuetudinis olim diſciplinae indocilis tiro, nunc litterarum humaniorum Profeſſor.

Trai. Batav. 1761. ex officina Ioh. Broedelet, Acad. Typographi, pag. 106. in 8.

Quo magis natura totoque animo abhorremus ab omni acerbarum contentionum et rixarum genere, eo praeſertim, quod bonarum litterarum ſtudioſos avocat ab hac pulcherrima utiliſſimaque ingenii diſciplina, et ad inhumanitatis, qua nihil eſt illis indignius, abiectiſſimam conditionem detrudit: tanto gravius ferimus, inter eos viros, quorum celebretur merito doctrina, et qui, coniunctis viribus, exornare ampliſſimis operibus rempublicam litterariam poſſint, non ſolum animorum oriri alienationem, ſed infeſta etiam oratione, et accuſationibus mutuis publice pugnari. Sed profecto iis conviciis laceſſitus eſt a *Petro Burmanno Secundo Chriſtophorus Saxius*, V. Cl. ut neque hic purgandi criminis obiecti laborem detrectare, neque nos premere ſilentio hanc eius defenſionem poſſimus. Dicemus autem de omni ea re quam fieri poteſt breviſſime.

Digitized by Google

dit, qua vix credimus unquam aliquid petulantius maledicentiusque ſcriptum ab homine docto fuiſſe. Nam omne conviciorum et accuſationum atrociſſimarum virus, quod adhuc pectore continuerat *Burmannus*, effudit eo ſcripto in *Saxium*, ut ſine ingenti horrore et faſtidio legi illud ab humanitatis ſtudioſis non poſſit.

Nunc igitur publice ſibi repellendam eſſe criminantis et contumeliis ſe onerantis inimici audaciam, recte ſtatuens *Saxius*, eas ſcripſit Vindicias, quae facile ipſi aequorum lectorum animos concilient. Rem omnem, prout inter ſe et *Burmannum* geſta eſt, a principio narrat; accuſationis ab hoc ſtructae inſidias omnes patefacit, capita ſingula refutat accurate, adeoque preſſe ſequitur convicia et ſordes iaculantem, ut illi omnem telorum vim elidat de manibus, imo vero in ipſum reiiciat, et quam pulcher ille ſit, qui alieno honori conſpurcando operam det, oſtendat clariſſime. Quanquam autem labor hic a *Saxio* ſuſceptus ſit in ſe taedii pleniſſimus: tamen et orationis elegantia, et admiſtis facetiis, et commutato iucunde ſcriptionis genere, quo pertinet illa ad *Burmannum* epiſtola, p. 64-70. aliisque rebus, non ſolum emollivit ſtyli aſperitatem, ſed perfecit etiam, ut neceſſariae defenſionis ſeveritas habeat quod placere poſſit plurimum.

Si qui autem fuerint fortaſſe, qui mirentur, nos *Saxianae* fidei et narrationi omnia tribuere, nihil *Burmannianae:* eos primum rogamus, ut contendant utriusque, hinc accuſantis et convicantis proterve, illinc pro innocentia bonaeque famae ſuae tutela ingenue dicentis, libellos, atque ita experiantur ipſi, uter illorum veriore certioreque ad animos legentium aditu utatur. Deinde eum cognovimus pridem *Saxium*, popularem noſtrum, et qui Lipſiae olim egregia cum laude verſatus inter litteras et litterarum amantes eſſet, ut ab animo eius et moribus omnis ſcelerum ſuſpicio ſemper abfuerit, nedum ut teterrimi criminis, quod impingit illi *Burmannus*, obnoxius haberi unquam a quopiam vel per ſomnium potuerit. Accedit, quod iſta *Burmanni* inſectandi

viros

viros bonos licentia neminem in admirationem rapere poſſit,
qui fatetur, hoc illi ſolenne iam dudum eſſe. nihilque illum li-
cerbiſſimas de vi-
humanitatis ſuae
averit, oſtendimus
ogia illius latina.
et eruditae mode-
irum tuendam eſſe
Chriſtianus Adol-
manno alius nobis

A

uarum vecti ad-
um imperfecte
vivarum

Berolinenſi.

directionibus, at-
e centrum aequi-

endiculares Cn — *Tab. IV.*
um: Erit ſtatus
$+ E . Cp.$ Du-
ectem NP, nan-
$\frac{CN \,.\, Aa}{AN} = CN$
$Co = \frac{CO \,.\, Dd}{DO}$

$= CO$. ſin O, $Cp = \frac{CP \,.\, Ee}{EP} = CP$. ſin P, hinc A.
CN. ſin $N + B$. CM. ſin $M = D$. CO. ſin $O + E$. CP.

 ſin

dit, qua vix credimus unquam aliquid petulantius maledi-
centiusque ſcript
conviciorum et a
adhuc pectore co
Saxium, ut ſine i
manitatis ſtudioſis

Nunc igitur p
contumeliis ſe o
Saxius, eas ſcripſ
ctorum animos o
et *Burmannum* ge
hoc ſtructae inſid
accurate, adeoqu
tem, ut illi omn
vero in ipſum rei
honori conſpurc
Quanquam auten
pleniſſimus: tam
tiis, et commutat
illa ad *Burmannum*
ſolum emollivit ſt
ceſſariae defenſio
rimum.

Si qui autem f
fidei et narrationi
primum rogamu
et conviciantis p
mae ſuae tutela i
antur ipſi, uter
gentium aditu u
Saxium, popula
cum laude verſat
ut ab animo eius et moribus omnis ſcelerum ſuſpicio ſem-
per abfuerit, nedum ut teterrimi criminis, quod impingit illi
Burmannus, obnoxius haberi unquam a quopiam vel per
ſomnium potuerit. Accedit, quod iſta *Burmanni* inſectandi

TAB. IV. ad N. 11.



viros

Digitized by Google

viros bonos licentia neminem in admirationem rapere poſſit, qui ſciat, hoc illi ſolenne iam dudum eſſe, nihilque illum libris quos edat tam de ſuo addere, quam acerbiſſimas de viris doctis et malignas ſententias. Quo humanitatis ſuae munere ut nos ipſos, nihil tale meritos, beaverit, oſtendimus ante paucos annos in enarranda Anthologia illius latina. Quid? quod communem rei litterariae, et eruditae modeſtiae cauſſam, adverſus hunc tanti exempli virum tuendam eſſe exiſtimavit Clariſſimus et Doctiſſimus Vir, *Chriſtianus Adolphus Klotzius* A. M. de cuius *Anti-Burmanno* alius nobis erit dicendi locus.

PROBLEMATA

de centro aequilibrii potentiarum obliquarum vecti adplicatarum, et de conflictu corporum imperfecte elaſticorum, Theoriae virium vivarum repugnante.

Auctore I. F. Hennert, Geometra Berolinenſi.

Problema.

Datis potentiis vecti adplicatis, earum directionibus, atque punctis ſuſpenſionis, invenire centrum aequilibrii.

Solutio.

Ex centro aequilibrii C ducantur perpendiculares Cn — Cm, Co, Cp, ad directiones Potentiarum: Erit ſtatus aequilibrii, ſi $A \cdot Cn + B \cdot Cm = D \cdot Co + E \cdot Cp$. Ductis Aa, Bb, Dd, Ee, normalibus ad vectem NP, nanciſcemur propter triangula ſimilia, $Cn = \frac{CN \cdot Aa}{AN} = CN \cdot \text{ſin}\, N$, $Cm = \frac{CM \cdot Bb}{BM} = CM \cdot \text{ſin}\, M$, $Co = \frac{CO \cdot Dd}{DO} = CO \cdot \text{ſin}\, O$, $Cp = \frac{CP \cdot Ee}{EP} = CP \cdot \text{ſin}\, P$, hinc $A \cdot CN \cdot \text{ſin}\, N + B \cdot CM \cdot \text{ſin}\, M = D \cdot CO \cdot \text{ſin}\, O + E \cdot CP \cdot$ *Tab. IV.*

ſin P. Verum $CM = NC - NM$, $CO = NO - NC$, $CP = NP - NC$, inde eruemus $CN = \frac{B \,.\, NM \,.\, \text{ſin}\, M + D \,.\, NO \,.\, \text{ſin}\, O + E \,.\, NP \,.\, \text{ſin}\, P}{A \,.\, \text{ſin}\, N + B \,.\, \text{ſin}\, M + D \,.\, \text{ſin}\, O + E \,.\, \text{ſin}\, P}$.

§. 2. Videmur in ſolutione ſitum puncti C, quod quaeritur, iam determinaſſe. Sed, quo loco vel inter A et B, vel inter D et E, ponas punctum C, ſalva manebit ſolutio, ſive etiam quaeris diſtantiam puncti C a quolibet puncto ſuſpenſionis, M, O, ſive a quolibet puncto vectis; quemadmodum ſupputationem ineunti patebit. Commodi gratia diſtantiam centri aequilibrii ab extremo vectis definivimus, idcirco ſequens ſtabiliemus theorema; *Diſtantiam centri aequilibrii ab extremo vectis, aequari ſummam productorum, ex potentiis, earum diſtantiis ab extremo vectis, et ſinibus directionum, diviſam per aggregatum factorum ex potentiis et ſinibus earum directionum.*

§. 3. Poſitis directionibus potentiarum parallelis, fient ſin M, ſin N, ſin O, ſin P, inter ſe aequales, igitur $NM = \frac{B.\, NM + D.\, NO + E.\, NP}{A + B + D + E}$, quod principium eſt Statices.

§. 4. Quum lineae AN, BM, DO, EP, potentiis abſolutis capiantur proportionales; perpendiculares Aa, Bb, Dd, Ee referunt potentias relativas. Sed $Aa = A$. ſin N, $Bb = B$. ſin M, $Dd = D$. ſin O, $Ee = E$. ſin P, inde adipiſcemur $CN = \frac{Bb.\, Nm + Dd.\, No + Ee.\, NP}{Aa + Bb + Dd + Ee}$ hinc fluit hocce theorema: *Diſtantiam centri aequilibrii ab extremo vectis aequari, ſummam productorum ex potentiis relativis, et diſtantiis punctorum ſuſpenſionis ab extremo vectis, diviſam per aggregatum potentiarum relativarum.*

§. 5. Si vectis NP fulcro in C collocato imponatur; fulcrum potentiis relativis tantum onerabitur.

§. 6. Dubito, utrum Solutio huiuſce Problematis, quod palmarium mihi eſſe videtur, memoriae fuerit prodita. Haud ignoro Celeb. *Varignon* Problematis geometricam tradidiſſe con-

Digitized by Google

conſtructionem *a*), quam ſi ad calculum trigonometricum revoces, taedioſae operationes tibi perficiendae erunt.

§. 7. Ad ſtatum aequilibrii ſtabiliendum non ſufficit ſolum theorema noſtrum, requiritur etiam *potentiarum lateraliter in plagis oppoſitis trahentium aequalitas;* nam omiſſa hac conditione, ad quam Mechanici neutiquam attendere, vectis ſecundum longitudinem trahatur eſt neceſſe. Ergo duae conditiones ad ſtatum aequilibrii *vectis potentiis* obliquis ſollicitati deſiderantur. 1.) Ut ſit $CN.(Aa+Bb+Dd+Ee) = Bb.MN+Dd.ON+Ee.PN$. 2.) Ut ſit $aN+bM+eP=Od$, vel in figura 2da $Na+Od=bM+eP$.

§. 8. Inde concludimus, *vectim a potentiis obliquis ac inter ſe parallelis tractum, ad perfectum aequilibrium non poſſe redigi,* quoniam omnes potentiae laterales ad eandem plagam tendunt. Saepiſſime autem, convertendo plagam unius vel plurium potentiarum, oritur aequilibrium; nam potentia agens in angulo obtuſo bMQ, eumdem praeſtat effectum, quando vecti adplicata fuerit ſub angulo acuto bMB, qui eſt complementum ang. bMQ ad duos rectos.

Problema 2.

§. 9. Invenire velocitates poſt colliſionem duorum corporum imperfecte elaſticorum.

Solutio.

Moveantur corpora A, B, eandem verſus partem, velocitatibus a, b. Corpus A celerius ſequatur, B, lentius praecurrat, celeritas corporis A poſt percuſſionem ſit $=\alpha$, corporis B ſit $=\beta$. Si corpora forent perfecte elaſtica, tunc $Aa+Bb=A\alpha+B\beta$, et $a-b=\beta-\alpha$. Verum propter defectum Elaſticitatis minori vi, qua fuere compreſſa, ſeſe in priorem ſtatum reſtituunt corpora. Attamen teſtatur Newtonus, rationem vis compreſſionis ad vim reſtitutionis eſſe conſtantem; hinc prior vis erit ad alteram, uti Elaſticitas perfecta eſt ad Elaſticitatem imperfectam, vel ſicuti velocitas relativa ante conflictum eſt ad celeritatem

a) Nouvelle Mecanique Tom. I. pag. 380.

Digitized by Google

ritatem relativam poſt conflictum. Sit Elaſticitas perfecta ad imperfectam uti p : 1, ergo $a - b : b - \alpha = p : 1$, idcirco $a - b = bp - \alpha p$, qua aequatione combinata cum priori, prodibunt velocitates poſt conflictum, ſcilicet $\alpha = \frac{Aa + Bb + \frac{Bb - Ba}{p}}{A+B}$, et $b = \frac{Aa + Bb + \frac{Aa - Bb}{p}}{A+B}$.

Si corpora A et B adverſa directione in ſe ruant, ex ſequentibus aequationibus $Aa - Bb = A\alpha + Bb$ et $a + b = bp - \alpha p$, deducemus $\alpha = \frac{Aa - Bb - \frac{Bb + Ba}{p}}{A+B}$ et $b = \frac{Aa - Bb + \frac{Aa + Ab}{p}}{A+B}$.

§. 10. Hae expreſſiones algebraicae ipſarum α, b, congruunt cum regulis, quae vulgo de colliſione corporum imperfecte elaſticorum traduntur. Nonne abſonum eſt, quantitates motuum corporum imperfecte elaſticorum ante et poſt congreſſum ſtatuere aequales? Verum actio in quomodocunque naturali eventu aequalem excitat reactionem. Corpus A incidens in corpus quieſcens B, non explicare valet omne elaterium adverſus B, ergo corpus B minorem motum adquiret, ſed A minorem virium iacturam faciet. Praeterea experientiis Celeb. P. Graveſandii aſſertum demonſtrabo a). Corpus A poſt conflictum velocitate $3\frac{1}{4}$ et corpus B celeritate $11\frac{1}{2}$ fuerunt mota, ſed ſi perfecte fuiſſent elaſtica, corpora A et B adquiſiviſſent 3. et 12. gradus celeritatis. Iuxta hoc experimentum erit $A = 2$, $B = 1$, $a = 9$, $b = 0$, $\alpha = 3\frac{1}{4}$, $\beta = 11\frac{1}{2}$. Hinc quantitas motus ante impactum $= Aa = 18$, et poſt impactum $= A\alpha + B\beta = 18$. Idem patet ex 5to experimento, in quo $A = 2$, $B = 1$, $a = 8$, $b = 5$, $\alpha = 6\frac{1}{12}$, $b = 8\frac{5}{6}$, hinc $Aa + Bb = 21$. et $A\alpha + B\beta = 21$. Aequalitas quantitatum motus, quae

a) Elementa Phyſices. Tom. I. pag. 306. ſeq.

quae in colliſione corporum imperfecte Elaſticorum obtinet, repugnat viribus vivis. Nam ſecundum theoriam virium vivarum, erit $Aa^2+Bb^2=A\alpha^2+B\beta^2$, ſed $Aa^2+Bb^2=163$, et $A\alpha^2+B\beta^2=138\frac{11}{72}$. Duplex defectus conſervationis virium vivarum reddi poteſt ratio, quia vires vivae ex principio aequalitatis actionis et reactionis directe non fluunt, quo attamen regulae conflictus corporum imperfecte elaſticorum nituntur. Deinde theoria virium vivarum falſos velocitatum valores ſuppeditat; uti ex ſequentibus patebit. Coniungas aequationem $Aa^2+Bb^2=A\alpha^2+B\beta$ cum $a-b=bp-\alpha p$, invenies

$$\alpha=\frac{(b-a).B\pm\sqrt{p^2(Aa^2+ABb^2+ABa^2+B^2b^2)-AB(a-b^2)}}{p(A+B)}.$$

§. 11. Iactent virium vivarum defenſores, ſe demonſtraſſe colliſionem corporum perfecte elaſticorum. Non invidemus inani gloriae fictis trophaeis ſuperbienti. Corpora perfecte elaſtica eodem iure, quo ab iis corpora dura, Chimaeris annumerantur. Applicent quaeſo principium virium vivarum ad eventum revera naturalem, qualis eſt percusſio corporum imperfecti Elateris; quo facto vires vivae numero virium naturalium erunt adſcribendae. Verum fortuito Principium Leibnizii ſuppeditare regulas colliſionis, imo contradictionem involvere, luce meridiana clarius exponamus. Nam propter $Aa^2+Bb^2=A\alpha^2+B\beta^2$, nanciſcemur $A(a^2-\alpha^2)=B(\beta^2-b^2)$ ſive $A(a+\alpha)(a-\alpha)=B(\beta+b)(\beta-b)$. Sed $a-b=b-\alpha$, ſive $a+\alpha=\beta+b$, ergo $A.\overline{a-\alpha}=B.\overline{\beta-b}$, vel $Aa+Bb=A\alpha+Bb$. Hinc palam fit, in principio virium vivarum latere principium Newtoni vid. $Aa+Bb=A\alpha+Bb$, quod falſum declarant Leibnitiani. Verum e principiis veris falſa conſequi non poſſunt idcirco de veritate virium vivarum potius dubitare licebit. Sed poſita prius aequatione primi gradus $Aa+Bb=A\alpha+B\beta$ vel $A.\overline{a-\alpha}$ $=B.$

$= B \cdot \overline{\beta - b}$, quam multiplicare per quamlibet quantitatem, ergo etiam per $a + \alpha = \beta + b$ mihi licet, nanciſcemur Leibnizianorum aequationem, videl. $Aa^2 + Bb^2 = A\alpha^2 + B\beta^2$ quae eſt aequatio quadratica deducta ex aequatione primi gradus, uti fieri ſolet.

§. 12. Obſequitur percusſio corporum imperfecte elaſticorum legi minimae actionis ab Illuſtri *de Maupertuis* latae; iuxta elegantem ſuam hypotheſin, ſummam virium a natura conſumtarum eſſe minimam, fuit arbitratus dignus patriae Muſarum Praetor, quando vis vel quantitas actionis aequivalet maſſae ductae in quadratum velocitatis: Ergo ſumma virium a natura impenſarum ſcil. $A \cdot \overline{a - \alpha}^2 + B \cdot \overline{b - b}^2$ erit minimum, ſive $- 2Aada + 2A\alpha d\alpha - 2Bbdb + 2Bbdb = 0$. Verum $a - b = pb - p\alpha$ (§. 9.) nobis ſuppeditant $db = d\alpha$, et $b = \frac{a - b}{p} + \alpha$, hinc ope ſubſtitutionis eruemus $\alpha = \frac{Aa + Bb - \frac{Bb + Ba}{p}}{A + B}$, quemadmodum ſupra definivimus. Cadit igitur Philoſophorum opinio, qui ſub mutato nomine minimae actionis venditari vires vivas putaverunt; quoniam argumentum noſtrum abhorret a hypotheſi Leibnizii, ſed intime conſpirat cum Principio Nob. Geometrae. Nec mireris hunc conſenſum: etenim in Theoria Maupert. latet verum virium Principium, ſcil. $Aa + Bb = A\alpha + Bb$, uti colligere licet ex aequatione differentiali mox exhibita, poſito $d\alpha = db$. Ceteroquin Philoſophi, ſimili verborum ſono decepti, in utraque Hypotheſi, quoniam agitur de maſſa in quadratum velocitatis ducta, etiam de eadem re agi fuere opinati. Verum Leibnitius non invocavit vires a natura conſumtas, ſed vires ex velocitatibus propriis natas, nec ullo modo expresſio $A \cdot \overline{a - \alpha}^2 + B \cdot \overline{b - b}^2$ ex theoria virium vivarum fluit.

VITA

Digitized by Google

VITA GUSTAVI ADOLPHI, MAGNI, REGIS Sueciae, Anglice conſcripta a WALTHERO HARTIO, quam verſam in linguam Theodiſcam a GEORG. HENR. MARTINIO, A. M., praefatione et animadverſionibus additis curavit IO. GOTTL. BOEHMIUS, Hiſtoriographus Regius, atque Hiſt. in Acad. Lipſ. Prof. P. Ord. TOMUS I. et II.

Lipſiae, apud Dykium, 1760. et 1761. Alphab. 8. plagg. 4. cum figg. aen. in 4.

Indignationem Guſtavi, qua Electorum reſponſum excepe-
rit, Haitius cauſſae adſignat, quod regem metu Impera-
toris non adpellaſſent, uti etiam Pufendorfius, monente Pag. 267.
Boehmio, fecerat: ſed forte nullus is metus erat, verum
mos potius, conſulto abſtinendi a rerum externarum arbitriis;
nec Sueci unquam, ut alias fieri ſolet, novas ſuas de mutato
Principe conſtitutiones ſollemniter Imperio ſignificaverant.
Idem iras in Danum eiusdem, et conventus Gedanenſis ir-
ritam deſtinationem, refert; verum nimis abrupte et aride,
ut bene advertit Boehmius, qui potiſſima tantum ſupplet.
Pufendorfius aemulationem et ludibria etiam regis Chriſtiani
accuſat, ſi non temere prorſus, acerbius tamen quam par
erat. Laudato hinc magno Regis Suecorum animo, quem 268.
nullae difficultates in arduo propoſito retardarint, quid Ele-
ctoribus reſcripſerit, concinne Auctor exponit: meliore ſane
exemplo, quam Pufendorfius, qui in hoc argumento, ut et
in aliis ſimilibus, nimis exilem narrationem reliquit. Ce-
terum coniecturas Haitii, quaſi Guſtavus, licet nullo certo
intra Germaniam foedere, cum Gallo occulto iam de mutuis
auxiliis ſubſidiisque inde ab initio belli conveniſſet, doctiſſi-
mis duabus obſervationibus arguit Boehmius. Idem veriſſi- 270. 271.
me manifeſtum errorem illius notat, ſcribentis, Guſtavum 274.
in comitiis, Holmiae, ante diſceſſum, regni adminiſtrationem
Reginae commiſiſſe, et de lacrimis ob Chriſtinam, cui ſuc-
ceſſio decreta, fuſis, meliora docet. Quidquid Auctor, poſt 275.

Loccenium et Puſendorfium, de omiſſa belli ſollemni indictione ex parte Guſtavi ſtatuat, forte non deerunt, qui parum eam per occaſionem ſatisfeciſſe ipſum Voltairio arbitrentur. Non *Boecleri* ſolum elegans de clarigatione commentatio parum placere talibus defenſoribus, verum ipſa quoque Eliſabetae mandata, legato ad Ruſſos data A. C. 1583., apud *Camdenum* p. 364., videntur. Nam lata Polonis ad defenſionem tantum auxilia, cui tandem verum amanti ſuffeciſſe credentur, ut bellum pro indicto a parte
P. 277. Imperatoris haberetur? Florida et arguta eſt copiarum Suecicarum deſcriptio, in qua tamen commendationem priſcae continentiae, tanquam praecipui ad victorias momenti, ante alia habere non dubitamus, qui non aliud Ruſſis hodieque ad fortitudinem magis prodeſſe cognoverimus. *Erici Tuneldi* univerſali Sueciae geographiae, ſuo merito a Boehmio laudatae, addimus nos *Weixionii* deſcriptionem, ab *Hahnio* ſuae ſyllogae inſertam, multa continere, interiore notitia
281. digniſſima, et fidei praecipuae. Optime Hartius tantorum Guſtavi auſuum cauſſam in diſiunctione terrarum Auſtriae a Suecia quaerit, unde metuere non potuerat, ne paria pro
282. paribus referrentur. Apologiam, regis nomine, a Salvio tunc, ut Boehmius opportune monet, confectam, cuius ſummam Auctor retulit. Longam Hartii de Gabriele Betleno annotationem, paſſim ex *Ploſorio* et *Sylloge Miegiana*, de
285. quibus praediximus, emendari poſſe animadvertimus. Hypercriſin Hartianam cenſurae, in memoriis Brandenburgicis, in Guſtavi praetextus, iuſte, ut arbitramur, uſurpatae, non valde miramur, ſcholaſticam per apoſiopeſin finiri. Arguta et perneceſſaria eſt Auctoris in oſtentorum vaniſſimos nuntiatores ſatyra. Nos, ſi ex cumulo talium quisquiliarum, quas acervatim poſſidemus, illatas humano generi, per ſacerdotes praeſertim falſos, nimis credulo, clades enumerare inſtitueremus, quis tandem finis foret? Melior, ſed intutior eſt, ex malis reip. inteſtinis divinandi facultas, qua olim Tullium ad miraculum polluiſſe quis neget? Dolet Hartius Thomae Roe e Suecia reverſionem; ſed mirum ſimul adfectum

Digitized by Google

fectum prodit, cum iam tum rerum imperii Germanici arbitria ad diviſos a toto orbe penitus Britannos optaret. In P. 287. ſq.
narratione, de traiectu regis, et exſcenſione, ſunt quae ab aliorum haud ſpernendorum auctorum relatu diſcrepent; et illud de die ſaeculari traditae Confeſſionis Auguſtanae merus eſt error, qui ex Micraelio aliisque ſatis refellitur. Pridie enim huius diei Spandoerhae egreſſum e navi regem, *Schwarzius* de fin. Princ. Rug. p. 207. idoneis teſtibus probavit. Redit Hartius ad commemorationem potentiae Guſtavi terra marique; ubi claſsis L. navium bellicarum nonnullis vix credibilis videbitur. Laudes inde huic Regi, ob emendata inſtituta maiorum, et correctam per omnia diſciplinam, tribuuntur. De opibus vero et reditibus fiſci regii nihil definiti prodere audet. Ingenium nationis a variis dotibus laudat, praeſertim a docilitate et patientia, regique artes animos militarium virorum obſtringendi tribuit. De numero 297.
copiarum, quae primum in inſula Uſedomo expoſitae ſunt, accuratiora ab aliis prodi Boehmius obſervat. De occupa- 298.
tione inſulae, et adparatu, ubi expoſitum eſt, iuſta laudatio victoris ob clementiam et humanitatem erga incolas occurrit; cui Boehmius Pufendorfii teſtimonium, et Waſſenbergii confesſionem adiecit. Multas cauſſas opportunitatis adfert auctor, quae Suecis oblata erat e Wallenſteinii et Tillii abſentia, aemulatione, proprii commodi ſtudio, militum Imperatoris intempeſtiva misſione; aut digreſſu in Italiam, ne eſſet qui primis inceptis arcendis adcurreret. Exercituum Im- 300.
peratoris diſpoſitiones curioſe ſatis et dilucide adnotantur; unde adparet, Pomeraniam maxime armis et novi belli impetui patuiſſe, Principe eius invalido, et Brandeburgico vicino ſegnitiem pro ſecuritate amplexo, ut Torquati de Comitibus iſtis in locis terror omnem libertatis cogitationem exſtinxiſſe videretur. Laudat Hartius Guſtavi ad tam ardua animum atque fiduciam. Recte tamen ab ipſo diſſentit 302.
Boehmius, dum nullam partium in Germania ſocietatem ab initio ſperari potuiſſe ſtatuit. Nos etiam in numero copiarum Suecicarum erratum ducimus, quas aliquanto XIII. mil-

 libus

Digitized by Google

P. 303-308. libus I ɔ c c c. fuiſſe maiores, non dubitamus. Quam praeclaris conſiliis, et prudente inde paratu, Guſtavus bellum inſtruxerit, antequam in media Germania tropaea figeret, graviter et ornate Hartius exponit. Narrat hinc acta Imperatoris et Principum Germaniae, atque conventum Ratisponenſem, quem Electorum tantum fuiſſe bene Boehmius monet, et Berneggeri de illo epiſtolam iure commendat. Iuſtisſimas etiam querelas Ordinum ſacris purioribus addictorum, quae cauſſam convocationi Electorum dederant, ſummatim ab auctore relatas, longe exactius cognoſcemus e Ioannis Georgii I. Saxonis luculentisſimis aliquot poſtulationibus, quarum unam e Khevenhillero prae ceteris Boehmius laudat. Sed huius copia quibus defuerit, poterunt eandem, ut et reliquas, ex *Nic. Belli* actis publicis repetere, quorum totus Tomus tertius magnae utilitati opus Hartianum legentibus erit. In univerſum ſatis conſtat, Principis huius optimi ſaluberrimis monitionibus in tempore aurem patientem commodare ſi Ferdinandus maluiſſet, quam arbitria rerum imperii Hiſpanis et exacerbatis ſacerdotibus committere, potuiſſe tam horridas Germaniae tempeſtates caute vitari. Ne Bavarus quidem, quod Hartius praeteriit, praecipitia iſta Imperatoris edicta et decreta probavit, ut ex litteris eius apud eundem *Bellum* adparet. Varia ſcite a Boehmio proferuntur, unde diſcas, qui Principum animi fuerint, et de Wallenſteinii ingenio Sarazinus et Carvius meruere
318. *in nota.* laudari. Dici non poteſt, quantum voluptatis ex aequisſima Cleſelii, purpurati Romani, laudatione ceperimus, quales ſi ſemper in conſilio Auſtriaci habuiſſent, forte gloriae verae longe plus, et invidiae minus, habuiſſent. Valet hoc ipſum ad Ioannis Georgii laudem, a rectis iudiciis praeter vulgi morem partam; quia huic acerrimo utilitatum Germaniae iudici, eius moderatio placuit, quando religionum calumnias ad iuſtas armorum civilium cauſſas non ſufficere, quanta parrheſia, tanta prudentia, in auguſtisſimo Principum conſilio Dreſdenſi diſſeruit. Quantae invidiae res inter cruda odia partium fuerit, ut non ignoramus, ita rationi plus,

quam

quam adfectibus tribuere, haud veremur. Anſtrutheri in conventu Ratisponenſi poſtulata, tanquam abiecta nimis et humilia, acerbe dum notat Hartius, Rusdorfii contra virtutes haud modice praedicat. Legiſſe multa huius viri fanatica, impia, et ridicula, apud *Hahnium* (Collect. vet. Mon. T. II. p. 777. ſq.) *Miegiumque*, (Monum. vir. Ill. P. II. p. 244. ſq.) et in *Myſteriis politicis* (editis Neopoli 1625.) non videtur. Opportune etiam Boehmius duo libros adlegat, e quibus viri ad odia ferenda, et diſcordiam humani generis alendam nati, ingenium diſcimus. Ceterum, ut hoc ſemel moneamus, pleraque iſta acta publica, quae in *Khevenhillero* exſtare Boehmius ſuis locis indicat, a *Bello* quoque, quem ſupra laudavimus, exhibentur, licet integriora ille protulerit. Miro docta et arguta eſt, quamquam tribus verſibus comprehenſa, Boehmii adnotatio, ex *Grotii* Hiſt. Belg., de Philippi in deſponſione Iſabellae conſilio. Quis enim Grotio interpres dilucidior, et rerum civilium peritior optari poſſet? Accuſationem ſuorum popularium iuſtiſſimam Hartius inſtituit, quod tam Anſtrutheri poſtulata, quam Ferdinandi reſponſa cum conditionibus, in hunc diem fere ignorent, quicunque ad hiſtorias animum adiiciunt. Sed quis neſcit, externa Britonibus, ſua tantum mirantibus, ſordere plerumque, et quae cum faſtidio ſingulari interdum e Germanorum rebus laciniae, ut fors fert, arripiuntur, nulli pulcro corpori veſtiendo ſufficere? Ad encomium Palatini, inſigne facundiae Hartianae ſpecimen, varia, ex uſu hiſtoriae, et civilis prudentiae, purgatis auribus inſerit Boehmius. Laudatam *Koeleri* diſſertationem conſulent, quos candor, fides, atque veritas delectant. Conſilium iſtud anonymi, paullo ante pugnam Pragenſem publicatum, cuius potiſſima Hartius hic inſeruit, merito inter exempla vigentiſſimae prudentiae refertur. Inter legati Gallici actiones, in conventu iſto, interponitur lectu digniſſima laudatio Ioſephi, ſacerdotis inſtituti Capuciniani. Tandem vero narrationis filo reſumto, Auctor aperit cauſſas progreſſuum Guſtavi ab ipſius ſapientia et virtute, et a perverſis in aula Ferdinandi conſiliis. Veriſſimum eſt eius iudicium,

dicium, de ruina rerum in Germania ob licentiam militum et diſciplinae neglectum; unde etiam pulcrum ex *Epitome rer. Germ.* locum Boehmius ſubiecit. Scilicet: quid leges ſine moribus vanae proficiunt? Quod de Bavaro refertur, quaſi ultro imperium ſummum in imperialibus exercitibus recuſarit, neceſſariam Boehmius correctionem ex Khevenhillero addidit, de aliorum diffidentia ac metu. Wallenſteinii ob exauctorationem, magnae imprudentiae iure arguere Hartium ducimus huius conſilii auctores, quum longe alia remedia id tempus poſtularet. Curioſam narrationem de inexſpectato Wallenſteinii obſequio, ſubtilis et elegans obſervatio Boehmiana amplificat.

Reliqua ſecuturis menſibus.

SYLLOGE NOVA EPISTOLARUM VARII ARGUmenti. VOLUMEN II. in quo libri V. et VI.

Norimbergae 1761. impenſis haeredum Felſeckeri, 1. Alph. in 8vo.

Commendavimus nuper egregium illud epiſtolarum colligendarum inſtitutum, cuius initia cum viderimus, age cetera quoque nunc ex ordine pertractemus. Itaque *quintum librum* totum ſchedis b. Math. Geſneri V. S. debemus, qui plurima egregia continet. Habet enim primum eas litteras, quae inter Geſnerum potiſſimum et Quirinum, Purpuratum ſedis Romanae, ſunt ſcriptae. De quibus hoc potiſſimum annotaverimus, videri nimis ſubmiſſe ad Quirinum ſcribi, atque ita ut videamur ſubparaſitari pontificiis, e. g. p. 17. aut p. 20. etiam ubi inter laudes Quirini ponitur, *magnum eccleſiae Romanae columen*, quae ſane a viro gravi et religionis ſuae amante dici minime debebant. Sed debet hoc pietati Geſneri reliquae condonari. Scribit vero Quirinus italice, cui reſpondet Geſnerus latine, quanquam etiam Quirinus deinceps. Mentio autem Herculani perſaepe iniicitur ab utroque, ſed ſtrictim tantum. Quin etiam de morte Quirini aliquas epiſtolas Lector inveniet, non ingratas illas

Digitized by Google

illas quidem, ut putamus. Sed videbatur tamen hoc diſplicere poſſe, quod etiam in ceteris philologorum ſcriptis obſervatum eſt perſaepe, quod ſuas occupationes quantum poſſunt praedicent, ſeque invicem collaudent magnopere. Ita Quirino ſummae blanditiae propter antiquitatis ſtudium fiunt, tanquam id demum ſit bonum epiſcopum eſſe. Nobis vero divinus ſcriptor multo magis placet: *μηδὲ προσέχειν μύθοις καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις, ἅιτινες ζητήσεις παρέχουσι μᾶλλον, ἢ οἰκοδομίαν θεοῦ τὴν ἐν πίστει, ὧν τινες ἀστοχήσαντες ἐξετράπησαν εἰς ματαιολογίαν.* Itaque Quirinus ſi fragmenta lapidum e collapſis veterum monumentis ſectatus eſt, non quidem mali quid fecit, ſed tamen nihil magni etiam. Ceterum epiſtolae ipſae Geſneri et Quirini attento lectori multis modis meditandi obſervandique animos humanos copiam dabunt. Villae etiam Plinianae ſaepe mentio fit, cuius deſcriptionem miris modis Geſnerus V. C. ab Italis petebat. Quid vero ſi hanc cognoſſet? Placuit vero nobis prae ceteris Paciaudii epiſtola, qua dubitanti de toto negotio Herculanenſi Geſnero ſcrupulos omnes eximit, ornate et copioſe de ea re diſſerendo, quae neminem legiſſe poenitebit. Habet enim haec, habent etiam reliquae, quae de toto negotio cognoviſſe non iniucundum erit. Hic vero liber VI. nobis excerpendus reſtat. Libro hoc multa optima ac iucundiſſima lectu continentur. Sunt in his epiſtolae Arn. Eckhardi ad Leibnitium. Inter quas inſerta eſt narratiuncula de diſputatione adverſus notiſſimum illud Carteſii argumentum: Quicquid omnes perfectiones habet, exiſtentiam quoque habeat neceſſe eſt. Atque deus omnes perfectiones habet, ergo etiam exiſtentiam. Quod argumentum uti eſt in ſe valde ſubleſtum, ita etiam ea diſputatione ita infringitur, ut quomodo defendi ultra poſſit, non videamus. Oppugnatur vero deinde ulterius a Leibnitio, defenditur ab Eckhardo Carteſiano. Qua in re multa ſubtiliter in utramque partem diſputantur, quae nunc quidem minime animus eſt excerpere, id dicimus de Eckhardo:

Digitized by Google

— — *Si Pergama dextra*
Defendi poſſent, certe hac defenſa fuiſſent.

Sed ipſa res quae multas paginas continet, egregiam utilitatem legentibus dabit. Tractantur in poſtremis litteris permulta Mathematica, quae magnam voluptatem praebebunt harum rerum avidis, ſi ex ipſo fonte hauriantur, nobis vero excerpentibus et maximae parti eorum, quibus his commentariis noſtris conſultum eſſe volumus, perparum darent.

Univerſum negotium tale eſt, ut laudari ſatis non poſſit, atque etiam inſtituto egregie ſatisfactum. Nos vero, ſi qua noſtra eſſet ſententia, mallemus primum litteris minoribus excuſus liber eſſet, ne nimis ſumtuoſus ita factus eſſet, deinde ut reſciſſa eſſent quaedam, quae nihil magnopere videntur continere. Sed cum inurbanum ſit, in amplo convivio munifici hoſpitis liberalitatem reprehendere, nos quidem ad haec nihil praeterea monebimus.

IOH. AUGUSTINI DIETELMAIERI, S. THEOL. D. et P. P. Hiſtoria Dogmatis de deſcenſu Chriſti ad inferos, litteraria: Editio ſecunda emendatior et auctior.

Altorfii 1761. impenſis Laurentii Schupfelii, plag. 15. in 8.

Quantum et praeſidii et ornamenti ſit Theologiae in Hiſtoria dogmatum, qui intelligant, non poterunt temperare animo, quin vehementer laetentur, quotiescunque incrementi quidquam cepiſſe iſtud ſtudium ſenſerint. Neque enim contigerunt huic ſtudio ad hoc usque tempus adeo multi, aut qui contigerunt, ita exhauſiſſe quidquid conferri eo luminis poſſet, cenſendi ſunt, quin larga ſupereſſe noſtrae aetati ſpicilegia videantur. Petavium iuſtis omnes laudibus celebrant, et admirantur. Sed in hoc uno ſatis eſſe praeſidii, aut cauſſae tantae ſatis ex parte omni factum ab ipſo eſſe, nec auſus quisquam eſt defendere unquam, nec potuit: Nec profecto videtur unius hominis eſſe tantum campum emetiri, quod ſenſerunt, qui vel de ſingularum aeta-

Digitized by Google

aetatum aut ſaeculorum doctrina expoſuerunt, quales ſunt qui Eccleſiae Hiſtoriam tradiderunt; vel qui dogmata ſingula copioſius illuſtrarunt. Atque vix opus eſt de hac difficultate verba facere; ſatis illa cuique patet; nec videtur ſuperari poſſe, niſi iuncto plurium ſtudio et induſtria. Quod cum vix unquam impetraturum quemquam eſſe, ſpes ſit; ea potius commendanda noſtrae aetatis Theologis, ratio videtur, cuius exemplar a nobis propoſitum iam eſt in *Dietelmaiero*, V. S. R. ut per ſingula capita doctrinae dogmatum hiſtoria tradatur, quae res, h. e. ſi unum ſaltem aut alterum caput ab uno homine illuſtretur, tantam profecto difficultatem non habuerit, quantam univerſae Theologiae hiſtoria. Repetita eſt hoc anno S. V. *Dietelmaieri* Hiſtoria dogmatis de deſcenſu Chriſti ad inferos: quae primum prodierat anno huius Saeculi primo et quadrageſimo, Norimbergae, eadem forma. Neque poterat elegantiſſimo huic libello tum quoque deeſſe vel admirationis, quod aetati Viri Reverendi, vel laudis, quod doctrinae eleganti atque exquiſitae debebatur. Atque illas ipſas laudes, repetito libello praeſtantiſſimo, a nobis quoque repetendas atque adeo augendas cenſeremus, niſi plus commendationis libello ipſi ineſſe ſciremus, quod commemorando argumento explicari atque proponi legentibus multo melius poſſet.

Comparavimus novam hancce huius Hiſtoriae editionem cum priore, atque animadvertimus, auctam ſubinde eſſe ultimis inprimis Capitibus, atque in ea maxime parte, quae recentiores Theologorum de deſcenſu Chriſti ad inferos diſputationes commemorat. Neque vero iſta quae libello huic acceſſerunt additamenta ſententiam mutarunt, ſed eam ſaltem clarius paſſim accuratiusque poſuerunt, vel novis iisque recentiorum maxime ſcriptorum citationibus illuſtrarunt.

Praemiſſa erat ſuperiori editioni Praefatio *Bernholdi* Theologi Altorfini, qua commendaret conſilium Auctoris; atque ea hic quoque repetita eſt. Ipſe vero A. Rev. in Prooemio libelli, quod poſuit, de inſtituti ratione, atque in univerſum de praeſtantia, et vero etiam de difficultate huius ſtudii, nonnulla diſſerit.

 Pro-

Proponamus autem nunc ſummam huius libelli, ut ſentiant lectores, quam egregie meruerit Ven. A. de hoc dogmate, quantaque cum diligentia et ἀκρίβεια verſatus ſit in antiquorum Eccleſiae Scriptorum monumentis; et quam praeclarum propterea exemplum habeant in hac Hiſtoria, qui eadem ratione dogmatum aliorum hiſtoriam ex veteribus tradere velint.

Caput I. exponit *de ſignificatione vocis ἄδε et inferni, deque ſtatu animarum poſt mortem ex veterum ſententia.* Ἄδε igitur et inferni vocabulum, ſaepiſſime uſurpari a Patribus de loco damnatorum, Ven. A. tradit, ſic ut opponatur felici piorum poſt mortem ſtatui; quamquam rarius id fieri animadvertit a Graecis quam ab Latinis (§. 2.). *Sepulcri* notionem, quam habet aliquoties vox ἄδης in Scripturis, apud Patres admitti non vult, niſi forte per metonymiam adiuncti (§. 3.). Sed frequentiorem ait eſſe ſignificationem *ſtatus* animarum ſeparatarum, communis omnibus inde a morte hominis; non *loci*, quod utrumque ne commiſceatur, ſatis diligenter caviſſe Patres ipſi videntur (§. 4.). Confirmatur hoc egregie, univerſi Patrum de ſtatu animarum defunctarum Syſtematis contemplatione, quod ex inſtituto explicatur ab A. §. 5. ſq. Patres nempe Saec. II. ad XIV. in ea opinione fuerunt propemodum omnes, ut exiſtimarent, piorum animos non ſtatim a morte ad viſionem Dei beatam pervenire, aut praemia virtutis ferre ante reſurrectionem poſſe; veluti nec improbos flammis ante reſurrectionem tradendos iudicabant. Quae opinio deinceps ab Occidentalibus in notum illud, de limbo Patrum et de purgatorio, ſomnium mutata eſt; quemadmodum profeſſi ſunt in Concilio Florentino, ac deſeruerunt communem ſententiam. Afferuntur igitur in hanc rem teſtimonia Patrum priorum Saeculorum, §. 7. ſq. Tandemque contra *Knatchbullum*, qui exiſtimat, ante Convocationem Dublinenſem anni 1615. in nullo Concilio actum eſſe de hac quaeſtione: an piorum animae ſtatim a morte ad perfecta beatorum gaudia perveniant? obſervatur, (§. 13.) omnino antea in Anglia, (auctore *Scrivenerio* et Rich. *Montacutio*)

tacutio), et in Conc. Florentino, (auctore *Caryophyllo* et *Harduino)* actum de hac re eſſe.

His itaque praemiſſis progreditur *Cap. II.* ad confirmandam τȣ̃ ᾅδȣ ſignificationem eam, qua *communem animarum ſeparatarum ſtatum*, in quo ſive praemia ſive poenas exſpectent, denotet. Ita igitur Patres εἰς ᾅδην deſcendere homines dicunt, uti nos ad inferos eos deferri dicimus. In eo autem differre animadvertuntur, ut *ſtatum* alii, plerique vero *locum* mortuorum appellent. Sic v. g. *Ambroſius* non ᾅδης ſcribit ſed ἀίδης, quaſi locus nemini viſus; ac ſimiliter *Andreas Caeſareenſis* τόπον ἀειδῆν καὶ ἀφανῆν appellat. — Latini *infernum* dividunt in *inferiorem* et *ſuperiorem*, quorum alterum piis, alterum impiis adſignant, quamquam interdum etiam inferno latius dicto utrumque comprehendant. Cuius diſtinctionis fundamentum *Caſſiodorus* in hiſtoria Abrahami et Lazari ponit (§. 19.). Igitur *ſinum Abrahae* ſ. *paradiſum* partem faciunt inferni, quod noſtris plane aliter videtur. — Verum in diſputationibus contra Marcionitas, ᾅδην non dicunt latiore ſenſu, ſed anguſtiore, de *damnatorum loco.* Quod ſi teneatur, iſta quae non neminem turbare poſſit ἐναντιοφανεία in Scriptis Patrum, tolli facile poterit. Atque etiamſi interdum ipſos quoque pie defunctos ἐν ᾅδῃ eſſe dicunt, tamen nihil iis dolorum ibi patiendum eſſe crediderunt; improbis vero contra plurimum. Iam huius ſententiae teſtimonia ex Patribus IIdi, III. et IVti Saeculi afferuntur §. 25-27. in quibus neque de purgatorio quidquam deprehenditur, nec de limbo aliquo Patrum, quem dicunt, cognoſci quidquam poteſt. — Hanc autem Patrum ſententiam ſic excuſare A. ſtudet, (§. 29. ſq.) ut dicat, non locum aliquem intermedium inter coelum atque gehennam in animo eos habuiſſe; ſed de ſtatu tantum defunctorum locutos eſſe eo modo, quo nos *das Reich der Todten* dicimus, qua formula nec beatum aliquem nec damnatum iudicamus. — Sed quod omnes qui ante Chriſtum mortui eſſent, etiam ſanctos atque beandos, apud inferos detentos crediderint ex Patribus plurimi, donec liberaverit ipſos Chriſtus, atque diaboli

 pote-

poteſtate eripuerit; in eo vel hoc nomine ſatis excuſari Veteres poſſe, Ven. A. exiſtimat, (§. 32.) quod ſenſim iſta opinio ex Gentiliſmo et Iudaiſmo ad ipſos permanaverit, multique eam ipſi ſecum ex ſcholis Philoſophorum ad Sacra Chriſtianorum adduxerint.

Iam *quid a Saec. IV. ad recentiora usque tempora in doctrina de ſtatu animarum ſeparatarum et de inferno mutatum ſit, Cap. III.* traditur. His autem temporibus plurimi quidem manebant in ſententia priorum Saeculorum, atque nihil mali ferendum eſſe piis in inferno credebant; ſenſim vero, Saec. iam IVto, transferri nonnullos ex hoc ſtatu ad gaudia coeleſtia poſſe, ſi intercedat precibus eccleſia, coeperunt quidam ſomniare (§. 41.) Ex quo urgebantur ſenſim magis magisque deprecationes ac interceſſiones pro mortuis. Quae vero Occidentali eccleſiae mota tum ſit ab Graecis de Purgatorio controverſia, eam A. meram logomachiam fuiſſe cum *Arcudio* arbitratur. In eo enim ait conſenſiſſe tum utrosque, piorum animas, ſecluſas adhuc a beatorum gaudiis, poenas vel graviores vel mitiores pro delictorum conditione ſentire, et poſt longos demum cruciatus ad coeleſtem gloriam evehi. Verum cum de nomine huius, in quo talia ipſis ferenda ſint, loci quaeſitum ſit; Graecos ᾅδην, Latinos autem recentiores tum purgatorium vocare ipſum maluiſſe. Sed ſi quae inter ipſos diſſenſio fuerit, in eo tantum fuiſſe, quod igne animas cruciari Latini dixerint, Graeci conſcientiae afflictione (§. 35).

De his autem quae copioſius hactenus diſſeruit Ven. *Dietelmaierus*, eo conſilio poſuit, ne fluctuare deinceps videretur *de Chriſti εἰς ᾅδην deſcenſu* diſputatio, de quo *quid ſtatutum ſit a Saec. I. ad III. Capite IV.* exponitur. Ita enim creditum eſt a primis inde Saeculis, Chriſtum vere ad inferos deſcendiſſe; neque is *deſcenſus* permutatus eſt cum *ſepultura Chriſti*. Commemorantur igitur primo loco teſtimonia Apoſtolorum *Petri* et *Pauli* (§. 48.). Etſi enim hi non utantur voce ᾅδης, tamen in Scriptoribus eiusdem fere aetatis hanc vocem uſurpari, dubitari non poteſt. [Non diffitebi-

tebimur, dubitationem nobis in hoc loco non unam ſubortam eſſe, partim cum videretur Ven. A. in univerſum in dubium vocare, formulam καταβαίνειν εἰς ᾅδην, de Chriſto in Sacris paginis uſurpari, cum tamen forte Scriptores N. T. tantum in animo habuerit. Etenim Pſ. XVI. ſatis clare Meſſias dicitur *deſcendiſſe in* לשאול. Partim vero etiam de fide et auctoritate *Teſtamentorum Patriarcharum*, et nominatim *Beniamini*, cui tamen et ipſe parum poteſtatis videtur tribuere. Deinde vero, ſi vel maxime digna ſint quibus fides habeatur, parum tamen cauſſae huic profutura putemus, cum apparere ex iis non videatur, ᾅδην de alio quodam ſtatu aut loco quam de *ſepulcro* dici]. — Ex Saeculi II. Scriptoribus apparet quidem, eos verum ac realem deſcenſum Chriſti ad inferos credidiſſe, nec ſepulturam ſub hac phraſi intellexiſſe, ſed tamen ab Apoſtolorum doctrina in hoc capite receſſerunt. Cuius rei cauſſa in eo fuit, quod notio τȢ ᾅδȢ, quae eſt in S. litteris, quaeque I. etiam Saeculo obtinuerat, ut ᾅδης diceretur de *loco damnatorum*, permutaretur nunc ac permiſceretur cum notione philoſophica, qua ᾅδης eſſet *ſtatus animarum communis*. Igitur opinio ex hac mixtione orta, eo redibat, ut Chriſti anima, a corpore ſeparata, eandem ſubiiſſe conditionem crederetur, quae hominibus in univerſum omnibus ſubeunda eſſet, h. e. in *infernum* abiiſſe. Quod alii de *ſtatus*, alii de *loci* mutatione intelligebant. Quidam etiam, et in ſinu Abrahae, et in regione damnatorum Chriſtum fuiſſe dicebant. Atque poſterius tum maxime extra omnem dubitationem poſitum fuiſſe, vel unus *Auguſtini* locus, epiſt. 187. evincit (§. 49.). In huius modo deſcenſus ratione definienda diſcrepabant. Alii enim nihil niſi quod ex naturae legibus neceſſario efficeretur, in iſto Chriſti deſcenſu agnoſcere volebant; hoc tantum addebant, Chriſtum non ut captivum, ſed velut triumphatorem eo deveniſſe, atque quoſdam etiam inde liberaſſe. Quam in rem laudatur in primis *Tertulliani* teſtimonium *cap. 7. et cap. 55. de anima:* et contra *Lavaterum* vindicatur (§. 51. 52.). Porro *Irenaei* (§. 53.), *Iuſtini Mart.* (§. 54.) et *Hippolyti* (§. 55.).

In

In quibus id ſaltem deprehenditur diſcriminis, quod *ad exinanitionem* alii, ut Tertullianus, alii *ad exaltationem*, velut Hippolytus, referant hunc deſcenſum. Quod conciliare ſic ſtudet Rev. A. (§. 56.) ut dicat, in deſcenſu per ſe, omnino agnoſcendam eſſe demiſſionem τȣ̃ θεανθρώπȣ ad leges naturae humanae; ipſius autem in inferno commorationem fuiſſe maximeglorioſam.

Nec defuerunt tamen, qui his temporibus dogma hoc lepidiſſimis onerarent *fabulis*, macularentque, ac erroribus corrumperent: quod docetur *Cap. V.* In his primo loco commemoratur narratio de duobus filiis Simei ex *Evangelio Nicodemi* (§. 58. ſq.). Porro ſomnium *Clementis Alexandr.* de Apoſtolis ad inferos delatis, Evangeliumque ibi praedicantibus (§. 61.); et ſimile quid de Iohanne Baptiſta (§. 63.). Tandemque Valentinianorum, Marcionitarum, aliorumque haereſes (§. 64. ſq.). Progreditur nunc *Cap. VI.* ad *Saec. IV.* et *quid hoc maxime Saec. de deſcenſu Chriſti docuerit eccleſia*, traditur. Coepit enim hoc tempore mutari paulatim ſententia, ſic ut, etiamſi vocis ſenſus retineretur, tamen quoad animam tantum, Chriſtus eo deſcendiſſe putaretur. Illud *Hieronymi*, *Hilarii*, et *Athanaſii* locis probatur (§. 68. 69.). Hoc ita confirmatur, ut ſimul *Auguſtini* locus, qui contrarium videbatur docere, vindicetur (§. 71.). — Atque etiam de reliquis quaeſtionibus aliter iudicatum eſt hoc tempore. Probos quidem liberatos dicebant ab inferni cruciatibus, ipſos tamen ad coeleſte gaudium perductos adhuc non credebant. Auctor eſt *Athanaſius* et *Epiphanius* (§. 73.). Porro, quod liberum cuique fuerat, Saec. duobus maxime prioribus, nunc pro haereſi habebatur, ſi quis omnes ex inferno per Chriſtum liberatos diceret; teſte *Auguſtino* haer. 79. (§. 75.) Quod qui primus ſtatuerit neſcitur quidem; verum ſuſcepiſſe hanc ſententiam *Euſebium* atque *Athanaſium*, certum eſt (§. 76. 77.). Attamen contra hanc ſententiam creditum eſt hoc Saeculo a quibusdam, nonnullos tantum a Chriſto liberatos eſſe; quod alii rurſus de iis tantum intelligi volebant, qui ex hac vita cum fide diſceſ-

diſceſſiſſent (§. 78.); alii vero etiam ad nonnullos qui in inferno demum praedicationi Evangelii fidem habuiſſent, extendendum iudicabant.

Maximi vero momenti eſt, quod *Cap. VII.* traditur *de illatione huius dogmatis in Symbola, inprimisque in Apoſtolicum;* atque deinde etiam *de Apollinaris haereſi.* Apertum enim eſt, dogmatis de deſcenſu Chriſti ad inferos, quamvis unanimi antiquae eccleſiae conſenſu creditum illud ſit; tamen ante Saeculum IV. in pauciſſimis Symbolis, in Apoſtolico vero nunquam, mentionem fieri. Quae res cum late ſoleat diſputari ab iis, qui Apoſtolici Symboli hiſtoriam tradiderunt, aut commentati ſunt in iſtud Symbolum; non repetemus hoc loco quae ab A. noſtro in hanc rem eleganter ac pereruditе dicta ſunt omnia (§. 81. ſq.): ſed quod proprium ipſi ſit in hac re, attingemus. Igitur (§. 82.) *Io. Forolivienſem* in Conc. Florentino, aliosque ante ipſum propterea arbitratur defendiſſe verba de deſcenſu Chriſti ad inferos, ut genuina in Symbolo Apoſtolico, et antiqua, quae a malevolis tantum eiecta fuerint; (quod tamen teſtimoniis Scriptorum confirmari nullis poteſt;) ut fulcirent figmento novo traditionem fabuloſam de Apoſtolis huius Symboli auctoribus. „*Nam cum numerus articulorum,* haec ſunt verba Au„ctoris, *ſi deficiant aliqui, non reſpondeat numero Apoſtolorum;* „*negari autem nequeat, defuiſſe quarto adhuc Saeculo eorum* „*nonnullos, qui poſtmodum adiecti, numerum Apoſtolorum exae*„*quarunt; remedium hoc excogitatum coniicio, ne quis Veterum* „*traditionem, hac forte ratione ductus, in dubium vocaret:*" Ait ſe adductum eſſe in hanc coniecturam loco quodam Actorum Concilii Flor. a *Sylveſtro Sguropulo* conſcriptorum, ubi Sect. VI. cap. 6. de *Marco Eugenico* Epiſc. Epheſ. haec referantur: περὶ δε τῆς συνόδου τῶν Ἀποστόλων, καὶ τοῦ συμβόλου αὐτῶν ἔιπεν, ὅτι ἡμεῖς οὔτε ἔχομεν, οὐδὲ εἴδομεν σύμβολον τῶν Ἀποστόλων. — [Nobis quidem haec Epheſini Epiſcopi profeſſio egregie profutura videtur ad confutandos Pontificios, qui ipſa cuiuscunque Apoſtoli verba dignoſcere ſe poſſe in iſto Symbolo iactant; verum quomodo illud de ſupplendo ſen-

 ten-

tentiarum apoſtolicarum numero, quod Ven. A. vult, effici inde poſſit, aſſequi adhuc nos non potuiſſe fatemur]. — Probatur autem Auctori Rev. eorum maxime ſententia, qui Arianorum et Apollinariſtarum cauſſa additum illud Symbolo dicunt (§. 87.). Iſtis enim haereticis, qui anima Chriſtum caruiſſe aſſererent, nihil efficacius tum opponi poſſe credebant, quam deſcenſum Servatoris ad inferos; quod confirmant diſputationes Athanaſii aliorumque (§. 88.) Igitur eodem conſilio, *privato auſu*, [quod durius fortaſſe dictum videri poſſit], Symbolo primum additum illud dicit; indeque paulatim etiam in alia veniſſe. In multis vero etiam poſt IV. Saeculum Symbolis non eſt, quorum catalogus ab A. exhibetur (§. 90.). Interim hoc cauſſae ipſi non obeſt. Non enim valet ratio iſta: Quidquid non eſt aperte in Symbolo, id creditum non eſt. [Atque ita ſane eſt, et agnoverunt hoc dudum doctiores. Symbola enim facta inprimis ſunt ad diſcernendam orthodoxam doctrinam, ab haereticorum ſomniis. De quo igitur non diſceptabatur cum haereticis, de eo etiam nihil plerumque ponebatur in Symbolis]. — Paulo ante vero conceſſerat A. comprehenſum eſſe *deſcenſum* verbis *ſepultus eſt:* [quod nos ne conceſſerimus quidem]; veluti *reditus ex inferno* contineri plerumque ſoleat *reſurrectionis* nomine. [Neutrum arbitramur voluiſſe eccleſiam ſemper diſerte ponere in Symbolis]. Inde vero nullo modo, ait, probari poſſe, pro una eademque re habita eſſe. Immo ſunt quae nec *ſepulturae* mentionem inferant, ſed eam aeque atque *deſcenſum* ad inf. *mortis* nomine involvant, veluti *Nicaenum*, *Antiochena* tria, *Sirmienſe II. Illyr. Epheſ.* et alia. *Deſcenſum* vero etiam antiquiſſimorum quorundam Symbolorum fragmenta, apud *Irenaeum*, *Tertull.* atque *Origenem* omittunt (§. 96.).

Iam *Cap. VIII.* ducimur ad *doctrinam Saec. V. ad VII. de hoc dogmate;* quorum quidem *infernus*, ad quem deſcenderit Chriſtus, ſimilior eſt Purgatorio Pontificiorum. Dicunt enim, Chriſtum cum maxime eripuiſſe *ſanctos poenis infernalibus*, et ad coelum transduxiſſe (§. 97.). Quod confirma-

firmatur locis Scriptorum huius aetatis permultis, (§. 98. ſq.) ex quibus apparet, non modo *infernum* eos habuiſſe pro *ſtatu communi animarum ſeparatarum*, quo abierit Chriſtus ſecundum *ſolam animam;* ſed pleroſque etiam, ut diximus, pro *loco tormentorum*, ex quo per Chriſtum liberatae tum fuerint piorum animae. In eo vero diſſentiunt, an omnes omnino inde ſint liberatae. Verum pauciores ſunt qui hoc adſerant, praeter *Cyrillum Alex. Proclum*, cet. (§. 106.) ex quorum numero eximitur *Iſidorus Hiſp.* cuius locus, a quibusdam huc translatus, vindicatur (§. 103.). Plerique de Sanctis tantum intellexere, veluti ex Graecis *Syneſius*, ex Latinis *Caſſianus, Caſſiodorus, Gregorius M., Conc. Toletanum IV.* cet. (§. 104.). — Alii prorſus ab hac quaeſtione abſtinuerunt. Atque obſervatum eſt a Ven. A. Graecos potiſſimum univerſalem liberationem defendere; Latinos autem contra ſentire, praeter unum *Caeſarium Arelatenſem* (§. 107.). — Atque eandem de inferno ſententiam retinuerunt *Graeci a Saec. VIII. ad recentiora usque tempora*, quod docetur *Cap. IX.* ita ut ᾅδης ipſis ſit communis mortuorum ſtatus, quo demiſerit ſemet Chriſtus ſecundum ſolam animam (§. 108-10.). Commemoratur in hanc cauſſam inprimis locus *Iſaaci Armenii* (§. 111.); nec quisquam aliter docuit praeter *Chriſtolytas*, quos *Io. Damaſc.* nominat, qui, relictis in inferno corpore et anima, ſolam divinam naturam inde rediiſſe dicerent (§. 112.). — Quidam vero etiam ᾅδην ſuum ſimilem faciunt Romanenſium purgatorio, cum pro tormentorum loco habeant (§. 113. 14.). Ita ut *Metrophanes Critopulus* Pſalmi XVI. quoque locum, ad eandem ſententiam torquere non dubitet, cum dicitur de Chriſto: *non derelinquet animam in inferno.* Ita enim explicat iſta verba: τουτέστιν, οὐ συνεχωρήθη παθεῖν, ὅσας ἀνίας καὶ θλίψεις ἔπασχον αἱ λοιπαὶ ψυχαὶ, αἱ ἐν τῷ ᾅδῃ κατεχομέναι· — Huic enim Critopulo idem eſt *infernus* cum *gehenna*, quod nomen demum poſt extremum iudicium accepturum ipſum ait. — In eo igitur Graeci plerique turpiſſime errant, quod Sanctos V. T. poenas in inferno paſſos crediderint, quibus per Chriſtum demum

mum ſint erepti. Etenim liberandi cauſſa ipſum eo deſcendiſſe aiunt; etiamſi ipſi inter ſe non conveniant, utrum omnes, an aliquos ſaltem liberaverit? Qua in re quomodo in diverſas abierint ſententias, cognoſci poteſt (§. 116. ſq.). — Qui univerſalem iudicarunt liberationem iſtam, errorem haud dubie inde hauſerunt, quod omnibus in inferno audiendi Evangelii copiam factam eſſe crederent (§. 126.). Unde etiam *Damaſcenus Studita* eo usque proceſſit, ut numerum horarum, quas Chriſtus praedicando in inferno conſumſerit, definire auderet; parem ſcilicet numero annorum vitae, quas etiam docendo peregiſſet in his terris, h. e. triginta trium horarum. Egregium ſcilicet monachalis acuminis exemplum (§. 123). Neque tamen error iſte de univerſali liberatione, Graecis omnibus communis fuit, uti *Leo Allatius* aſſerit, qui egregie ab A. refellitur (§. 124.). — Hodierni Graeci eos tantum liberatos tum eſſe ex iſto carcere putant, qui credentes in futurum Meſſiam, beate eſſent mortui, atque Meſſiae adventum in inferno exſpectaſſent. Quod probatur *Petri Mogilae* auctoritate, in Confeſſ. Eccleſ. Graecae orthodoxae (§. 125.). Qua in re quamvis errent, tamen in eo recte ſentiunt, quod ad exaltationis ſtatum rem omnem referant.

Pergimus ad *Cap. X.* ubi *de Latinorum ſententia a Saec. VIII. inde, ad XVI.* diſſeritur. — Hi vero excogitato *purgatorio* ac *limbo Patrum*, a priſtinae eccleſiae ſententia ſatis longe receſſerunt. Verba enim etiamſi retinerent, ſenſum tamen eorum mirifice perverterunt (§. 127. ſq.). Etenim ſatis mature coepit *purgatorii* mentio fieri; de quo quid docuerit inprimis *Thomas Aquinas*, et quantum iſte recedat ab veteribus, *Auguſtino* maxime, (§. 136.) traditur. Sui enim, quem excogitarant, inferni, cum quatuor conſtituerent quaſi receptacula, infernum autem ſtricte dictum, de damnatorum loco intelligerent, non poterant invicem convenire, ad quem infernum Chriſtus maxime deſcendiſſet (§. 138.). Coeptum igitur eſt negari prorſus Saec. XV., Chriſtum re ipſa deſcendiſſe ad inferos; ſed *virtute* tantum

ac

ac *effectu eo abiiſſe* credebatur. A qua ſententia parum abfuit *Thomas Aquinas;* acrius vero defendit iſtam *Io. Picus Mirandolanus,* cui magna inde mota eſt controverſia, quae tamen in philoſophicam magis diſputationem abiit (§. 139.). Paulo poſt etiam *Nic. Cuſanus* eorum praeluſit errori, qui Chriſtum ipſum damnatorum cruciatus in inferno ſenſiſſe exiſtimarent. Cui cum ſe opponeret *Iac. Faber Stapulenſis,* non modo Cuſani auctoritati ac famae mox ſuccubuit, verum etiam odia ſibi et perſecutiones ingentes contraxit.

Atque ita porro *Cap. XI.* traditur *de fabulis, quibus corruptum depravatumque ſit per Graecos Latinosque dogma hoc, a Saec. IV. usque ad XVI.* — De *Apollinariſtarum* primum erroribus certi quid dici vix poteſt (§. 142.). *Waldenſes* autem inique accuſantur ab *Alano ab Inſulis* (§. 143). — Ex ſomniis vero maxime ridiculis nominantur fere haec: *Iohannem Bapt.* Chriſti in inferno praecurſorem fuiſſe (§. 144-47.), deinde, *Simeonem* et *Mariam* quoque ibi fuiſſe (§. 148-51.), *Iudam* proditorem veniam ibi a Chriſto eſſe conſecutum, et propterea laqueo mortem occupaſſe, ut ante Chriſtum eo veniret ac liberaretur. — Porro *Platonem* Philoſophum, primum ex inferis Chriſtum fide eſſe amplexum (§. 152.). — Ex alio genere ſunt fabulae eae, quae Chriſto duplex iter, ad Paradiſum alterum, alterum ad infernum tribuunt; hisque alia nonnulla, prorſus ſimilia (§. 153. 4.)

Poſthaec tandem, *quid a Luthero in hoc dogmate illuſtrando praeſtitum ſit; quidque de eo hodienum ſtatuant noſtri aeque atque Romanenſium Theologi, Cap. XII.* exponitur. — Ab initio *Lutherum* ſcimus non modo manſiſſe in Pontificiorum ſententia *de limbo;* ſed eo quoque deflexiſſe, ut Chriſti *deſcenſum realem* omnino negare videretur (§. 155.) Mutaſſe vero poſt decem annos, ſententiam, verumque ac realem deſcenſum agnoviſſe, certiſſimum eſt. Ita enim docuit in *concione Torgavienſi,* ut etiam quoad corpus et animam ſimul in inferno fuiſſe Chriſtum defenderet, quamvis ex ratione illud cognoſci poſſe, aut ſcrutandum eſſe curioſius, nega-

 ret

ret (§. 156.). Quam ſententiam ſuam deinceps fecerunt orthodoxi, docueruntque, *Chriſtum quoad corpus et animam fuiſſe apud inferos; ac deſcenſum iſtum medium tenere locum inter vivificationem et reſurrectionem; igiturque pertinere ad exaltationem mediatoris.* — Infernum tum dixerunt locum vel ſtatum damnatorum; neque fidelium quemquam ibi fuiſſe aut liberari inde potuiſſe exiſtimarunt; Chriſti vero apud inferos praedicationem *legalem* fuiſſe, *non evangelicam*, defenderunt, atque etiamnum defendunt (§. 157.). — Neque tamen fidei articulum fecerunt hunc, aut obtrudere cuiquam ſuam hancce de deſcenſu Chriſti ſententiam voluerunt; quod declarat verbis ſatis apertis *Form. Conc.* p. 613. ed. *Rechenberg.* — Atque manſerunt in hac explicatione, plerique Theologorum noſtrorum, quorum praecipui laudantur (§. 159.). Ex quo facile comparatione diſci poterit, quibus in rebus conveniamus cum veteribus, quibusve diſſentiamus ab iisdem (§. 160.). Quod diſcrimen multo gravius eſt in eccleſia Pontificiorum (§. 161. 2.).

De Reformatorum, Socinianorum, aliorumque ſententiis variis Cap. XIII. agitur. — *Reformati* quidem longiſſime recedunt in hoc dogmate ab antiqua doctrina, eo maxime, quod *ad exinanitionem* referant articulum hunc, Chriſtique deſcenſum vel de *ſepultura* et *mora in ſepulcro*, vel de *cruciatibus infernalibus*, in paſſione a Servatore ſuſceptis, explicent. Prioris ſententiae auctorem, V. Rev. putat *Bezam* ad locum Act. II. 27. Cui etiamſi vehementer repugnaverit *Caſtellio*, ipſeque *Calvinus* hanc de ſepultura interpretationem reiecerit, tamen nunc a pleriſque coetus iſtius Theologis defenditur (§. 163.). Atque nituntur qui hoc propugnant, (quosque *Inferianorum* nomine appellat *Frid. Staphylus)*, voce שְׁאוֹל et ᾅδης, quibus ſaepiſſime in Scripturis ſepulcrum ſignificari perperam aſſerunt. Porro Symbolis antiquis, quibus idem ſaepe ſit deſcenſus Chriſti ad inf. quod ſepultura. Cui opinioni ex Reformatis non modo *Sixtus Amama, Io. Druſius,* et *Ant. Perizonius;* ſed ex Pontificiis quoque *P. Ramus* et *Sant. Pagninus;* atque ex noſtris *Io.*

Io. Reinh. Ruſius, (qui tamen etiam reliquos gradus exinanitionis ſepultura concludi vellet), et poſt hunc *Io. Iac. Rambachius*, ſubſcripſerunt (§. 164.). De *cruciatibus* vero animae ſanctiſſimae Chriſti, praeter Reformatos plures, ex noſtris, *Sarcerius*, *Flacius*, *Hunnius*, aliique ceperunt (§. 165.). Alii vero, veterum magis veſtigiis inhaerentes, per *infernum*, ſtatum animarum ſeparatarum intelligi malunt, quibus praedicaverit Chriſtus Evangelium, atque ex quo ſimul liberaverit fideles V. T. Ex quorum numero, quendam ex Lutheri amicis, aliosque perplures, ipſumque *Baumgartenium*, (qui tamen ſtatum mortuorum ad corpus in ſepulcro exanime ſimul extendi vult,) fuiſſe, (§. 166.) docemur. — Atque eandem explicationem, *Eccleſiae* quoque *Anglicanae* pars maxima tenet (§. 167.). Preſſius ſequuntur Veteres *Voſſius*, *Pearſonius*, *Knatchbullus*, *Lightfootus*; item Theologi Remonſtrantes, *Arminius*, *Limborchius*, ac *Curcellaeus* (§. 168.). — Ex *Socinianis* cum Veteribus ſentiunt, (quamquam non in omnibus,) *Io. Schlichtingius*, *Io. Crellius*, *Sam. Crellius*, et alii (§. 169.). In his *Sam. Crellius*, novi quid atque inauditi proferre voluit duabus maxime obſervationibus, quae commemorantur (§. 170. ſq.) altera de corporibus eorum qui cum Chriſto ſurrexerint, et ex inferno liberati ſint; ſcilicet non perfectam eam fuiſſe reſuſcitationem, ait, ſed corpora tantum Sanctorum quorundam reſuſcitata, et in urbem Hieroſolymam deducta, deinde vero in ſepulcra rurſus repoſita, animas vero in coelum delatas eſſe: altera de loco Petrino (prioris Epiſt. III.) corrigendo ſic ut recipiatur lectio quorundam Codicum, legaturque πνεύματι, non πνεύματι v. 19. deinde v. 20. ὅτι, non ὅτε, et ἅπαξ ἐδέχετο, non ἅπαξ ἐξεδέχετο aut ἀπεξεδέχετο. Iſta vero huius hominis audacia dudum caſtigata eſt a *Sandio*, aliisque. — Ceterum in eo maxime ingens eſt Socinianorum ab Veteribus diſſenſus, quod Chriſtum nolint concedere deſcendiſſe quoad animam cum divinitate coniunctam (§. 171.) — Denique liberationem iſtam, Evangeliique praedicationem ad eorum animas retuliſſe quoſdam, qui in diluvio Noachico poenitentiam

tiam agere repente adeo vix potuiſſent; variasque praeterea alias excogitaſſe opiniones, (§. 172. 3.) docemur.

Ultimo denique *Capite*, *potiores de hoc dogmate poſt Reformationem agitatae controverſiae* recenſentur. Diſputatum igitur eſt cum Pontificiis de *purgatorio*, praeſertim cum *Laur. Forero* (§. 175.). Reformati pugnarunt cum Pontificiis ſuperiore maxime Saeculo; in primis *Hundius* adverſus *Walenburchios*, quorum diſputatio coepit in Colloquio Neoburgenſi, variisque deinceps ſcriptis continuata eſt. Sed nihil ea, uti aliis quam plurimis, effectum eſt (§. 176.). Noſtris cum Reformatis non ita multae interceſſerunt controverſiae, niſi *Mathiae Hoë* cum quibusdam ex Reformatis, *Lucio* cum *Haſaeo*, qui oppugnaverat Diſſ. Lucii de deſc. C. ad inf. quam defenderat antea ſub praeſidio *Io. Ben. Carpzovii* (§. 177.). Diſceptarunt etiam aliquando Reformati de hoc dogmate ipſi inter ſe, cum *Hugo Broughton*, initio Saeculi ſuperioris, Veterum ſententiam contra Genevenſes et Anglicanos quosdam defenderet, opinionemque de doloribus Chriſti impugnaret, cet. (§. 178.) — Omnium maxime vero, atque acerrime quidem a noſtris Theologis litigatum invicem eſt, quorum controverſiae hic late recenſentur. Narratur igitur hiſtoria controverſiarum Hamburgenſium, anni 1542. ſq. inter *Io. Aepinum; Til. Eppingium* et *Io. Garzium* (§. 179.). *Matſpergeri* cum *Parſimonio*, anno 1565. ſq. (§. 180-183.) *Dreieri* et *Calovii*, exeunte Saec. XVII. (§. 184.) *Ruſii* cum *Webero*, *Hoffmanno*, *Weidnero* et *Ternio* (§. 185-7.). Denique Anonymi cuiusdam, ſub quo *Io. Chriſtoph. Artopaeum* latuiſſe Fechtius ſuſpicatur, cum *Seb. Schmidio* et *Bebelio*; atque paucorum deinceps aliorum (§. 188.). In quibus omnibus commemorandis, noluimus aeque verboſi eſſe, atque in ſuperioribus, ut eo citius dimittere Lectores, atque perducere ad ipſius huius Capitis conſiderationem poſſimus. Ita enim eleganter atque accurate in eo verſatus eſt V. Rev., ut, quemadmodum vix praeſtantius quid in tali re legere nos unquam meminerimus, ita etiam Lectoribus confirmare non dubitemus, fore, ſi huius egre-

gii libelli adſiduam lectionem commendatam ſibi eſſe patiantur, ut poſt coenam largiſſimam atque ſuaviſſimam, bellariis quoque multo iucundioribus dulcioribusque exceptos ſe ſentiant.

COMITIS IULII CAROLI DE THUSCIS DE FAGNANO, Sancti Honorii Marchionis, brevis Annotatio ad Clariſſimi Viri, ac doctiſſimi Profeſſoris, I. F. BERMANNI, ſcriptum, quod exſtat in Actis Eruditorum Lipſienſibus Anno 1758. pag. 538.

Cum in hiſce Actis ad Annum 1749. meum Problema mere algebraicum proponerem, primo hoc optavi, ut de illo ſolutio exhiberetur, non deducta (tanquam ex principio) ex praevia ſuppoſitione, quod in duabus aequationibus *A*, et *B* binae eſſent radices communes, cum ſufficeret ſuppoſitio, quod unicam radicem communem haberent, etſi reapſe binas communes continerent. In votis quoque habui, ut ſolutio exhibenda libera eſſet ab expreſſione, ſive littera indeterminata, ita ut infinitis ſubſtitutionibus valoris arbitrarii eiusdem litterae ſolutiones ſimul infinitae reſponderent. Methodus, qua uſus ſum in ſolutione dicti Problematis, (uti videre eſt in ſecundo mearum Productionum Mathematicarum Tomo), ad evidentiam quid in Problemate proponendo reſpicerem, ſatis ſuperque demonſtrat. Haec breviter annotanda credidi in praeſtantiſſimi Profeſſoris Bermanni Schediaſma, quod tantum paucis abhinc diebus mihi conſpicere datum fuit, et in quo fateor multum ingenii, nec minus urbanitatis, me adinveniſſe.

OCCULTATIO SATURNI A LUNA OBSERVATA Berolini d. 17. Iun. 1762. horis matutinis, a GOTTH. CHRIST. RECCARD, V. D. M.

Digitized by Google

Acta quidem noſtra, habita ratione temporis, quo prodeunt, res praeteritas concernunt. Cum autem publicatio horum Actorum, propter bellicos tumultus, et alia multa impedimenta, retardationem aliquam patiatur; interea tamen obſervationes occurrere ſoleant, quae gratiam novitatis amiſſurae eſſent, ſi ad tempus inſcriptum reſervarentur: licebit, pace B. L. iſtarum publicationem interdum quaſi anticipare. Huius conditionis eſt obſervatio doctiſſimi *Reccardi*, quam nunc communicamus.

Caelum maxima exparte erat ſerenum, niſi quod horizonti ortivo nubes atra incumberet, lunam orientem obtegens. Hor. 2. min. 12′. luna falcata ſeneſcens per nubis rimam transparebat Saturno vicina, cuius anſae ſitum fere parallelum proximo margini lunae habebant. *Hor. 2. 23′. 25″.* tempore vero Saturnus propemodum tangebat limbum lunae orientalem, lucidum e regione Paludis Maraeotidis, at eodem momento exigua quaedam nubes lunam occultabat, adeoque verae immerſionis obſervationem impediebat. Perſuaſum mihi habeo, immerſionem non tardius Hor. 2. 24′. accidiſſe. Poſtea nubibus iſtis infertis diſcuſſis, at et crepuſculo admodum invaleſcente, emerſio Saturni e limbo lunae obſcuro obſervabatur *Hor. 3. 23′. 52″.* tempore correcto. Facta eſt ultima haec obſervatio per tubum 4. pedum micrometro inſtructum. Alii quidam obſervatores per longiores brevioresve tubos emerſioni invigilantes, eodem, quo ipſe feceram, momento, eandem factam eſſe annunciabant. Horologium oſcillatorium d. 15. Iun. ex 33, d. 16. vero ex 12. obſervationibus altitudinem ſolis correſpondentium, ope quadrantis duos pedes in radio habentis, captarum, et d. 18. Iul. ex obſervationibus appulſuum limborum imaginis ſolis per laminam perforatam in cameram obſcuram incidentis, ad lineam meridianam, probe exploratum atque correctum eſt. Tabulae aſtronomicae, omiſſis tamen variis calculi minutiis, et quidem Caſſinianae recentiores, praedicebant pro meridiano Berolinenſi immerſionem hor. 2, 10′. et emerſionem hor. 3. 7′; Mayerianae vero lunares exhibebant immerſionem hor. 2. 11′.

emer-

Digitized by Google

emerſionem hor. 3. 13'. quae inſolita atque enormis tabularum harum accuratiſſimarum a caelo diſcrepantia, omnino extraordinariae cuidam perturbationi, Saturno recenti a coniunctione magna menſe Martio celebrata inflictae, tribuenda videtur; lunam enim aliquid tale paſſam eſſe, nihil eſt quod arguat. Dabam Berolini d. 20. Iul. 1762.

Unterſuchung, ob und in wie weit die Geſetze der Bewegung nothwendig oder zufällig ſind?

i. e.

DISQUISITIO, AN ET QUATENUS LEGES MOtus ſint neceſſariae vel contingentes?

Bützoviae et Wiſmar. apud I. A. Berger, et Iac. Boedner, paginae 94. in 8.

Auctor huius ſcripti, *Reinhardus*, Vir doctiſſimus, cuius Diſquiſitionem philoſ. de exiſtentia ſummi Numinis, et Tractatum gallicum de Libertate, in Actis hiſce Eruditorum nuper recenſuimus, hoc libello primum breviter enumerat, quid in doctrina de legibus motus praeſtiterint tam antiquiores, quam recentiores Philoſophi. Poſt introductum a Carteſio mechanice philoſophandi genus, in duas de principiis rerum naturalium opiniones quam maxime diverſas abeunt Phyſici: aliis nullam omnino vim agendi materiae competere aſſerentibus; aliis talem vim materiae tribuentibus. Antequam ad examinandas has ſententias procedat Auctor, quaenam ſit vera notio Vis activae diſquirit. Ambigua eſt vox *Vis:* cum aliquando denotet cauſam quamcunque effectuum certi generis, aliquando vero quantitatem impetus vel preſſionis, quam corpus certo tempore exercet. Neuter ſignificatus huius loci eſt, ubi per *vim activam* intelligitur cauſa effectuum in ſubiecto perdurante, vel τῷ Subſtantiali, contenta, et ad producendos eos effectus natura

tura ſua comparata, ita ut effectus reali applicatione poſitivi eius, quod internam ſuam naturam conſtituit, producat. Definitionem hanc ulterius illuſtrat A. et ſimul contra Clarkium monet, nihil obſtare, quominus Ens quoddam diverſo reſpectu ut agens et patiens ſimul concipi poſſit, ideoque falli eos, qui ad notionem vis activae requirunt, ut nihil omnino paſſivi ei admixtum ſit. Iam pergit in examinanda eorum ſententia, qui corporibus vim activam ineſſe negant. Nonnulli eorum omnes leges motus ex impenetrabilitate, inertia, et minimarum partium ſtructura deducunt. Alii, v. g. *Newtoniani*, haec nondum ſufficere rati, actionem Dei ad conſervationem motus in mundo, in ſubſidium vocant. Imo ſunt qui leges motus nullo modo in eſſentia corporum fundari, ſed omnes corporum effectus ab actione ſubſtantiae cuiusdam incorporalis pendere, contendunt. De hac opinione ſententiam ſuam dicens Auctor, ſimul fatetur, ſibi liquido non conſtare, an inertia et facultas communicandi motum, ad eſſentiam omnis materiae in genere pertineat, nec ne. Concedit Newtonianis, non omnes corporum effectus a vi quadam activa pendere. Uti enim concluſio a praemiſſis dependet, licet nulla vi agente ab iis producatur, ita multa in corporibus per ipſam rerum naturam, ita uti eſt, conſtitutam, figuram, ſitum, etc. determinantur. Sed ſimul aſſerit, dari quoque plurimos corporum effectus, qui vim activam ſupponunt, et quorum ratio ſine hac reddi nullo modo poteſt. Probat hoc ſequenti modo: Corpus *A*, ſufficienti vi praeditum, corpus *B* ita movet, ut hoc etiam tum, cum a corpore *A* non amplius impellitur, ſed ab eo ſeparatum eſt, motum continuet; e. g. quando lapidem proiicimus. Ratio cur *B* moveretur, quamdiu a corpore *A* impellebatur, recte ponitur eſſe in corpore *A*; ſed ex hoc explicari nequit, cur *B* moveri pergat, poſtquam a corpore *A* ſeparatum eſt; non enim ſequitur, corpus *B* uno temporis ſpatio, dum a corpore *A* pelle-

Digitized by Google

pellebatur, in motu fuit, ergo etiam ſequenti tempore' cum ab eo non amplius truditur, ſe movere debet' Quin potius motus, quem corpus *B* nullo alio trudente continuat, arguit in ipſo *B* principium internum huius effectus, i. e. vim motricem. Vis motrix ſcilicet corporis *B* per impulſum corporis *A* excitata eſt ad agendum; ita ut *B*, quod primo impulſus momento patiebatur tantum, iam propria ſua vi ſeſe moveat. Removet Auctor ſimul obiectionem, quae ex vulgari illa Mechanicorum regula: Omne corpus manere in ſtatu ſuo motus vel quietis etc. ſumi poterat, quaſi Lex haec naturae ſufficiat ad reddendam rationem continuati motus corporis *B*, nec opus ſit in hoc ideo ſtatuere vim. Reſpondet: Legem illam Naturae non niſi ex experientia per abſtractionem eſſe formatam; minime vero ita comparatam eſſe, ut ex ea, tanquam cauſa phyſica, reddatur ratio motuum. An corpus in vacuo immenſo ſemper motum ſuum ſit continuaturum, vel potius poſt editam certam actionum quantitatem ad ſtatum quietis rediturum, experientiae ope decidi non poſſe; nec quoque corporum caeleſtium motus ad quaeſtionis huius deciſionem aliquid conferre. Ad minimum regula illa Mechanices intelligi debet cum hac limitatione: Quamdiu cauſa motus in activitate ſua perdurat. Verum quidem eſt, currum, equis ſubito curſum ſiſtentibus, adhuc aliquantulum procedere, ſed hoc ideo fit, quia dum tanto impetu rapiebatur currus, ipſa materiae, quae eum conſtituit, vis, ad activitatem aliquam excitata fuit. Quod vero ad quietem corporum attinet, licet in hoc mundo nihil adhuc invenerimus, quod principio illi mechanico refragetur, manet tamen ſemper quaeſtio: anne poſſibilia ſint talia materiae elementa, quae ſemetipſa ad motum ciere queunt? Procedit inde Auctor ad ſecundam ex claſſibus Philoſophorum ſupra memoratis, eos nempe, qui

 mate-

Digitized by Google

materiae vires activas tribuunt, cum quibus ſe facere iam in antecedentibus declaravit, modo non omnes corporum effectus a tali vi repetantur. Diſputat hic late contra eos, qui impenetrabilitatem et inertiam materiae a vi quadam activa reſiſtente ac renitente deducunt; originemque motus ita explicant: eſſe in quolibet materiae elemento tendentiam aequalem verſus omnes plagas, impulſu vis externae vero tolli aequilibrium illud tendentiarum, naſcique ſuperpondium tendentiae verſus unam plagam, ſecundum quam actu fiat motus. Opponit huic ſententiae: 1.) talem vim elementorum, verſus omnes plagas nitentem, probari non poſſe. Ne hoc quidem demonſtratum eſſe, ait, omnibus elementis materiae competere vim activam. Nos quidem in omnibus huius mundi materiis, nobis cognitis, deprehendere talem vim, ſed inde minime ſequi, elementa ſine tali vi nulla eſſe poſſe. Tendentiam vero illam verſus omnes plagas abſque ullo ſolido fundamento aſſumi, et notionibus arbitrarie aſſumtis tantum deberi. 2.) Ad explicandam impenetrabilitatem et inertiam non indigere nos vi activa, cum ſufficiat pertinere eas ad attributa materiae; quis vero dixerit, omnia attributa conſiſtere in vi activa? 3.) Si impenetrabilitas materiae proficiſceretur a vi renitente, hanc vim debere eſſe infinitam, cum nulla vis, quantacunque ſit, efficere poſſit, ut una pars materiae alteram ingrediatur. 4.) Tendentias verſus plagas oppoſitas ſe invicem tollere, nihilque aliud involvere quam negationem omnis tendentiae. 5.) Ex illa explicatione originis motus ſequi contradictoria. Poni enim, per actionem corporis unius in alterum augeri tendentiam verſus plagam contactus, indeque naſci reſiſtentiam ac cohaeſionem, et ſimul per illam actionem produci ſuperpondium tendentiarum verſus plagam oppoſitam, eam nimirum, quae reſpondet directioni vis fortioris. 6.) Unde oriatur

oriatur ſuperpondium illud, intelligi nullo modo poſſe; nam nec reliquis tendentiis aliquid decedere, nec unde veniat nova ea tendentiae pars, quae ſuperpondium efficit, dici poſſe. Totam ergo explicationem redire ad id, quod cuilibet iam antea notum erat. Per impulſum corporis maiori vi praediti, oriri in altero tendentiam quae antea non aderat. Hiſce pertractatis, venit Auctor ad deciſionem quaeſtionis: an leges motus neceſſariae ſint, an contingentes? Cum neceſſitas haec vel contingentia pluribus modis intelligi poſſit, per diverſas propoſitiones reſpondetur. Nempe 1.) mundum hunc non exiſtere neceſſario, ſed contingenter, quod probatur ex conceptibus, quos de rebus in hoc mundo obviis, ſubſtantiisque quae eum conſtituunt, habemus, ſecundum quos conceptus non exiſtentia omnium harum rerum eſt poſſibilis. Iam ergo leges motus eatenus eſſe contingentes, quatenus ſubſtantiae, quibus inhaerent, contingenter exiſtunt. 2) Nec eo quoque ſenſu leges motus neceſſitatem quandam habere, quaſi ad eſſentiam omnis materiae in genere pertineant. Si enim eſſentiam materiae in ſola extenſione, impenetrabilitate, ac mobilitate quaeras, haec non ſufficere ad reddendam rationem omnium motuum eorumque legum, niſi proprietatibus illis iungatur vis activa. Si vero materiae competat vis activa, contingentiam legum motus in aprico eſſe: *a*) quia probari nequit, vim activam omni materiae eſſentialiter ineſſe, *b*) quia ſi vel maxime ad eſſentiam materiae pertineret vis activa in genere, tamen ex notione talis vis generali, minime fluunt illae leges motus, quas in mundo noſtro, experientia duce, deprehendimus. Qui leges motus ex notione vis motricis in genere derivare ſatagunt, aſſumunt tendentiam verſus omnes plagas, motumque ex ſuperpondio tendentiarum oriundum. Refert ſe Auctor ad ea, quae in antecedentibus contra hanc ſententiam diſputavit, aliasque vis motrices

trices, legesque motus, ab iis, quas in mundo noſtro experimur, longe diverſas, concipi poſſe et poſſibiles eſſe contendit, idque variis inſtantiis comprobare allaborat. Concludit igitur: Leges motus, in hoc mundo obvias, a creatore libere ac ſapienter eſſe electas et conſtitutas.

Digitized by Google

INDEX AUCTORUM,

quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recenſentur:

I. *Libri Theologici, & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

Burkii (*Phil. David.*) *Gnomon Pſalmorum, in quo ex nativa verborum vi, ſimplicitas, profunditas, concinnitas, ſalubritas ſenſuum coeleſtium indicatur. Tomi Duo.* 383

Dietelmaieri (*Ioh. Auguſtini*) *Hiſtoria dogmatis de deſcenſu Chriſti ad inferos litteraria. Editio ſecunda emendatior et auctior.* 578

Heumanni (*Chriſtoph. Auguſti*) *Commentariorum in Novi Foederis Libros divinos Pars XI. qua poſter. Epiſtolae ad Corinthios Capp. XI. priora illuſtrantur.* 233

Lowth (*Rob.*) *de Sacra Poëſi Hebraeorum Praelectiones Academicae. Notas et Epimetra adiecit* Ioh. David Michaelis. *Pars Poſterior.* 541

Miſchna, *ſeu Textus Talmudis. Ex Hebraeo ſermone Theotiſce vertit, paraphraſin adiecit, obſervationibus illuſtravit* Ioh. Iac. Rabe. Pars I. II. III. 212

Sartorii (*Frid. Wilh.*) *Commentatio Critica Sacra de Metempſychoſi Pythagorica, a diſcipulis Chriſti et gente Iudaica ante excidium Hieroſolymitanum ſecundum non recepta, ad illuſtranda quaedam Script. S. loca.* 194

II. *Libri Iuridici.*

Ancher (*P. Kofod*) *ad Fridericum Platnerum, de auctoritate*

Gggg *Iuris*

Iuris Romani, *Canonici*, *Longobardici*, *Criminalis Caroli-ni*, *in Dania*, *Epiſtola.* 568
Corpus Iuris Germanici Publici ac Privati, hactenus ineditum, ex bibliotheca Senckenbergiana *emiſſum, cura* Guſtavi Georgii Koenig de Koenigsthal. *T. I. exhibens Partem I. et II.* 41
de Donellianorum *Operum nova editione*, *a* Barthol. Franc. Pellegrini *procuranda*, *Programma.* 237
Fellenbergii (*Daniel.*) *Iurisprudentia antiqua*, *continens Opuſcula et Diſſertationes*, *quibus leges antiquae*, *praeſertim Moſaicae*, *Graecae*, *et Romanae illuſtrantur. Tomus I.* 321
Hommelii (*Car. Ferdin.*) *Litteratura Iuris* 291
Maſtracae (*Styliani*), *Corcyrenſis*, *Iurisconſulti*, *et in Patavino Gymnaſio Anteceſſoris*, *Orationes quatuor.* 31
a Senckenberg (*Henr. Chriſt. L. B.*) *Commentatio de ſuprema Imperatorum in Germania iurisdictione.* 229
— — — *Meditationes de ſemper vigente obſervantia priſci Germanici civilis et publici Iuris in ſubſequentibus Imperii legibus et conſuetudinibus*, *praeſertim in doctrinis de Regum electionibus et Archiducatibus.* 304

III. *Libri Medici et Phyſici.*

Academiae *Scientiarum Imperialis Petropolitanae Novi Commentarii. Tomus V. ad annum* 1754. *et* 1755. 217
— — *Novi Commentarii Tomus VI. ad annum* 1756. *et* 1757. 441
— — *Praemia ſeu Quaeſtiones propoſitae viris doctis.* 359
Braunii (*I. A.*) *de admirando frigore artificiali*, *quo Mercurius eſt congelatus*, *Diſſertatio.* 333
de Haller (*Alberti*) *Elementa Phyſiologiae Corporis humani. Tomus Secundus. Sanguis*, *eius motus.* 144
— — *Tomus Tertius. Reſpiratio. Vox.* 284
Hanovii (*Mich. Chriſtoph.*) *Phyſica*, *ad continuandum Syſtema Wolfianum conſcribenda.* 279
Nova Acta Phyſico-Medica Academiae Caeſareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curioſorum. Tomus Secundus 187

Planci

Digitized by Google

Planci (*Iani*) *de Conchis minus notis liber, cui acceſſit Specimen aeſtus reciproci maris ſuperi, ad littus portumque Arimini. Editio altera, duplici Appendice aucta.* 475

Plantarum Americanarum Faſciculi X. continentes plantas, quas olim Carolus Plumierius *detexit, eruitque, atque in inſulis Antillis ipſe depinxit. In lucem edidit, deſcriptionibusque et tabulis aeneis illuſtravit* Io. Burmannus. 46

Roeſel von Roſenhof (*Aug. Ioh.*) *Hiſtoria naturalis ranarum noſtratium, cum praefatione* Alb. Halleri. 510

Schraderi (*Herm. Henr. Chriſt.*) *Obſervationum rariorum ad rem medicam et obſtetriciam ſpectantium Faſciculus I.* 558

Stockar (*Ioh. Georg.*) *Tractatus Chemico-Medicus de ſuccino in genere, nec non ſpeciatim de eo, quod nuper in agris Wisholzenſibus effoſſum eſt.* 446

Tralles (*Balth. Ludov.*) *Uſus opii ſalubris et noxius in morborum medela. Sectio Tertia.* 88

IV. *Libri Mathematici.*

Academiae *Scientiarum Imperialis Petropolitanae Novi Commentarii. Tomus V. ad A.* 1754. *et* 1755. 217

— — *Tomus VI. ad A.* 1756. *et* 1757. 441

— — *Praemia et Quaeſtiones, viris doctis propoſitae.* 359

Adami (*Iacobi*) *Novae Demonſtrationes Principiorum Mechanices.* 6

Boſcovich (*P. Rogerii*) *de ſolis ac lunae defectibus libri V. ad Regiam Societatem Londinenſem.* 168

Euleri (*Ioh. Alb.*) *Meditationes de motu vertiginis planetarum, ac praecipue Veneris.* 288

Comitis de Fagnano (*Iulii Caroli de Iuſtis*) *brevis annotatio ad Cl.* Bermanni *ſcriptum, quod exſtat in Actis Erud. Lipſſ.* A. 1758. p. 538. 593

Ferguſoni (*Ioh.*) *luculenta methodus determinandi parallaxin Veneris et eius tranſitum per diſcum ſolarem, indeque per analogiam eruendi parallaxin et diſtantiam ſolis et reliquorum planetarum.* 118

Heinſii (*Godofr.*) *Obſervationes circa phaſin Saturni rotundam, quae* A. 1760. *rediit.* 481

Hennerti (*Io. Frid.*) *Problemata de centro aequilibrii potentiarum obliquarum vecti adplicatarum, et de conflictu corporum imperfecte elaſticorum, theóriae virium vivarum repugnante.* 565

Polac (*Io. Frid.*) *Tranſitus Veneris per ſolem, obſervatus Francofurti ad Oderam.* 330

Reccardi (*Gotth. Chriſt.*) *Obſervatio occultationis Saturni a luna, Berolini d. 17. Iunii 1762. horis matutinis inſtituta.* 593

Stepling (*Ioſephi*) *Soliditas et Area Superficierum fruſtorum ungularium reſectorum a cylindris rectis, quorum baſes et ſectiones conicae, etiam altiorum generum, ope calculi inveſtigatae.* 534

Suardi (*Ioh. Baptiſtae Comitis*) *Nova inſtrumenta in conſtructione diverſarum antiquiorum et recentiorum curvarum inſervientia.* 410

Titii (*Ioh. Dan.*) *Animadverſiones quaedam Mathematicae.* 113

— — *Supplementum ad ſuperiores Animadverſiones mathematicas.* 192

V. *Libri Hiſtorici et Geographici.*

Anonymi *Elogium Georgii Matthiae Boſii, Profeſſoris Vitebergenſis.* 514

Ayreri (*Georg. Henr.*) *Diſquiſitio, Hermannus officione an gente Billingus fuerit?* 449

Epitome Rerum Germanicarum ab A. Chr. MDCXVII. ad A. MDCXLIII. Recenſuit et adnotationes adſperſit Ioh. Gottlob Boehmius 174

Gercken (*Frid. Wilh.*) *Fragmenta Marchica, ſeu anecdotorum ſcriptorum, quae Hiſtoriae Brandenburgicae illuſtrandae inſerviunt, Collectio. Pars V.* 495

Gruneri (*Ioh. Frid.*) *Opuſcula ad illuſtrandam Hiſtoriam Germaniae pertinentia. Vol. I. et II.* 316

Hartii (*Walth.*) *Vita Guſtavi Adolphi Magni, Regis Sueciae, ex Anglico ſermone in patrium converſa a* G. H. Martini. *Praefa-*

Digitized by Google

Praefatus eſt et animadverſionibus auxit Io. Gottlob. Boehmius. *T. I. et II.* 56. 461. 500. 571
Herrgott (*Marqu.*) *et Ruſteni* Heer *Pinacotheca Principum Auſtriae, in qua eorum ſimulacra, ſtatuae, anaglypha,* etc. *referuntur et illuſtrantur. Tomi III. Pars Prior.* 121. 241. 361
Hirſchii (*Io. Chriſtoph.*) *Collectio ſcriptorum ad rem Imperii Romano-Germanici monetariam pertinentium. T. VII.* 491
Meermanni (*G.*) *Conſpectus Originum Typographicarum, proxime ab eo in lucem edendarum.* 223
— — *Admonitio de chartae noſtratis ſeu lineae origine.* 401
Semleri (*Ioh. Salom.*) *Tentamen, uſum fontium in civili et eccleſiaſtica hiſtoria aetatis mediae faciliorem reddendi.* 415
Sinneri (*Io. Rudolphi*) *Catalogus Codicum MSC. Bibliothecae Bernenſis, annotationibus criticis illuſtratus.* 34
Solgeri (*Ad. Rud.*) *Bibliotheca, ſive Supellex librorum impreſſorum in omni genere ſcientiarum, maximam partem rariſſimorum, et Codicum MSC. cum notis litterariis. Pars I.* 29
Pars II. 354

VI. *Libri Philoſophici, Antiquarii, Auctores Claſſici, Philologi, Miſcellanei.*

Baluzii (*Stephani*) *Miſcellanea, edenda cum plurimis acceſſionibus a* Ioh. Domin. Manſi. 74
Cannegieteri (*Henr.*) *de mutata Romanorum nominum ſub Principibus ratione, liber ſingularis. Item Poſtumus, Bataviae adſertor, et alia illuſtrantur.* 521
Catonis (*Dion.*) *Diſticha de moribus ad filium, cum variis lectionibus et interpretatione quintuplici.* 25
Ciceronis, *vel incerti Auctoris, Rhetoricorum ad Herennium Libri IV. et de Inventione Libri II. cum notis plurimorum, ineditisque* Ioh. Georg. Graevii, *curante* Petro Burmanno Secundo. 161

Digitized by Google

Eſtevi *Diſſertatio de dictione*, *et dicendi generibus.* 20

Demoſthenis, Aeſchinis, Dinarchi *et* Demadis *quae ſuperſunt, Graece et Latine.* Tomus II. *Edidit* Ioh. Taylor. 201

A. Gellii *Noctium Atticarum Libri XX. ſicut ſuperſunt. Editio* Gronoviana. *Praefatus eſt, et Excurſus Operi adiecit* Ioh. Ludov. Conradi. *Pars Prima.* 357

Gifanii (*Oberti*) *Obſervationes ſingulares, maiorem partem emendandis Auctoribus cenſentur, auxit et edidit* Enocus Chriſtianus Auguſtus Otho. 150

Hanovii (*Mich. Chriſtoph.*) *Diſquiſitiones, argumenti potiſſimum metaphyſici.* 260

Eiusdem *Opuſcula, quorum Pars Prima continet Diſſertationes publice antea habitas, et nonnullas nondum publicatas, editore* Ioh. Dan. Titio. 433

Hiſtoria Critica Catoniana, per ſingulorum ſeriem conſuetam Dionyſii Catonis *diſtichorum ex ordine deducta.* 94

Homeri *Opera omnia, ex recenſione et cum notis* Sam. Clarkii. *Acceſſit varietas Lect. MSC. Lipſienſis et editionum veterum, et annotationes* I. A. Erneſti. *Volumen II.* 1

Volumen III. 81

Ortega (*Caſim. Gomezii*) *de laudibus* Caroli III. *potentiſſimi Hiſpaniarum Regis, Carmina.* 512

Orphicum *Syntagma, edendum a* I. M. Gesnero. 79

Palaephati *de incredibilibus hiſtoriis liber, Graece, e recenſione* S. F. Dreſigii; *cum eiusdem et* Ioh. Frid. Fiſcheri *notis.* 102

Reinhardi (*Adolphi Frid.*) *Diſquiſitio, qua ex eo, quod aliquid exiſtit, demonſtratur, dari ens perfectiſſimum, aeternum, a mundo diſtinctum. Edidit atque praefatus eſt* Chriſtianus Ziegra 397

— — — *Meditationes de Libertate, cum praefatione* Samuelis Formey. 438

— — — *Diſquiſitio, an et quatenus leges motus ſint neceſſariae vel contingentes?* 595

Saxii (*Chriſtoph.*) *Oratio in ſeptem Artium Liberalium Magiſtros.* 281

Saxii

Digitized by Google

Saxii (*Chriſtoph.*) *Iuſta depulſio immanis calumniarum atrocitatis; qua in ipſum ab aliquot annis, inprimis ſcripta ad fratrem Theologum epiſtola, graſſatus* eſt Petrus Burman Minor, *alias* Secundus. 561
Schaufelbergeri (*Ioh.*) *Nova Clavis Homerica, cum ſelectis Clariſſimorum Virorum annotationibus. Praefatus eſt* Ioh. Iac. Breitinger. 274
Sylloge Nova Epiſtolarum varii argumenti. Volumen I. Libros IV. priores continens. 535
Volumen II. in quo Libri V. et VI. 576
Thucydidis *Orationes, in Germanicum ſermonem tranſlatae, cum obſervationibus in opus univerſum, auctore* Ioh. Iac. Reiske. 64
Wernsdorfii (*Ioh. Chriſt.*) *de Antiquitatibus Balearicis exercitatio* 109

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Ab *utrum pro* Ante *dicatur?* 151
Academiae *Imperialis Petropolitanae Commentarii* 217. 441
— — *Naturae Curioſorum Acta continuata* 187
ab Academia *Imperiali Petropolitana propoſita praemia* 359
Acceſſere *et* Arceſſere *an differant?* 153
Adducere *et* adferre *utrum diverſa?* 154
Adficere *quid?* 156
de Aegyptiaca *charta* 402
de Aegyptiacis *diebus* 35
Aegyptiorum *funerationis priſtinae receſſus* 273
Aedelredi, *Anglorum Regis, numus* 271
Aequationis *integratio* 441
Aer *verus et elaſticus utrum inter pleuram et pulmones reperiatur?* 286
Aeſchinis *quae ſuperſunt, edita a Tayloro* 201

Aeſchi-

Digitized by Google

Aeſchinis *num omnia genuina?* 207. 209
Agere *de quibus rebus dicatur?* 162
de Alberto I. *Rege Romanorum* 243
— — II. *Contracto, Duce Auſtriae* 250
— — III. *Duce Auſtriae* 252
— — IV. *et* V. *Ducibus Auſtriae* 253
— — *Stadenſi* 428
de Algebraico *quodam problemate obſervatio* 593
de Alphabetico *Hebraeorum carmine* 544
Alpina *planta* 50
Americanarum *plantarum deſcriptiones* 46
de Amphytrione *carmen elegiacum* 37
Anecdota *varia a Manſio in lucem producenda* 76
in Anglia *quando uſus chartae linteae invaluerit?* 407
de Annalibus *Regum Francorum* 423
de Annaliſta *Saxone* 425
de Annotationibus *in Auctores veteres* 105
Anonymi *hiſtoria Ducum Hungariae illuſtrata* 420
de Antiquitatibus *Balearicis exercitatio* 109
de Arcuum *curvarum irrectificabilium comparatione* 443
Apoſtolicum *Symbolum quid de deſcenſu Chriſti ad inferos tradat?* 581
de Archi-officialibus *Imperii Romano-Germanici* 315
de Argentoratenſis *urbis re monetaria quaedam* 493
Ari *ſpecies* 50
Ariminenſis *inſcriptio et murus* 476
in Ariſtidem *obſervationes et emendationes* 478 ſqq.
Artes *liberales utrum ſeptem a veteribus conſtitutae fuerint?* 281 ſqq.
Aſtronomiae *ſynopſis verſibus explicata* 168
Aſtronomicae *obſervationes* 222. 289. 330. 481 ſqq. 593
Auſtriae *Principum imagines omnis generis collectae et illuſtratae* 121 ſqq. 241 ſqq. 361 ſqq.

B.

de Babenbergica *ſtirpe quaedam* 130
de Balearibus, *viciniſque inſulis obſervationes* 109
de Balliforum *nomine et munere* 452
Steph. Baluzii *Miſcellanea, cum pluribus acceſſionibus edenda a Manſio* 74

Bantz

Bantz *monaſterium Ordinis S. Benedicti* 317
Barbara *nomina Romanis iuncta* 531 ſq.
Theoph. Siegfr. Bayeri *epiſtolae* 536
Benedicti XIV. *Epiſcopi Romani, ad Epiſcopos Germaniae Breve* 539
Bernenſis *Bibliothecae deſcriptio* 34
contra Dan. Bernullium *de principiis motus differentem obſervatio* 6. 7
de Beverlando *quaedam* 539
Bibliorum *Hebraicorum Codex MS. memorabilis* 30
Bibliotheca *A. R. Solgeri deſcripta* 29. 354
Bibliothecae *Bernenſis Codd. MSc. deſcripti* 34 ſqq.
Bignonia *planta* 51
Billingi *nomen unde derivandum?* 449 ſqq.
de Bohemiae *motibus Seculo XVII.* 180
de Bombycina *charta* 402
Botanicae *obſervationes* 445
ad Brandenburgicam *hiſtoriam pertinentia ſcripta anecdota* 495
de Brunnemanni *Commentario in Codicem* 295
Bucephalus *planta* 51
de P. Burmanni *Secundi in Chriſtoph. Saxium conviciis* 561
de Bynkershoekio *iudicium* 295

C.

Caeſalpiniae *ſpecies* 49
de Caeſarei *iuris ortu et natura* 42 ſq.
de Calculi *integralis problematibus quibusdam* 221
e Calendario *Sanctorum Seculi X. excerptum* 35
Camara *planta* 51
Canonici *iuris fontes et libri praecipui* 295
Canticum Canticorum *an epithalamium, et an ſenſu allegorico explicandum ſit?* 548
Caritatis *inimicorum officia* 261
de Caroli V. Imper. *eiusque familiae iconibus* 366
— — II. *Reg. Hiſpan. imaginibus* 373
— — II. *Ducis Graecenſis, iconibus* 380
de Carolo IX. *Rege Sueciae* 466
Caroli III. *Hiſpan. Regis, laudes* 512
de Carteſii *argumento pro exiſtentia Dei, obſervatio* 398
de Caſachorum *origine et republica* 501
Catoniana *hiſtoria critica* 94

Digitized by Google

Catonis *Diſticha de moribus edita et illuſtrata* 25. 94
de Chartae *generibus variis* 402
— — *lineae origine admonitio* 401
Chriſti *deſcenſus ad inferos quomodo a Theologis explicatus fuerit?* 578 ſqq.
de Chriſtiani IV. *Regis Daniae, cum Guſtavo Adolpho, Rege Sueciae, bello* 469
de Chriſtianorum *priſcorum nominibus* 527
de Chronico *S. Galli* 422
— — *Hildesheimenſi* 424
— — *Vrspergenſi* 429
Ciceronis *loca illuſtrata et emendata* 26 ſq. 155. 158 162 ſqq.
— — *vel incerti Auctoris, libri ad Herennium, et de Inventione, editi a P. Burmanno Secundo* 161
de Ciſſoide *Dioclis* 411
Coburgenſes *antiquitates inveſtigatae* 318
de Codicibus, *e quibus veteres Auctores eduntur, probe cognoſcendis* 106
de Cognominibus *Romanorum* 523
de Cometarum *perturbationibus, quas patiuntur ab attractione planetarum* 359
de Commerciorum *favore* 273
de Conchis *minus notis liber* 475
Congelatio *mercurii experimentis comprobata* 333
Coniugum *caſti amores an in Cantico Canticorum praedicentur?* 549
Conradi *Salici hiſtoria numis illuſtrata* 267
de Controverſiis *Iurisconſultorum* 301
de Convulſionibus *quaedam* 89
Epiſt. poſterioris ad Corinthios *explicatio* 233 ſqq.
de Corporum *motu* 596 ſqq.
Laur. Coſterus *Harlemenſis an inventor artis typographicae ſit?* 225 ſq.
de Coſtis *varia* 284 ſq.
Craniolaria *planta* 53
Sam. Crellius *caſtigatus* 591
de Critica *admonitiones quaedam* 104
Criticae *animadverſiones in Auct. veteres Graecos* 478
de Culpae *alienae conſortio* 437
Gisb. Cuperi *epiſtolae quaedam* 533
de Curcho, *veteris Poruſſiae fictili Numine* 435
ad Curvarum *diverſarum conſtructionem inſtrumenta nova* 410
de Curvis *funicularis et catenariis* 219

de

de Curvis *infinitis iſoperimetricis inveniendis* 441
de Cylindricis *fruſtis obſervationes* 534

D.

in Dania *quae ſit auctoritas Iuris Romani, Canonici et Criminalis?* 568
Davidicae *odae character deſcriptus* 546
Dei *exiſtentia ex eo, quod aliquid exiſtit, demonſtrata* 397
— — *libertas explicata* 439
Dogmatis de Deſcenſu *Chriſti ad inferos hiſtoria litteraria* 578
Demoſthenis *et* Demadis *quae ſuperſunt, edita a Tayloro* 201
— — *loca emendata et illuſtrata* 204 ſqq.
Diarrhoeae *ſpecies et curatio* 93
de Dictionis *natura et generibus libellus* 20
Differentiae *latini ſermonis illuſtratae* 153 ſqq.
Dinarchi *quae ſuperſunt*, *a Tayloro edita* 201
Diophanteae *methodo analoga alia* 218. 443
Diplomata *varia ad Hiſtoriam Auſtriacam pertinentia* 139
— — *inedita recenſentur* 317
Diſciplina *et doctrina quomodo arti opponantur?* 283
de Diſputandi *arte* 436
de Diviſorum *ſummis* 218
de Dodenwerdenſi *monumento quaedam* 531
Hugon. Donelli *opera denuo edenda* 237
Dorſtenia *planta* 53
Dramata *in Pſalmis quomodo inveſtiganda?* 548
de Ducibus *et Marchionibus Auſtriae* 130 ſqq. 241 ſqq. 361 ſqq.
de Dyſenteria, *aliisque fluxionibus alvinis* 92

E.

de Eccleſiaſtico *Iure Danorum* 556
Echinorum *deſcriptio* 477
de Chriſt. Frider. Eckhardo *iudicium* 295
Efficere *quid ſit?* 156
de Electione *per ſortem* 436
in Electricitatem *merita G. M. Boſii* 516
Elemiferae *ſpecies* 52
Elocutionis *elegantia cum cogitandi ſubtilitate coniungenda* 20 ſq.
de Eloquentia *obſervatio* 168
Ens *a ſe et* Ens ab alio *quid?* 398 ſqq.
Epigramma *Graecum anecdoton* 211
Epitome *Rerum Germanicarum denuo edita a Boehmio* 174

Epiſtolae *variorum Pontificum, eaeque primum edendae* 76. 77
Epiſtolarum *varii argumenti collectio* 535. 576
I. A. Erneſti *in Homerum merita* 2 ſqq. 82 ſqq. 274
de Erneſtis, *Ducibus Auſtriae* 131
de Erneſto *Ferreo, Duce Auſtriae* 257
Exſiſtentia *Dei ex motu evicta* 437
— — *ex eo, quod aliquid exiſtit, demonſtrata* 397
de Exſiſtentiae *criteriis* 260
de Exſpirationis *in homine natura* 287
Ezechielis *prophetae oratio cuius generis?* 544

F.

Fabula *utrum ſit carmen Iobi dicendum?* 551
Facultatis *nomen in Academiis unde?* 303
Io. Fauſtus *an inventor artis typographicae?* 223 ſq.
de Feodalis iuris *ſcriptoribus* 297
de Io. Ferguſono *quaedam* 118
Ferdinandi I. *Imperatoris icones* 373
— — II. *Imperat. imagines* 381. 504
Ferdinandi III. *Imperat. icones* 382
de Ferdinando *Duce Tyrolenſi* 378
I. F. Fiſcheri *laudes* 102
de Florentino *Concilio nonnulla* 585
Foeminae *iuris notitia imbutae* 303
Foeminarum *apud Romanos nomina* 523
de Fontibus *hiſtoriae medii aevi obſervationes* 415
de Friderico *Palatino, Bohemiae Rege* 181
— — *Pulchro, Duce Auſtriae* 247
— — *Duce Tyrolenſi* 255
— — III. *Imper. Romano* 258. 259
de Frigore *artificiali, quo Mercurius congelatus eſt* 333
de Frodoardo *hiſtorico quaedam* 432
de Fruſtis *ungularibus, reſectis a cylindris rectis* 534
de Fuldenſibus *annalibus* 421

G.

in Gallia *chartae linteae antiquiſſima monumenta quaenam?* 408
in Germania *ſuprema Imperatorum iurisdictio* 229
— — *quando charta lintea invaluerit?* 407 ſq.

Germa-

Digitized by Google

Germanica *Hiſtoria Seculi XVII. illuſtrata* 56 ſqq. 174 ſqq. 461 ſqq. 500 ſqq. 571 ſqq.
Germanici *Iuris publici et privati corpus nunc primum editum* 41
— *Iuris libri praecipui* 296
— — *cum Romano commixtio* 311
de Germanorum *odio in ius Romanum* 305
ad Germanicam *Hiſtoriam pertinentia Opuſcula* 316
A. Gellii *novae editio a Conrado curata* 357
I. M. Gesneri *poſtremi in Orphica carmina labores* 79
Ob. Gifanii *obſervationes iterum editae* 150
de Glacie *quaedam* 343
Graeca *Iurisprudentia illuſtrata* 321
Graecae *linguae ſtudium quam ſit neceſſarium?* 275
— — *voces et phraſes explicatae* 2 ſqq. 70. 82 ſqq. 109. 204 ſqq. 234 ſqq. 277. 479 ſq.
Ioh. Georg. Graevii *notae ineditae in libros quosdam Ciceronis vulgatae* 161
Gregorii IX. *Pontif. Rom. in Albertum III. Ducem Auſtriae, ſaevitia* 140
— — XV. *P. R. de immaculata conceptione Mariae Virginis ſententia* 144
de Grotio *hiſtorico obſervatio* 474
Guſtavi *Adolphi Magni, Regis Sueciae, vita deſcripta ab Hartio, acceſſionibus et emendationibus aucta.* 56 ſqq. 461 ſqq. 500 ſq. 571 ſqq.
Io. Guttenbergius *an inventor artis typographicae habendus ſit?* 224

H.

Halleii *obſervationes quaedam Aſtronomicae* 119. 120
Hartii *hiſtorici quae dotes?* 462
— — *quaedam labes notatae* 507
Hebraicae *voces et phraſes illuſtratae* 389 ſqq. 541 ſqq.
de Hebraeorum *ſacra poëſi obſervationes* 541 ſqq.
de Heineccii *Antiquitatibus Iuris iudicium* 295
de Henrico *Placido, Duce Auſtriae* 248
Henrici *minoris, adverſus Ottonem II. Imp. rebellantis, genus* 316
— — *Epiſcopi Verdenſis, litterae indulgentiarum* 496
Hercules *Maguſanus et Deuſonienſis* 529
Librorum ad Herennium *auctor an Cicero?* 167

de Hermanni *Contracti Chronico* 429
— — *Billingi nomine diſquiſitio* 449
de Hermanno II. *Comite Hennebergico* 319
in Herodotum *obſervationes criticae Reiskii* 478
Hippolithus *a Lapide quis?* 299
in Hiſpania *bombycinae chartae uſus quamdiu duraverit?* 403 ſq.
Hiſtoria *Suecici belli in Germania, medio Seculo XVII. illuſtrata* 56 ſqq. 174. 461. 500. 571
de Hiſtoriae *medii aevi praeſtantia et difficultatibus* 122
— — — *fontibus obſervationes* 415
Hiſtorica *argumenta qualia eſſe debeant?* 458
de Hobbeſii *libris iudicium Hommelii* 293
de Holcquio, *duce Caeſareo, quaedam* 176
Homeri *editio nova, et loca varia explicata et emendata* 1 ſqq. 81 ſqq.
— — *verſus quidam ſpurii iudicati* 84
Homerica *clavis nova a Schaufelbergero edita* 274
Humani *corporis phyſiologiae elementa ab Hallero ſcripta* 144. 284
de Humorum *in corpore humano ſecretione* 149
Hyſtericis *an opium dandum?* 90

I.

Icago *planta* 53
de Igne *Graeco obſervationes variae* 261
de Imaginum *et ſtatuarum in Germania antiquitate* 126
de Imperatorum *Germaniae creatione antiqua* 314
— — — *ſuprema in Germania iurisdictione* 229
de libro de tribus Impoſtoribus *quaedam* 36
Inferni *vox quid denotet?* 580
de Infinitate *ſoli Deo propria* 261
de Ingeburga *Marchioniſſa* 497
Inſcriptiones *primum editae* 526. 530 ſq.
Inſtrumenta *nova ad conſtructionem diverſarum curvarum neceſſaria* 410
de Integralium *expreſſione per factores* 444
Iobi *carmen an fabula, a quo ſcripta ſit, et quo conſilio?* 551 ſq.
de Iohannis *ab Auſtria, Caroli V. filii, iconibus* 368
de Iohanne *Georgio I. Electore Saxoniae quaedam* 505. 574
Ioſephi *loca explicata* 196 ſq.

pro-

Digitized by Google

pronominis Ipſe *uſus e locis Ciceronianis demonſtratus* 26. 27
de Iride *multiplici* 445
de Iſoperimetrico *problemate* 441
in Italia *quamdiu charta goſſypina in uſu fuerit, quando linea uſurpari coeperit?* 405
Iudaei *an et quando metempſychoſin Pythagoricam crediderint?* 194
de Iudiciis *Germaniae antiquioribus* 230 ſqq.
de Iuris *Canonici et Criminalis auctoritate in Dania* 568
— *civilis fontibus* 34
— *litteratura liber* 291
— *publici Imperii ſcriptoribus* 297
— *Germanici publici et civilis obſervantia* 304 ſqq.
Iuris *publici Germanici corpus* 41
Iuriſconſultorum *numerus, claſſes, alia* 304
Iurisprudentia *antiqua illuſtrata* 321
Ius *Romanum ex Gellio illuſtratum* 358
de Iuſtinianei *iuris uſu et auctoritate in Italia* 31
— — *in Germania* 309 ſq.
— — *in Dania* 568
de Iuſtitia *Dei infinita* 436

L.

de Lamberto *Schafnaburgenſi quaedam* 431
Lapidis *titulus editus* 526
Latinae *voces et phraſes illuſtratae.* 26 ſqq. 95 ſqq. 151 ſqq. 162 ſqq. 358 ſq.
de Latinitate *ſcriptorum medii aevi* 417
de Legibus *obſervationes* 321 ſqq.
— — *liquorum per canales non uniformes fluentium* 116
— — *motus, utrum neceſſariae ſint an contingentes?* 595 ſqq.
Leibnitii *epiſtolae quaedam* 540
de S. Leopoldo, *Duce Auſtriae* 129 ſqq.
de Leopoldo III. *Duce Auſtriae* 254
— — IV. *Duce Auſtriae* 257
— — V. *Duce Graecenſi* 379
de Liberalium *artium numero* 281
de Libertatis *notione obſervationes* 438
de Librorum *cognitione doctis neceſſaria* 355
Liconium *urbs in Ebuſo inſula* 112
de Lineae *chartae origine, et antiquiſſimis monumentis* 401 ſqq.

e Lipſi-

Digitized by Google

e Lipſienſi *Codice MSc. Homeri excerpta* 2 ſqq.
Lithvaniae *regni fata* 272
de Litteratura *iuris* 291
Logices *Hiſtoria* 436
de Lotharingiae ſtatu *ſub Conrado Salico* 267 ſqq.
Luciani *locus explicatus* 210
de Lucis *radiorum refractione* 319
de P. Ludewigii *Illuſtrationibus Aureae Bullae iudicium* 298
Luminis *theoria Newtoniana verſibus explicata* 168
a Luna *occultatur Saturnus* 593
de Lunae *parallaxi* 446
— — *et ſolis defectibus carmen Boſcovichii* 168

M.

in Magiſtros *ſeptem artium liberalium Oratio* 281
Malpighiae *plantae ſpecies* 54
ad Marchiae *Brandenburgicae veterem Hiſtoriam et Geographiam ſpectantia ſcripta* 495
de Marchionum *Auſtriae imaginibus.* 121 ſqq. 241 ſqq. 361 ſqq.
de Margarethae, *Caroli V. filiae, iconibus* 368
de Mariano *Scoto obſervatio* 431
de Maris *dominio obſervationes* 33
— — *ſuperi aeſtu reciproco* 475
Materia *an vim activam habeat?* 596
Mathematicae *quaedam obſervationes I. D. Titii.* 113
— — *ad easdem ſupplementum* 192
Matthiae *Imperatoris et uxoris icones* 377
de Maximiliani I. *Imperat. eiusque familiae iconibus* 362
— — II. *Imperat. imaginibus* 375
Mechanices *principiorum novae demonſtrationes* 6 ſqq.
Medicae *obſervationes* 188. 558
de Medii *aevi ſcriptoribus obſervata* 416 ſqq.
Meermannus *praemium in antiquiſſimum chartae lineae exemplum conſtituit* 401
Mercurii *congelatio deſcripta* 333
Mercurius *in ſole viſus* 446
— —*non ſemi-ſed perfectum metallum* 352
Metallica *pars quomodo a minera ſeparanda?* 360
Metaphyſicae *diſquiſitiones quaedam* 260
Metempſychoſis *Pythagorica utrum a diſcipulis Chriſti et*

Digitized by Google

et gente Iudaica ante excidium Hieroſolymitanum recepta fuerit? 194
de Methodis *ius diſcendi docendique, inprimis mathematica* 300 ſq.
I. D. Michaelis *libri quidam edendi* 552
de Militarium *virorum in hiſtoria fide* 463
Miſchnae *verſio Germanica, a Rabio procurata* 212
Monetariae *rei Imperii Rom. German. illuſtratio* 491
Monumenta *principum Auſtriae collecta et explicata* 121 ſqq. 241 ſqq. 361 ſqq.
de Monumento *Dodenwerdenſi* 531
Moſaica *iurisprudentia illuſtrata* 321
de Motu *obſervationes variae* 7 ſqq.
— — *ſanguinis, eiusque acceleratione et retardatione* 146
— — *vertiginis planetarum* 288
ex Motu *evicta exiſtentia Dei* 437
Motus *leges utrum neceſſariae ſint an contingentes?* 596
Mundi *origo ex montibus vallibusque probata* 435
a Muneribus *nomina familiarum* 452
Muntingiae *plantae ſpecies* 54

N.

Naturalis *iuris principia quaedam* 294
Iſ. Newtoni *lapſus quidam* 87
— — *laudes verſibus celebratae* 171
Nicolai III. *Pont. Rom. Epiſtola ad Iohannem Marchionem Brandenburgicum* 495
de Nixu *quaedam* 287
de Nominum *Romanorum mutata ſub Principibus ratione* 521
de Novellarum *conſtitutionum Iuſtiniani lingua originaria* 302
de Nuce *marina* 477
Numi *aliquot argentei medii aevi recenſiti et explicati* 261 ſqq.
de Numis *Germanorum obſervationes* 491 ſqq.

O.

῾O *in Codicibus pro* ἐν 235
Obſervationes *in Linguam Latinam variae* 250 ſqq.
— — *ad artem obſtetriciam pertinentes* 558
de Obſervationum *in Matheſi pura uſu* 444
Ochnae *ſpecies* 53
de Odae *Davidicae triplici genere* 546
de Oleo *vitrioli* 349

de Opii *uſu ſalubri et noxio in morborum medela* 88
Orationis *recte conformandae praecepta* 22 ſqq.
de Oratoria *arte monita* 66
Oreſtis *tragoedia, carmen anonymi* 38
Orphicum *ſyntagma a Geſnero edendum* 79
de Ottone *Hilari, duce Auſtriae* 249
— — *Campaniae Comite* 268
— — *M. Imperat. et filio, quaedam* 456
Ovidii *de pediculo, de anulo, de medicamine aurium, carmina* 39
— — *loca illuſtrata* 157

P.

de Pagis *veteris Marchiae* 498
Palaephati *de incredibilibus hiſtoriis liber iterum editus a Fiſchero* 102
Patrum *priſcae Eccleſiae ſententia de deſcenſu Chriſti ad inferos explicata* 580 ſqq.
de Paulina *potione* 417
Parallelismi *poetici uſus hermeneuticus* 543
de Parallelogrammo *ſuper hypothenuſa trianguli rectanguli* 115
de Peccante *ante nativitatem* 198 ſq.
Pennae *geometricae deſcriptio* 413
Peregrinorum *nomina apud Romanos* 524
Perficere *quid?* 156
Petropolitanae *Academiae Imperialis Commentarii et Praemia* 217. 359. 441
Phaſeoli *ſpecies* 55
de Phaſi *Saturni rotunda* 481
de Philoſophia *Iuris* 555
Photii *gloſſa inedita* 211
de Philippo I. *Rege Caſtiliae* 365
Philippi II. *Regis Hiſpaniae icones* 368
— — III. *imagines* 370
— — IV. *icones* 371
Phyſicarum *obſervationum et experimentorum collectio* 188
Phyſicum *ſyſtema ab Hanovio in continuationem Wolfiani edendum* 279
Phyſiologiae *corporis humani elementa* 144 ſqq.
Pictoriae *et ſtatuariae artis in Germania origines* 125
de Pityuſis *inſulis* 110
de Planetarum *motu vertiginis* 288
Plantarum *Americanarum deſcriptiones* 46 ſqq.
Plauti *locus illuſtratus* 154
de Car. Plumierii *in rem botanicam meritis* 47

de

Digitized by Google

de Poeſi *Sacra Hebraeorum* 541 ſqq.
de Polonorum *cum Guſtavo Adolpho bello* 472
de Poppone XIII. *Comite Hennebergico* 317
de Poſtumo, *Bataviae aſſertore* 528
de Praenominibus *Romanorum* 523
Praeſens *quid ſignificet?* 155
Probabiliter *docere quid ſit?* 562
de Problematibus *indeterminatis* 443
de Proceſſu *iudiciali* 298
Profunditas *ſenſuum coeleſtium quid ſit Burkio?* 385
de Prometheo, *Scytharum Philoſopho* 272
Proſpicere *quid?* 152
in Pſalmos *Gnomon ſcriptus a Burkio* 383
Pſalmorum *utrum ſit inter ſe nexus quidam?* 387
— — *interpretatio ex hiſtoria quomodo tractanda?* 546
— — *loca multa illuſtrata* 543 ſqq.
Puffendorfius *adverſus Hartium defenſus* 464
de Pulſu *ſanguinis* 147

Q.

de Cardinalis Quirini *laboribus quibusdam* 577

R.

Ranarum *noſtratium, praeſertim quoad earum generationem, deſcriptio* 510
de Henr. Raſpe, *Landgravii Thuringiae, vita* 316
Reformatorum *de deſcenſu Chriſti ad inferos ſententiae variae* 590
Reiskii *(Ioh. Iac.) in vertendo Thucydide dexteritas* 64. 65
— — *in eodem ſcriptore reprehenſa retunduntur* 66 ſqq.
de Reſervato *Eccleſiaſtico narratio anecdota* 507
de Reſpiratione *diſputatio* 284 ſqq.
de Rheginonis *Prumienſis Chronico obſervationes* 419
de Richtſteig, *Landrecht et Lehnrecht, variis iuris Germanici generibus* 43
Ringus *quid?* 419
Romana *iurisprudentia illuſtrata* 321
de Romani *iuris ordine, et uſu in Germania* 308 ſqq.
Romanorum *nominum varia et mutata ſub Principibus ratio* 521
de Rubore *ſanguinis* 148
de Rudolpho I. *Archiduce Auſtriae, eiusque familia* 135 ſq.
— — *Rege Bohemorum* 246

Digitized by Google

de Rudolpho IV. *Magnanimo, Duce Auſtriae* 250
de Rudolphi *Habſpurgici vita* 242
— — — *electione* 316
de Rusdorfio *quaedam* 575
de Ruſſorum *cum Guſtavo Adolpho bello et pace* 470 ſqq.

S.

de Samuele, *Rege Hungariae* 261
de Sanguinis *in corpore humano natura, motu*, etc. 144 ſqq.
de Saturni *phaſi rotunda, quae A. 1760. rediit* 481
— — *occultatione per lunam facta* 593
Chriſtoph. Saxii *adverſus Petri Burmanni Secundi impetum defenſio* 561
de Saxoniae *duce, Hermanno Billingo* 449
Saxonici *proceſſus hiſtoria* 298
de Saxonico et *Suevico ſpeculis* 306 ſqq.
Scapha *adverſo flumine per ſe navigans* 413 ſqq.
Petrus Schoeffer *an inventor artis typographicae?* 224
Scripturae S. *loca explicata et illuſtrata:*
Num VI, 26. 395
Pſalm. I, 1. 2, 393
II, 5. 391. 395
Pſalm. II, 6. 393
7. 391
III, 1. 389
VI, 6. ibid.
XIV, 1. 396
XVII, 15 392
XIX, 2. 391
3. 5. 392
XXII, 21. 22. 394
32. 543
XXIV, 1. 394
XXV. 545
XXIX. 547
XXX, 1. 389
XXXII. et XXXIII. 390
XXXIV. 545
XLII. ibid.
XLV, 11. 12. 392
LXVIII. 547
LXXIX, 2. 394
LXXX, 2. 392
4. 395
LXXXX, 10 396
CXV. 390
CXIX. 387
CXXXIX, 20. 544
Ieſ. XXVI, 14. ibid.
Habac. III, 11. 545
Sapient. VIII, 19. 20. 199
Matth. XIV, 2. 195. 198
XVI, 14. 195
Marc. IX, 37. 211
Ioh. IX, 2. 195. 198
XI, 39. 277
XX, 22. 526

Act.

Digitized by Google

Act. XIII, 46. 234
1 Cor. III, 13. 212
1 Cor. X, 19. 211
2 Cor. I, 8 - 11. 234
II, 10. ibid.
III, 5. 6. 17. 235
V, 16. ibid.
VII, 1. ibid.
VIII, 24. 236
X, 2. 12. ibid.
XI, 4. 6. 8. 25. ibid.
Phil. III, 5. 277
1 Tim. II, 15. 211
1 Petr. III, 19. 591
de Secretionibus, *quae in corpore humano fiunt* 149
de Seriebus *divergentibus* 221
Serpentes *cur in Ebuſo inſula nulli?* 111
de Sica *miſericordiae* 251
de Sigismundo, *Archiduce Auſtriae, Tyrolenſem ditionem Maximiliano Roman. Regi tradente* 142
— — *Duce Tyrolenſi* 256
— — *Rege Poloniae* 500
de Silicernio *veterum Curonum* 434
Simplicitas *ſenſuum coeleſtium, quid Burkio?* 384
in Singultu *an opiata medicamenta proſint?* 90
Sinuum *calculi ſubſidium* 220
Smilacis *ſpecies* 51. 52
de Solano 52
Ad. Rud. Solgeri *bibliotheca deſcripta* 26
Soliditas *et area ſuperficierum fruſtorum ungularium, reſectorum a cylindris rectis* 534
de Sole *lunaque iuſſu Ioſuae ſtantibus* 545
in Solis *a terra diſtantia metienda qualis error committatur?* 119
de Solis *ac lunae defectibus carmen* 168
Somnambulorum *examen pſychologicum* 272
de Speculis *Saxonico et Suevico* 306
de Spiritu *nitri, ad frigus artificiale producendum aptiſſimo* 339 ſqq. 352
de Spuriorum *apud Romanos nominibus* 524
Statii *locus explicatus* 111
de Statuis *medii aevi in Germania* 127
de Stipulationis *origine et natura* 32 ſq.
Succini *genera, analyſis, aliaque de eo obſervata* 447
de Suecico *in Germania medio Seculo XVII. bello.* 56 ſqq. 461 ſqq. 500 ſqq. 571 ſqq.
de Symbolo *Apoſtolico quaedam* 585

Digitized by Google

T.

Talmudis *textus Germanice converſus* 212
de Temperamentorum *origine* 146
Terentii *loca emendata* 526. 532
de Franc. Tertii *Bergomatis imaginibus Ducum Auſtriae* 124
Theorematis *Fermatiani demonſtratio* 217
Theotiſca *verſio Talmudis* 212
de Theologicorum *dogmatum hiſtoria obſervatio* 578
in Thermometro *obſervationes* 335 ſqq.
de Thomaſianis *ad Lancellottum obſervationibus iudicium* 296
Thucydidis *orationes in Germanicum ſermonem verſae* 64
— — *contra Reiskium defenſio* 66
— — *locus explicatus* 70
in Thucydidem *obſervationes criticae Reiskii* 479
Tontinae *moralitas* 435
contra Balth. Ludov. Tralles *defenſio Actorum* 88
Trebellii *Pollionis negligentia caſtigata* 530
de Tuborum *opticorum imperfectionibus* 359
de Tuſſis *generibus et curatione* 91
Typographicae *origines a Meermanno edendae* 223

V.

de Velitrenſi *conflictu verſus* 513
Veneris *tranſitus per ſolem obſervatus Francofurti ad Oderam* 330
— — *parallaxin et tranſitum per diſcum ſolarem determinandi methodus* 118
de Veneris *motu vertiginis* 288
de prope Veris 272
de Vernis *quaedam* 526
de Verſionibus *veterum ſcriptorum in ſermonem noſtrum obſervatio* 65. 72
Verſuum *Graecorum ſingulare genus* 210
de Vi activa, *et an corporibus inſit?* 596
Victoriae *figura* 533
Alph. de Vignoles *Epiſtola de conſulibus Romanis* 537
de Viribus Vivis *obſervationes* 565
Viſere *et adire quomodo differant?* 157
de Ungularibus *aliisque cylindricis fruſtis* 534
de Voce *tractatio copioſa* 284

de

Digitized by Google

de Volckmanniano *opere quodam iudicium* 299
Vrbes *cur ſanctae dicantur poetis?* 83
de Urspergenſi *chronico* 429
de Uxorum *Romanarum nominibus* 527

W.

de Wallenſteinio *duce Caeſareo quaedam obſervata* 177
de Wichmanno *Comite* 458
de Willingi *et* Willungi *nomine* 450
Hier. Wolfii *audacia critica* 203

X.

Ximenia *planta* 50

Z.

de Ziegleri *ad Lancellottum obſervationibus* 296

Tabulae figurarum ex aere expreſſarum.

Tabula I. ad Menſem *Ianuarium* pag. 6
II. ad Menſis *Septembris* Partem I. 412
III. ad Menſem *Octobrem* 482
IV. ad Menſem *Decembrem* 565

Errores operarum quidam.

Pag. 196. lin. 27. *pro* graece *lege* graecae; pag. 223. *lin. penult. pro* quarti *lege* quinti; p. 290. *lin.* 9. *pro* derivavit *lege* derivaverit; p. 415. *lin.* 21. *pro* editus *lege* editum; p. 431. *lin.* 28. *pro* expeditionem *lege* expeditionum, p. 453. *lin.* 5. *pro* πολοκέφαλον *lege* πολυκέφαλον; p. 510. *indici operis Roeſeliani addendum, illud patrio ſermone ſcriptum eſſe; — ut leviores mittamus.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

+Z16578

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google